


M. FABII QUINCTILIANI

DE

INSTITUTIONE ORATORIA

LIBRI DUODECIM,

JUXTA

EDITIONEM GOTTINGENSEM

JOHANNIS MATTHIÆ GESNERI.

ACCEDUNT

PRÆFATIO

ET

INDICES COPIOSISSIMI.

VOL. II.

OXONII:
E TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO.
MDCCCVI.

M. FABII QUINCTILIANI

DE

INSTITUTIONE ORATORIA

LIBER OCTAVUS.

PROŒMIUM.

HIS fere, quæ in proximos quinque libros collata ſunt, ratio *inveniendi,* atque inventa *diſponendi,* continetur[a]: quam ut per omnes numeros penitus cognoſcere, [b]ad ſummam ſcientiæ neceſſarium eſt, ita incipientibus bre-
2 vius ac ſimplicius tradi[c] magis convenit. Aut enim difficultate inſtitutionis tam numeroſæ[d] atque perplexæ deterreri ſolent: aut eo tempore, quo præcipue alenda ingenia, atque indulgentia quadam enutrienda ſunt, aſperiorum tractatu rerum atteruntur: aut, ſi hæc ſola didicerint[e], ſatis ſe ad eloquentiam inſtructos arbitrantur: aut, quaſi ad certas quaſdam dicendi leges alligati, conatum
3 omnem reformidant. Unde exiſtimant accidiſſe, ut, qui diligentiſſimi Artium ſcriptores exſtiterunt, ab eloquentia longiſſime fuerint. Via tamen opus eſt incipientibus, ſed ea plana, et cum ad ingrediendum, tum ad demonſtrandum expedita. Eligat itaque peritus ille præceptor ex omnibus optima, et tradat ea demum in præſentia, quæ[f] placent, remota refutandi cetera mora. Sequuntur enim

[a] continentur Jenſ. [b] et *inſ. id.* [c] *om.* G. [d] innumeroſæ Jenſ. [e] didicerunt G. Jenſ. [f] quæ placent *om.* G. *nec forte male.*

3. *ab eloquentia longiſſime*] Ut contra eloquentior eſt ipſe Fabius, quam in præceptionum Artis minutarum ſubtilitate (in his enim, quæ ſumma ſunt et naturalia, plane regnat) accuratior; ſæpe eo nomine reprehenſus a Voſſio, qui dicendo nunquam profecto cum illo contendiſſet.

diſcipuli, quo duxeris[g]. Mox cum robore diſcendi creſcet
etiam eruditio. Iidem primo ſolum iter credant eſſe, in 4
quod inducentur, mox[h] illud cognituri etiam optimum.
Sunt autem neque obſcura, neque ad percipiendum[i] diffi-
cilia, quæ ſcriptores diverſis opinionibus pertinaciter tu-
endis involverunt. Itaque in toto artis hujuſce tractatu 5
difficilius eſt judicare, quid doceas; quam, cum judicaris,
docere: præcipueque in duabus his partibus perquam
ſunt pauca, circa quæ ſi is, qui inſtituetur[l], non repugna-
verit, pronum ad cetera habiturus eſt curſum. Nempe e- 6
nim plurimum in hoc laboris exhauſimus, ut oſtendere-
mus rhetoricen *bene dicendi ſcientiam,* *et utilem, et artem,*
et virtutem eſſe: materiam ejus *res omnes,* de quibus di-
cendum eſſet. Tum[m] et eas in tribus fere generibus, *de-*
monſtrativo, deliberativo, judicialique reperiri. Orationem
porro omnem conſtare *rebus, et verbis:* in rebus intuendam
inventionem, in verbis *elocutionem,* in utriſque[n] *collocatio-*
nem: quæ *memoria* complecteretur, *actio* commendaret.
Oratoris officium, *docendi, movendi, delectandi* partibus 7
contineri. Ex quibus ad docendum, *expoſitio et argumen-*
tatio; ad movendum, *affectus* pertinerent: quos per om-
nem quidem cauſſam, ſed maxime tamen in ingreſſu[o] ac
fine dominari. Nam *delectationem,* quamvis in utraque
ſit eorum, magis tamen proprias *in elocutione* partes ha-
bere. *Quæſtiones* alias *infinitas,* alias *finitas,* quæ perſo- 8
nis, locis, temporibus continerentur. In omni porro ma-
teria tria eſſe quærenda, *an ſit? quid ſit? quale ſit?* His
adjiciebamus, *demonſtrativam*[p] laude ac vituperatione con-
ſtare. In ea, quæ ab[q] ipſo, de quo diceremus, quæ poſt
eum acta eſſent, intuendum. Hoc opus tractatu *honeſto-*
rum[r] *utiliumque* conſtare. *Suaſoriis* accedere tertiam par- 9
tem ex conjectura, *poſſetne fieri?* et, *an eſſet futurum?* de
quo deliberaretur. Hic præcipue diximus ſpectandum,
quis, apud quem, quid? diceret. *Judicialium* cauſſarum
alias in ſingulis, alias in pluribus controverſiis conſiſtere:
et in quibuſdam ſufficere[s] modo *intentionem,* modo *depul-*

[g] vexeris G. [h] poſt *inſ.* G. [i] præcipiendum Jenſ. [l] inſtituitur G. Jenſ. [m] *om.* G. [n] utraque G. Jenſ. [o] egreſſu G. [p] *om.* G. [q] ante ipſum G. [r] honeſtiſſimorum G. [s] *om.* G. Jenſ.

5. *perquam ſunt pauca*] Quærit tranſitum ad recapitulationem dictorum, i. e. ἀνακεφαλαίωσιν.

9. *tertiam partem*] Nimirum duas habent communes cum *demonſtrativa,* de *honeſtis* ac de *utilibus.*

ſionem: porro *depulſionem* omnem infitiatione duplici, *fac-*
tumne, et an hoc factum eſſet? præterea *defenſione* ac *tranſ-*
10 *latione* [t] conſtare. *Quæſtionem* aut ex facto, aut ex ſcripto
eſſe. *Ex facto*, de rerum fide, proprietate, qualitate. *Ex* [u]
ſcripto, de verborum vi, aut voluntate: in quibus vis tum
cauſſarum, tum actionum inſpici ſoleat, quæque aut ſcrip-
ti et voluntatis, aut ratiocinativæ [x], aut ambiguitatis, aut
11 legum [z] contrariarum ſpecie continetur. In omni porro
cauſſa judiciali quinque eſſe partes: quarum *exordio* con-
ciliari audientem, *narratione* [a] cauſſam proponi, *confirma-*
tione [b] roborari, *refutatione* [c] diſſolvi, *peroratione* aut me-
12 moriam judicis refici, aut animos moveri. His argumen-
tandi et afficiendi locos, et quibus generibus concitari,
placari, reſolvi judices oportet, adjecimus. Acceſſit ratio
diviſionis. Credere modo, qui diſcet, velit, certam [d]
quamdam viam eſſe, in qua multa etiam ſine doctrina
præſtare debeat per ſe ipſa natura, ut hæc, de quibus dixi,
non tam inventa a præceptoribus, quam, cum fierent, ob-
13 ſervata eſſe videantur. Plus exigunt laboris et curæ, quæ
ſequuntur. Hinc [e] enim jam *elocutionis* rationem tracta-
bimus, partem operis, ut inter omnes oratores convenit,
difficillimam. Nam et M. Antonius, cujus ſupra habui-
mus [f] mentionem, ait *a ſe diſertos viſos eſſe multos, eloquen-*
tem autem [g] *neminem. Diſertis* [h] ſatis putat, dicere quæ
oporteat: ornate autem dicere, proprium eſſe [i] *eloquen-*
14 *tiſſimi.* Quæ virtus ſi uſque ad eum in nullo reperta eſt,
ac ne in [l] ipſo quidem, aut L. Craſſo, certum [m] eſt et in
his et in prioribus eam deſideratam, quia difficillima fuit.
Et Marcus Tullius *inventionem* quidem ac *diſpoſitionem*
15 prudentis hominis putat [n], *eloquentiam* oratoris. Ideoque
præcipue circa partis hujus præcepta [o] elaboravit. Quod

[t] detractione G. altercatione Jenſ. tranſlat. *videtur a ſola Regii conjectura.* [u] *om.* G. Jenſ. [x] ratiocinativa aut ambiguitate G. *recte, arbitror.* [z] rerum G. Jenſ. [a] narr. propoſita G. Jenſ. [b] confirmari G. [c] refutatione aut memoriam refici G. Jenſ. *et plerique MSS. Reſtitutio debetur ingenio Regii.* [d] tertia quædam varia et G. [e] Hic jam G. [f] habuerimus G. [g] *om.* G. [h] diſerto G. [i] eſt G. [l] in *om.* G. in ipſo *om.* Jenſ. [m] tum eſt et his et prioribus etiam deſiderata G. [n] judicat G. [o] *om.* Jenſ.

10. *proprietate*] h. e. finitione. Nam ἰδιότητος ſive *proprietatis verbo finitionem oſtendi*, dixit ipſe 3, 6, 52.

13. *M. Antonius*] In quodam libello, cujus facit ipſe mentionem apud Cic. de Orat. 1, 21, pr. Memoratur etiam in Orat. c. 5. Vid. 7, 3. 16.

14. *M. Tullius*] Locus eſt in Orat. c. 14.

eum merito fecisse, etiam ipso rei, de qua loquimur, nomine palam declaratur. *Eloqui* enim hoc [p] est, omnia, quæ mente conceperis, promere, atque ad audientes perferre, sine quo supervacua [q] sunt priora, et similia gladio condito, atque intra vaginam suam hærenti [r]. Hoc ita- 16
que maxime docetur; hoc nullus [s] nisi [t] arte assequi potest; huc [u] studium adhibendum; hoc exercitatio petit, hoc imitatio, hic omnis ætas consumitur; hoc maxime orator oratore præstantior; hoc [x] genera ipsa dicendi alia aliis potiora. Neque enim Asiani, aut quocumque alio 17
genere corrupti, res non viderunt, aut eas non collocaverunt: neque, quos *aridos* vocamus, stulti, aut in caussis cæci fuerunt: sed his judicium in eloquendo ac modus; illis vires defuerunt: ut appareat in hoc et vitium et virtutem esse dicendi. Non ideo tamen sola est agenda cura 18
verborum. Occurram enim necesse est, et, velut in vestibulo protinus apprehensuris hanc confessionem meam, resistam iis, qui, omissa rerum (qui nervi sunt in caussis) diligentia, quodam inani circa voces studio senescunt: idque faciunt gratia decoris, quod est in dicendo, mea quidem opinione, pulcherrimum, sed cum sequitur, non cum affectatur. CORPORA sana [y], et integri sanguinis, et ex- 19
ercitatione firmata, ex iisdem his speciem accipiunt, ex quibus vires: namque et colorata, et adstricta, et lacertis expressa [z] sunt, sed eadem si quis vulsa atque fucata mu-

[p] *Vid. om.* hoc. [q] semper vacua Jens. [r] hebenti *conj. Gebh. Crep.* 3, 8. [s] nullum—posse Jens. [t] sine G. [u] hic G. Jens. [x] hæc G. Jens. [y] sua G. [z] oppressa G. *male.*

15. *gladio condito—hærenti*] Frustra metuit ταυτολογίαν Gebhardus, quem præclare repulit Burmannus. Sic *enses conditos* una cum vagina repositos dixit Hor. Epod. 7, 2.

17. *his—illis*] Sæpe ita Fabius, ut *hoc* ad remotius, ad propius *illud* referat. Vid. ad 6, 1, 9.

19. *Corpora sana*] Locum illum de pulchritudine, naturaliter sanitatem, utilitatem, artem consequente, eleganter tractatum vide a Cic. de Orat. 3, 45. sq. Varr. de R. R. 1, 4, 2. Nostro præsertim 8, 3, 8. et 9, 4, 8.

19. *adstricta, et lacertis expres.*] Hæc se naturaliter consequuntur. Quo magis *adstricta* nervis sunt corpora sana, bene nutrita, eademque virilia, tanto magis illa ipsa vi *exprimuntur*, ut appareant emineantque *lacerti*: ipsa exercitatio, quæ *adstringat* nimirum nervos, *lacertos exprimit*, ut noster ait 8, 3, 10. Ab hac *expressione* deinde et artis opera *expressa* dicuntur, de quibus Burm. h. l. Cæterum *lacerti* non modo pars brachii humeris proxima; quod contra aliorum Lexicorum errorem in Fabriano Thesauro ostendimus: sed ii, quos medici *musculos* appellant. Itaque Columella 6, 37, 6, ut *pectus musculosum*, sic *lacertosa femina* poscit

20 liebriter comat, fœdiſſima ſunt ipſo formæ labore. Et *cultus conceſſus atque magnificus addit hominibus*, ut Græco verſu teſtatum eſt, *auctoritatem* : at muliebris et luxurioſus, non corpus exornat, ſed detegit mentem. Similiter illa tranſlucida et verſicolor quorumdam elocutio res ipſas[a] effeminat, quæ illo verborum habitu veſtiuntur[b].
21 Curam ergo verborum, rerum volo eſſe ſolicitudinem. Nam plerumque optima[c] rebus cohærent, et cernuntur ſuo lumine : at nos quærimus illa, tamquam lateant ſemper, ſeque ſubducant. Ita numquam putamus circa id eſſe, de quo dicendum eſt : ſed ex aliis locis petimus, et
22 inventis vim afferimus. Majore animo aggredienda eloquentia eſt : quæ, si toto corpore valet, ungues polire, et capillum reponere, non exiſtimabit ad curam ſuam pertinere. Sed evenit plerumque, ut[d] hac diligentia dete-
23 rior etiam fiat oratio. Primum[e], quia ſunt optima minime arceſſita, et ſimplicibus atque ab ipſa veritate profectis ſimilia. Nam illa, quæ curam fatentur, et ficta atque compoſita videri etiam volunt, nec gratiam conſequuntur, et fidem amittunt, propter id, quod ſenſus obumbrant, et
24 velut læto gramine ſata ſtrangulant. Nam et, quod recte dici poteſt, circumimus[f] amore verborum : et, quod ſatis dictum eſt, repetimus : et, quod uno verbo patet, pluribus oneramus : et pleraque ſignificare melius putamus, quam dicere. Quid ? quod nihil jam proprium placet, dum parum creditur diſertum, quod et alius dixiſ-
25 ſet ? A corruptiſſimo quoque poetarum figuras ſeu tranſlationes mutuamur : tum demum ingenioſi ſcilicet, ſi ad

[a] ipſa Jenſ. [b] veſtiantur G. [c] optime G. Jenſ. [d] in *inſ. iid.* [e] *om.* G. [f] circuimus G.

aſinum admiſſarium : et Varro 2, 7, 13, *equum maxime creſcere* ait, *cum eſt trimus, et lacertoſum fieri* ; idemque 3, 9, 5, *lacertoſos* eſſe vult gallos gallinaceos. Nec abſurdum forte fuerit putare, eadem ſimilitudine et figura hos *lacertos* primum a *lacerto* piſce vel quadrupede dictos, qua deinde *muſculi*. Firmat hæc non Gorræus modo, qui μῦν *lacertum* vocat : ſed Gloſſ. vetus, *Lacerti* μύες βραχιόνων.

20. *cultus conceſſus*] Jam Cælii Rhodigini indicio hic laudatus Hom. Οδ. Ζ'. 29. ubi Minerva hortatur Nauſicaam, ut ad inſtantes nuptias veſtes lavet, Ἐκ γάρ τοι τού-των φάτις ἀνθρώπους ἀναβαίνει Ἐσθλή.

20. *tranſlucida et verſicolor*] Prius ad Coas veſtes adludit, *ventum illum textilem, nebulam lineam*, in qua matrona eadem omnibus in theatro publicat, quæ dat adultera in cubiculo &c. Locus claſſicus ad Petron. c. 55. *Verſicolor* ad meretricium et ipſum cultum pertinet : hæc eſt *maculoſa oratio* Petronii c. 2 ; de qua Bergerus de Nat. Pulchr. Orat. p. 11.

intelligendos nos opus ſit ingenio. Atqui ſatis aperte
Cicero præceperat, *in dicendo vitium vel maximum eſſe, a
vulgari genere orationis, atque a conſuetudine communis ſen-
ſus abhorrere.* Sed [g] ille durus, atque ineruditus: nos 26
melius, quibus ſordent omnia, quæ natura dictavit [h]: qui
non ornamenta quærimus, ſed lenocinia: quaſi vero ſit
ulla [i] verborum, niſi rei cohærentium, virtus: quæ ut
propria ſint, et dilucida, et ornata, et apte collocentur, ſi
tota vita laborandum eſt, omnis ſtudiorum fructus amiſſus
eſt. Atque pleroſque videas hærentes circa ſingula, et 27
dum inveniunt, et dum inventa ponderant, ac dimetiun-
tur. Quod [l] etiam [m] ſi idcirco fieret, ut ſemper optimis
uterentur, abominanda tamen hæc infelicitas erat, quæ et
curſum dicendi refrenat, et calorem cogitationis exſtin-
guit mora et diffidentia [n]. Miſer enim et (ut ſic dicam) 28
pauper orator eſt, qui nullum verbum æquo animo per-
dere poteſt. Sed ne perdet quidem, qui rationem lo-
quendi [o] primum cognoverit, tum lectione multa et ido-
nea copioſam ſibi verborum ſupellectilem compararit, et
huic adhibuerit artem collocandi: deinde hæc omnia ex-
ercitatione plurima roborarit, ut ſemper in promtu ſint, et
ante oculos. Namque [p] hoc qui fecerit, ei [q] res cum no- 29
minibus ſuis occurrent. Sed opus eſt ſtudio præcedente,
et acquiſita facultate, et quaſi repoſita. Namque iſta
quærendi, judicandi, comparandi anxietas, dum diſcimus,
adhibenda eſt, non cum dicimus. Alioqui, SICUT qui
patrimonium non pararunt, ſubinde quærunt: ita in ora-
tione, qui non ſatis laborarunt. Si præparata vis dicendi 30
fuerit, erunt [r] in officio, ſic ut non ad requiſita reſpondere,
ſed ut ſemper ſenſibus inhærere videantur, atque [s] UT
umbra corpus ſequi. Tamen [t] in hac ipſa cura eſt aliquid 31
ſatis. Nam, cum Latina, ſignificantia, ornata, [u] apte ſint

[g] ſed et ille G. ſed ille et G. [h] ditavit G. Jenſ. *ex Italiſmo.* [i] illa *iid.* [l] Quæ—fierent G. [m] *om.* G. Jenſ. [n] differentia *iid.* [o] eloq. G. [p] *Sic* G. et *inſ. al.* [q] ſibi G. Jenſ. [r] erunt inofficioſi non ut ad requ. Jenſ. erit in officio ſic non ut requiſiti G. [s] eos *inſ.* G. [t] *om.* Jenſ. [u] cum *inſ.* G.

25. *Cicero*] De Orat. 1, 3.

29. *repoſita*] In theſauris et horreis collecta, unde promere ad uſum poſſis, quoties opus eſt.

30. *erunt in officio*] Videbatur mihi ita conſtituendus atque interpretandus hic locus, *Erunt in officio* verba *ſic, non ut requiſita* demum et arceſſita *reſpondere, ſed* ultro ita adeſſe et nutum quaſi obſervare, *ut ſemper ſenſibus inhærere* videantur. Famuli vel miniſtri, aut in proximo ſunt, vocandi tamen; aut coram ad nutum intenti: ſic verba.

[x] collocata, quid amplius laboremus? Quibuſdam tamen nullus finis calumniandi eſt, et cum ſingulis pene ſyllabis commorandi [z]: qui, etiam cum optima ſint reperta, quærunt aliquid, quod ſit magis antiquum, remotum, inopinatum; nec intelligunt, jacere ſenſus in oratione, in qua
32 verba laudantur. Sit igitur cura elocutionis quam maxima, dum ſciamus tamen [a], NIHIL verborum cauſſa eſſe faciendum, cum verba ipſa rerum gratia ſint reperta: quorum ea ſunt maxime probabilia, quæ ſenſum animi noſtri optime promunt, atque in animis judicum, quod [b]
33 volumus, efficiunt. Ea debent præſtare ſine dubio et admirabilem [c] et jucundam orationem: verum *admirabilem* non ſic, quo modo prodigia miramur; et *jucundam* [d], non deformi voluptate [e], ſed cum laude ad dignitatem conjuncta.

I. Igitur, quam Græci *φράσιν* vocant, Latine dicimus *elocutionem*. Eam ſpectamus in [f] verbis aut *ſingulis*, aut *conjunctis*. In *ſingulis* intuendum eſt, ut ſint *Latina*, *perſpicua*, *ornata*, et ad id, quod efficere volumus, *accommo-*
2 *data*: in *conjunctis*, ut *collocata*, ut *figurata*. Sed ea, quæ de ratione Latine atque emendate loquendi fuerunt dicenda, *in libro primo*, cum *de* [g] *grammatice* loqueremur, exſecuti ſumus. Verum illic tantum, ne vitioſa eſſent, præcepimus [h]: hic non alienum eſt admonere, ut ſint quam minime *peregrina*, et *externa*. Multos enim, quibus loquendi [i] ratio non deſit, invenias [l], quos curioſe potius loqui dixeris, quam Latine: quo modo et illa Attica anus Theophraſtum, hominem alioqui diſertiſſimum, an-

[x] *Vid. leg.* ſunt. [z] commoriendi G. *et al. ap. Bur.* [a] *om.* G. [b] nos *inſ.* G. Jenſ. [c] adm. efficere non ſic *omiſſis rel.* G. [d] *Sic* G. orationem *inſ. al.* [e] voluntate Jenſ. [f] *om.* G. Jenſ. [g] cum grammaticen G. [h] *Sic* G. præcipimus *al.* [i] eloquendi G. [l] inveniam Jenſ.

31. *nullus finis calumniandi*] Huc facit egregie Plin. 34, 8, ſ. 19. *Ex omnibus autem maxime cognomine inſignis eſt Callimachus, ſemper* calumniator ſui, *nec finem habens diligentiæ, ob id κακιζότεχνος appellatus, memorabili exemplo adhibendi curæ modum.* Similis, ſed diverſa tamen eſt illa *calumnia timoris*, et *cæcæ ſuſpicionis tormentum*, de quo Cæcina queritur ſub Cic. fam. 6, 7. *ubi animus* ita *ſecum loquitur, Hoc probabit Cæſar; hoc verbum ſuſpicioſum eſt; quid ſi hoc muto? at vereor, ne pejus ſit* &c.

31. *commorandi*] Poſſit aliquis argutari, elegans eſſe illud, quod Gothæ legitur, *commoriendi*, indicari enim ſummum ſtudii gradum: ſed vix paterer *conſeneſcere* aliquem cum ſingulis pene ſyllabis, nedum *commori*.

2. *anus Theophraſtum*] Refert Cicero in Bruto, c. 46, *Cum percunctaretur ex anicula quadam,* Quanti aliquid venderet? *et reſpon-*

notata unius affectatione[m] verbi, hoſpitem dixit: nec alio ſe id deprehendiſſe interrogata[n] reſpondit, quam quod *nimium Attice* loqueretur. Et in Tito Livio, miræ facun- 3
diæ viro, putat ineſſe Pollio Aſinius quamdam *Patavinitatem*. Quare, ſi fieri poteſt, et verba omnia, et vox, hujus alumnum[o] urbis oleant, ut oratio Romana plane videatur, non civitate donata.

II. *Perſpicuitas* in verbis præcipuam habet proprietatem: ſed *proprietas* ipſa non ſimpliciter accipitur. Primus enim intellectus eſt ſua cujuſque rei appellatio: qua non ſemper utimur. Nam et obſcœna vitabimus, et ſor- 2
dida, et humilia. Sunt autem humilia infra dignitatem rerum, aut ordinis. In quo vitio cavendo non mediocriter quidam errare ſolent, qui omnia, quæ ſunt in[p] uſu, etiamſi cauſſæ neceſſitas poſtulet[q], reformidant[r]: ut ille, qui in actione *Ibericas herbas*, ſe ſolo nequidquam[s] intelligente, dicebat, niſi irridens hanc vanitatem Caſſius Severus, *ſpartum* eum dicere velle indicaſſet. Nec video, 3
quare clarus orator *duratos muria piſces* nitidius eſſe crediderit, quam ipſum id, quod vitabat[t]. In hac autem proprietatis ſpecie, quæ nominibus ipſis cujuſque rei utitur, nulla virtus eſt: atque ei contrarium eſt vitium id, quod[u] apud nos *improprium*, ἄκυρον apud Græcos vocatur: quale eſt,—*tantum ſperare dolorem*: aut, quod in 4
oratione Dolabellæ emendatum a Cicerone annotavi, *mor-*

[m] affectione *id.* [n] interrogat Jenſ. [o] alumnam eſſe urbis oleat G. [p] *om.* G. Jenſ. [q] poſtulat G. [r] reformident Jenſ. [s] nequaquam G. Jenſ. [t] videbat *iid.* [u] *om.* G. Jenſ.

diſſet illa, Hoſpes, non pote minoris, *tuliſſe eum moleſte, ſe non effugere hoſpitis ſpeciem, cum ætatem ageret Athenis, optimeque loqueretur.* Simile quid de Q. Valerio Sorano memorat de Orat. 3, 11, extr.

3. *Livio—Patavinitatem*] Vid. 1, 5, 56.

3. *alumnum urbis oleant*] Cic. de Orat. 3, 12. *Cum ſit quædam certa vox Romani generis urbiſque propria, in qua nihil offendi, nihil diſplicere, nihil animadverti poſſit, nihil ſonare aut* olere *peregrinum*; *hanc ſequamur.* Plura de *olere* hoc ſenſu uſurpato Burm.

II, 2. *ſpartum*] Nimirum patria ſparti Hiſpania. Locus de eo claſſicus Plin. 19, 2, ſ. 7. ſq.

3. *duratos muria piſces*] Firmatos ſale et durabiliores redditos; cum alioquin cito in tabem ſolverentur. Hinc ipſa *muria dura* dicitur, ut *pallida mors* nimirum, et *triſtis ſententia*, quæ pallidos ac triſtes reddunt. Laudati ſunt, qui egerint de *muria dura* a Schoettgenio et me ad Col. 12, 6, 1, ubi ejus faciendæ ratio traditur. Vitabat autem clarus hic orator, quiſquis fuit, *ſalſamenta* dicere.

3. *ſperare dolorem*] Quod eſt Virgilii Æn. 4, 419.

tem ferre[x]: aut, qualia nunc laudantur a quibuſdam, quorum eſt, *de*[z] *cruce*[a] *decernere*[b], *verba ceciderunt*. Non tamen, quidquid non erit proprium, protinus et improprii vitio laborabit: quia primum omnium multa ſunt et
5 Græce et Latine non denominata. Nam et, qui jaculum emittit, *jaculari* dicitur; qui pilum[c] aut ſudem, appellatione privatim ſibi aſſignata caret: et ut, *lapidare* quid ſit, manifeſtum eſt, ita glebarum teſtarumque jactus non habet nomen. Unde abuſio, quæ κατάχρησις dicitur, ne-
6 ceſſaria. *Tranſlatio* quoque, in qua vel maximus eſt orationis ornatus, verba non ſuis rebus accommodat. Quare proprietas non ad nomen, ſed ad vim ſignificandi refer-
7 tur: nec auditu, ſed intellectu perpendenda eſt. Secundo modo dicitur proprium inter plura, quæ ſunt ejuſdem nominis, id[d], unde cetera ducta ſunt: ut *vertex*[e] eſt contorta in ſe aqua, vel quidquid aliud ſimiliter vertitur; inde propter flexum capillorum pars eſt[f] ſumma capitis; et ex hoc, quod[g] eſt in montibus eminentiſſimum. Recte, inquam[h], dixeris hæc omnia *vertices*; proprie tamen, unde initium eſt. Sic[i] *ſoleæ*, et *turdi* piſces, et cetera[l].
8 Tertius eſt huic diverſus modus, cum res communis pluribus in uno aliquo[m] habet nomen eximium: ut carmen funebre proprie *Nænia*, et tabernaculum ducis *Augurale*[n].

[x] fere *Sph.* Jenſ. morem ferre *marg. Vaſco. et Steph.* [z] et *inſ.* G. [a] de cruce *om.* Jenſ. de cornice *quorundam marg.* [b] *om.* G. *et al. ap. Bur.* [c] pilam G. [d] et—dicta G. Jenſ. [e] vortex *iid.* [f] *om. iid.* [g] quod eſt *om. iid.* [h] *om. iid.* [i] ſicut G. [l] *om.* G. [m] loco G. [n] Auguſtale G. Jenſ. *Lectio noſtra eſt a conjectura Schelii, firmata a Burm. ex Cod. Almel.*

4. *mortem ferre*] Non pro *perferre* poſuit igitur Dolabella; proprium enim: ſed forte pro *inferre*. Verum hæc quidem hariolatio eſt: ut et in proxime ſequentibus, quorum tum de lectione tum de ſignificatione diſputatio exitum vix poteſt habere, cum extra ſeriem et contextum orationis huc illuc temere vagari conjecturam neceſſe ſit.

5. *pilum*] Rectiſſime, ut pleraque Burmannus, emendationem in Turnebianis propoſitam recepit: *pilum* enim, Romanum miſſile, cum jaculo et ſude multo melius, quam *pila* convenit.

6. *proprietas non ad nomen*] Hoc vult. Propria hic non opponuntur tranſlatis, aut tropis aliis, ſed ea ſunt, quæ uſus emendate loquentium unicuique rei ita adſignavit, ut facillime eam agnoſcant, qui audiunt. Poteſt itaque verbum idem eſſe improprium, h. e. tranſlatum et a prima ſua notione inflexum, et tamen *proprium*, propter vim ſuam ſignificandi non minus, quin magis certam, fixam, uſitatam et perpetuo cum re, quam notat, cohærentem, quam eſt prima illa. Ita *calor* vel *ardor* et *æſtus* de adfectibus animi non minus proprie quam de ignis et aquarum motu adhibentur. Vid. mox ſ. 11. et 8, 6, 7.

8. *Augurale*] Eruditiſſime hic

Item, quod commune est et aliis nomen, intellectu alicui
rei peculiariter tribuitur[o], ut *urbem*, Romam accipimus,
et *venales*, novitios, et *Corinthia*, æra: cum sint urbes
aliæ quoque, et venalia multa, et tam aurum et argentum,
quam *æs Corinthium*. Sed ne in his quidem virtus
oratoris inspicitur. At illud jam non[p] mediocriter pro- 9
bandum, quod hoc etiam laudari modo solet, ut proprie
dictum, id est, quo nihil inveniri possit significantius: ut
Cato dixit, *C. Cæsarem ad evertendam rempublicam so-
brium accessisse*: ut Virgilius *deductum carmen*, et Hora-
tius *acrem tibiam, Hannibalemque dirum*. In quo modo 10
illud quoque est a quibusdam traditum proprii genus ex
appositis, quæ epitheta dicuntur, ut, *Dulce mustum*: et,
Cum dentibus albis. De quo genere alio loco dicendum
est. Etiam, quæ bene translata sunt, *propria* dici solent.
Interim autem, quæ sunt in quoque genere[q] præcipua, 11
proprii locum accipiunt, ut Fabius inter plures impera-
torias virtutes *Cunctator* est appellatus. Possunt videri
verba, quæ plus significant, quam eloquuntur, in parte
ponenda perspicuitatis: intellectum enim adjuvant. Ego
autem libentius emphasin retulerim ad ornatum orationis,
quia non, ut intelligatur, efficit[r], sed, ut plus intelliga-
tur. At obscuritas fit etiam verbis ab usu remotis: ut, si 12
commentarios quis pontificum, et vetustissima fœdera, et

[o] attribuitur G. [p] modo G. [q] *om.* G. Jens. [r] efficiat Jens.

de *Augurali*, non *Augustali*, disputat Burmannus, Scheliique conjecturam hoc loco confirmat, quam is proposuerat ad Hygin. de Castram. p. 52. sq.

9. *sobrium accessisse*] Dissimilem proinde Catilinæ et aliorum vel vino, vel mala alia libidine, ebriosorum: tanto magis ergo formidandus reipublicæ, tanto magis abominandus Catoni. *Vini* eum *parcissimum* ne inimicos quidem negasse, refert Sueton. c. 53, ubi nec hanc Catonis vocem omittit.

9. *Virgilius*] Ecl. 6, 5. Observat Broukhusius ad Tib. 2, 1, 54, *ducere* ad serium et Heroicum proprie carmen pertinere. Ovid. Met. 1, 4, *Ad mea perpetuum deducite tempora carmen.*

9. *Horatius*] *Acris tibia* Horatii Od. 1, 12, 1, ad sonum, puto, illum acutum, clamosum, et penetrabilem refertur: deinde etiam famæ vim potest significare longe lateque sonantis. *Hannibal dirus* est Od. 2, 12, 2. 3, 6, 36. Cujus epitheti quanta vis sit, vel inde apparet, quod formula *diris devovere*, ad summam infelicitatem et extremam perniciem pertinet.

10. *alio loco*] 8, 6, 39, ubi vid.

11. *emphasin*] Vid. 9, 2, 64.

12. *commentarios—pontificum*] De quibus Cic. de Orat. 2, 12. *Memoriæ publicæ retinendæ caussa ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mucium, Pontificem Maximum, res omnes singulorum annorum mandabat literis Pontifex—ii qui etiam nunc* Annales maximi *nominantur*.

12. *vetustissima fœdera*] Non

exoletos ſcrutatus auctores, id ipſum petat ex his, ut [s], quæ inde contraxerit, [t] non intelligantur [u]. Hinc enim aliqui famam eruditionis affectant, ut quædam ſoli ſcire
13 videantur. Fallunt etiam [x] verba vel regionibus quibuſdam magis familiaria, vel artium propria, ut *Atabulus* [y] ventus, et *navis Saccaria*, et *In malaco* [z] *ſanum*. Quæ vel

[s] *om. id.* [t] quæ *inſ. id.* [u] intelliguntur Jenſ. [x] enim G. J. [y] atabulis G. 2. [z] alio loco ſane G. maloco ſanum Kapp. malacoſſanum G. 2. malacho ſanum Jenſ. ſanum, *quod norim, omnes*; fanum *ſphalma forte Lugd. repetitum per incuriam.*

puto aliquid exſtare hodie, quod ad hanc claſſem pertineat: cum ſententiam modo antiquiſſimorum fœderum Græce vel Latine perſcriptam habeamus hodie, non ipſas tabulas. Vid. Briſſon. de formulis 4, 44. ſqq.

13. *Atabulus*] Inter *flatus alicujus regionis proprios* refert Plin. 17, 24, ſ. 37, 8, *Atabulum Apuliæ*. Vid. Hor. Sat. 1, 5, 78.

13. *navis Saccaria*] Mercaturæ forte propria vox. Neſcio an melius quid dictum ſit iis, quæ habet Cælius Rhodig. 25, 20. et tamen illa non ſatisfaciunt, aliquid ultra conjecturam quærenti. Primo *ſaccariam facere*, apud Apuleium Met. 1. p. 6. Pric. expunxere de Beroaldi conjectura plerique editores, et *ſagariam* ſubſtituerunt, in ſagis texendis, vendendis, occupatam: et, ſi, út arbitror equidem, omnino poſuit *ſaccariam* Apuleius, negotiatio non eſt, operulæ ſunt, quas, dum vegetus eſſet adhuc, merebat ille Socrates, vile nempe miniſterium ſaccorum portandorum, de quo Paullus l. 40. §. 3. π'. de contr. emt. *Si quid ex ſacco ſaccarii cecidiſſet* frumenti, et inde enatum aliquid. Poſſet etiam aliquis ſaccariam Apuleii interpretari ex notione verbi θυλακίζειν, quod eſt Heſychio auctore ἀπαιτεῖν (f. ἐπαιτεῖν) ἑπόμενον μετὰ θυλάκου. Verum et hic operulæ obſtant, quas *merebatur vegetus* adhuc Socrates. Deinde illi θυλακόφοροι aromatarii, quibus nixus Cælius *ſaccarias naves* vult eſſe Alexandrinas et Syriacas, aromata Orientis inde devehentes, forte recentioris et ſemibarbaræ tantum Græciæ ſunt. Neque enim fundum alium adhuc invenio præter Heſychium, in cujus loco accidit, quod ſexcenties, ut duæ ſignificationes miſcerentur. Cum enim prius, ex Polluce puto, qui bis habet, 7, 100, et 10, 149, relatum eſt, θυλακοφόροι οἱ μεταλλεῖς, ſubjungitur, θυλάκοις περιφέροντες τὰ ἀρώματα, ὅθεν ἐκαλοῦντο καὶ πυρυφόροι (ſic leg. pro πυροφ.) Hoc recentius adſumentum jam non ad μεταλλεῖς pertinet, ſed ad minutos mercatores, in pera circumferentes et venditantes paganis peregrinas merces, quas in urbibus venderent ſeplaſiarii et pigmentarii &c. Cæterum θυλακοφόροι, niſi fallor, dicti ſunt metallici inde, quod caput munirent θυλάκοις, cucullis ſive ſaccis coriaceis. Sic accipi puto etiam ab Ariſtophane θύλακον Veſp. 1082. Quanquam enim ibi Scholiaſtes ad ἀναξυρίδας Perſarum ſive braccas refert, tamen, qui duos verſus attente legere volet, nobiſcum, ſpero, ſentiet. Veſpæ gloriantur de ſua expeditione contra barbaros, Εἶτα δ' ἑσπόμεθα θυννάζοντες ἐς τοὺς θυλάκους, Οἱ δ' ἔφευγον τὰς γνάθους καὶ ὀφρῦς κεντούμενοι. Niſi braccis malas et ſupercilia tum tegebant homines, profecto θύλακοι cuculli ſunt, quomodo hic vocat Perſarum tiaras; certe capitis tegmina ſunt. Neque tamen non θύλακος interdum et cruralia veſtimenta notat. In Euripidis Cy-

vitanda apud judicem ignarum ſignificationum earum, vel interpretanda ſunt: ſicut in his, quæ *homonyma* dicuntur; ut, *Taurus* animal ſit, an mons, an ſignum in cœlo, an nomen hominis, an radix arboris, niſi diſtinctum non intelligitur. Plus tamen eſt obſcuritatis in contextu et 14 continuatione ſermonis, et plures modi. Quare nec ſit tam longus, ut eum proſequi non poſſit intentio: nec trajectione [a] tam [b] tardus [c], ut [d] in hyperbaton finis ejus differatur. Quibus adhuc pejor [e] eſt mixtura verborum, qualis [f] in illo verſu,

Saxa vocant Itali, mediis quæ in fluctibus, aras.

Etiam interjectione (qua et oratores et hiſtorici frequenter 15 utuntur, ut medio ſermone aliquem inſerant ſenſum) impediri ſolet [g] intellectus, niſi, quod interponitur, breve eſt. Nam Virgilius illo loco, quo pullum equinum deſcribit, cum dixiſſet,

Nec vanos horret ſtrepitus,——

[a] transjectio Jenſ. [b] *om.* G. Jenſ. [c] tarda *iid.* [d] *om.* G. [e] prior Jenſ. [f] eſt *inſ.* G. [g] ſolent Jenſ.

clope v. 181, Silenus de Helena, Barbari Paridis barbarice veſtiti et braccati amore capta, ἡ τὺς θυλάκυς τὺς ποικίλυς Περὶ τοῖν σκελοῖν ἰδῦσα— Ἐξεπτοήθη. Credo ego hauſtam ex hoc loco ſignificationem τῶν θυλάκων importune ad Ariſtophanis locum applicatam eſſe. Hic igitur θύλακος, in quo, ut notum, farinas alias ſervare ſolebant, (vid. Caſaub. ad Theophr. Char. Eth. p. 296. ſq.) οὐδὲν πρὸς τ' ἄλφιτα Fabii noſtri. Interim obiter in eo verſari non piguit, cum taceat Stephanus. De *navi ſaccaria* laudare liceat conjecturam Cælii, uti dictum eſt, ſed non ultra.

13. *In malaco ſanum*] Etiam hic nihil præter conjecturas proferri poſſe arbitror, in quibus mihi adhuc placet, et ſummo digna ingenio videtur laudati modo Cælii, qui 6, 1, tractum putat ex Peripateticis ſcholis, et uſurpatum ab his, quos divinaculos lepide appellat, et phyſiognomonas, qui hoc dicto indicare voluerint, in carnis mollitie et raritate (ἐν τῷ μαλακῷ) ſummam intelligi mentis ſanitatem. Multa certe per hanc occaſionem egregia de ſubtilitate illa et oppoſita ei craſſitie cutis ex optimis auctoribus depromit.

13. *Taurus—radix arboris*] De tauro arboris radice ſilent, quos inſpexi, harum rerum conſulti. Cum vero notum ſit, *taurum* etiam eſſe, quo viri ſunt, (vid. Burm. ad Petron. c. 25,) in ſuſpicionem venit ingenioſiſſimo viro, quem alias laudo, ſcripſiſſe Quinctilianum *radicem arrhenici*, h. e. ſtirpis illius, qua exciſa eunuchi fiunt; de *arboris* ſimili ſignificatione impurus ſcriptor, qui primi peccati originem calumniatus eſt.

14. *Saxa vocant*] Virg. Æn. 1, 109. (113.)

15. *Etiam interjectione*] Quam hic *interjectionem*, h. e. parentheſin, deſcribit, eam ſimul, ut ſolet, exemplo declarat. Vid. 7, 10, 17. Add. 8, 3, 46.

15. *Virgilius*] Georg. 3, 79.

compluribus inſertis, alia figura quinto demum verſu redit[h],

—Tum, ſi qua ſonum procul arma dedere,
Stare loco neſcit.——

16 Vitanda in primis ambiguitas, non hæc ſolum, de cujus genere ſupra dictum eſt, quæ incertum intellectum facit, ut, *Chremetem audivi percuſſiſſe Demeam:* ſed illa quoque, quæ, etiamſi turbare non poteſt ſenſum, in idem tamen verborum vitium incidit: ut, ſi quis dicat, *viſum a ſe hominem librum ſcribentem.* Nam, etiamſi librum ab homine ſcribi pateat, male tamen compoſuerat, feceratque am-
17 biguum, quantum in ipſo fuit. Eſt etiam in quibuſdam turba inanium verborum, qui, dum communem loquendi morem reformidant, ducti ſpecie nitoris, circumeunt omnia copioſa loquacitate, quæ dicere volunt: ipſam deinde illam ſeriem cum alia ſimili jungentes, miſcenteſque, ultra
18 quam ullus[i] ſpiritus durare poſſit, extendunt. In hoc malum etiam a quibuſdam laboratur: neque id novum vitium eſt, cum jam apud Titum Livium inveniam, fuiſſe præceptorem aliquem, qui diſcipulos *obſcurare*, quæ dicerent, juberet, Græco verbo utens, σκότισον. Unde illa ſcilicet egregia laudatio[k], *Tanto melior: ne ego quidem intel-*
19 *lexi.* Alii, brevitatis æmuli, neceſſaria quoque orationi ſubtrahunt verba, et, velut ſatis ſit ſcire ipſos, quæ dicere velint, quantum ad alios pertineat, nihil putant. At ego otioſum ſermonem dixerim, quem auditor ſuo ingenio non[l] intelligit. Quidam, emutatis in perverſum dictis, de
20 figuris idem vitium conſequuntur. Peſſima vero ſunt ἀδιανόητα, hoc eſt, quæ verbis aperta occultos ſenſus habent: ut, *Conductus eſt cæcus*[m] *ſecus viam ſtare:* et, qui[n]

[h] reddit Jenſ. redditur G. [i] illius G. *f.* ullius. [k] *om.* G. [l] *om.* G. Jenſ. *et al. debetur reſtitutio Regio.* [m] cecus viam ſtare G. 2. cæcus viam vitam ſt. Kapp. cond. eſt cæcus viam monſtrare *conj. Heuſingerus.* [n] quæ Jenſ.

16. *ſupra dictum*] 7, 9, 10.

18. *apud T. Livium*] Putat Burmannus, reſpici epiſtolam ad filium, de qua 10, 1, 39, et probabile eſt admodum.

19. *de figuris*] Vid. 7, 4, 28.

20. *Cond. eſt cæcus*] Cæcutire me hic fateor, et hæc ἀδιανόητα mihi ita eſſe ἀδιανόητα, ut operam luſerit candidiſſimi ut animi, ita lucidiſſimæ alioquin vir orationis, cum me docere voluit, ἀδιανόητον ortum ex eo, quod *ſecus viam*, pro *ad* vel *prope* aut *juxta viam* poſuerit quiſquis ſit hujus ſenarii auctor: cum inauditus ſit antiquis ille uſus τῆς *ſecus*, et ſordidæ novitatis poſtulatus a Chariſio lib. 1. p. 61. Putſch. Cui tamen alii contradicunt, et nuper Cl. Heumannus ad Lactant. 1,

ſuos artus morſu laceraſſet [o], fingitur in ſcholis *ſupra ſe*
cubaſſe. Ingenioſa hæc et fortia, ut [p] ex ancipiti diſerta
credantur, perficiunt. At [q] pervaſit [r] quidem jam multos 21
iſta perſuaſio, ut id jam demum eleganter atque exquiſite
dictum putent, quod interpretandum ſit. Sed auditoribus
etiam nonnullis grata ſunt [s] hæc, quæ, cum intellexerint,
acumine ſuo delectantur, et gaudent, non quaſi audive-
rint, ſed quaſi invenerint. Nobis prima ſit virtus *perſpi-* 22
cuitas, propria verba, rectus ordo, non in longum dilata
concluſio: nihil neque deſit, neque ſuperfluat. Ita ſermo
et doctis probabilis, et planus imperitis erit. Hæc eſt elo-
quendi obſervatio. Nam rerum perſpicuitas quo modo
præſtanda ſit, diximus in præceptis narrationis. Similis
autem ratio eſt in omnibus. Nam, ſi neque pauciora, 23
quam oportet, neque plura, neque inordinata aut indiſ-
tincta dixerimus, erunt dilucida, et negligenter quoque
audientibus aperta: quia id ipſum in conſilio eſt haben-
dum, non ſemper tam eſſe acrem judicis intentionem, ut
obſcuritatem apud ſe ipſe [t] diſcutiat, et tenebris orationis
inferat quoddam [u] intelligentiæ ſuæ lumen: ſed multis
eum frequenter cogitationibus avocari: niſi tam clara fue-
rint, quæ dicemus, ut in animum ejus oratio, UT ſol in
oculos, etiamſi in eam non intendatur, incurrat. Quare 24
non, ut intelligere poſſit, ſed, ne omnino poſſit non intel-

[o] laceraſſe G. 2. [p] *Forte leg.* et ex anc. diſ. ut credantur. [q] *Vid. leg.* Ac. [r] perſuaſit G. Jenſ. *vitioſe.* [s] *om.* G. [t] ipſam Jenſ. ipſa G. [u] quiddam Jenſ.

11, 34. Sed, uti dixi, ἀδιανόητον quid hic ſit, non perſpicio; quis occultus in verbis apertis ſenſus, non reperio.

20. *fingitur in ſcholis*] Etiam hic aſellum docuit parentem currere frenis amicus meus, cum perſuadere mihi voluit, hæc verba, *Et qui ſuos —cubaſſe*, eſſe ſcriptoris, quem reprehendat Fabius, qui debuiſſet ita ſcribere, *Declamator aliquis in ſchola fingit, quempiam ſupra ipſum cubaſſe, ipſiuſque artus morſu laceraſſe*. Mihi, ut dixi, n. l. Sed hoc video, ab aliis quoque obſervatum, infra 8, 5, 23, ejuſdem hypotheſeos et hominis fieri mentionem, *cui pater ſua membra laceranti venenum dedit*. Tractatur hæc ſpecies etiam in Senecæ Exc. Controv. 3, 7. ſed nihil inde lucis ad tenebras Fabii diſcutiendas.

20. *ex ancipiti diſerta*] Παράβολα Græci vocant, vel παρακεκινδυνευμένα. Vid. ad 2, 11, 3. ubi *a periculo peti optimas ſententias* id genus oratores putant. Sed vide totum locum. Quid ad concinnitatem majorem huic loco conciliandam in lectione mutandum cenſeam, ſupra indicavi.

23. *etiamſi in eam non int.*] Verbum *intendatur* ad *animum* reſpicit, qui *intenditur in orationem*. Neque tamen non verum eſt, quod, obſervante hic viro ſummo, Heinſius docuit ad Val. Fl. 7, 114, abſolute nonnunquam hoc verbum poni.

ligere, curandum. Propter quod etiam repetimus ſæpe, quæ non ſatis percepiſſe eos, qui cognoſcunt, putamus. *Quæ cauſſa utique noſtra*[x] *culpa dicta obſcurius eſt; qua cauſſa ad planiora et communia magis verba deſcendimus:* cum id ipſum optime fiat, quod nos aliquando[y] non optime feciſſe ſimulamus.

III. Venio nunc ad *ornatum*: in quo ſine dubio plus,
quam in ceteris dicendi partibus, ſibi indulget orator.
Nam emendate quidem ac dilucide[z] dicentium tenue
præmium eſt, magiſque vitiis carere, quam ut[a] aliquam
2 magnam virtutem adeptus eſſe videaris. *Inventio* cum im-
peritis ſæpe communis: *diſpoſitio* modicæ doctrinæ credi
poteſt: et quæ ſunt artes altiores, plerumque occultantur,
ut artes ſint: denique omnia hæc ad utilitatem cauſſarum
ſolam referenda ſunt. Cultu vero atque ornatu ſe quo-
que commendat ipſe, qui dicit, et in ceteris judicium
doctorum, in hoc vero etiam popularem laudem petit.
3 Nec fortibus modo, ſed etiam fulgentibus armis præliatus
in cauſſa eſt Cicero Cornelii: qui[b] non aſſecutus eſſet do-
cendo judicem tantum, et utiliter demum, ac Latine, per-
ſpicueque dicendo, ut populus Romanus admirationem
ſuam non acclamatione tantum, ſed etiam plauſu confite-
retur. Sublimitas profecto, et magnificentia, et nitor, et
4 auctoritas expreſſit illum fragorem. Nec tam inſolita laus
eſſet proſecuta dicentem, ſi uſitata, et ceteris ſimilis fuiſſet
oratio. Atque ego illos credo, qui aderant, nec ſenſiſſe,
quid facerent, nec ſponte judicioque plauſiſſe, ſed velut
mente captos, et, quo eſſent in loco, ignaros erupiſſe in
5 hunc voluptatis[c] affectum. Sed ne cauſſæ quidem parum
confert[d] idem hic orationis ornatus. Nam, qui libenter
audiunt, et magis attendunt, et facilius credunt, plerum-

[x] id eſt *inſ.* Jenſ. id *inſ.* G. [y] aliquid G. Jenſ. [z] lucide *iid.* [a] *Videtur om. v. n.* [b] cum conſecutus G. cujus ſecutus Jenſ. *Lectio recepta debetur conjecturæ Regii.* [c] *Sic* G. volunt. *al.* [d] conferat Jenſ.

III, 1. *quam—ut videaris*] Reſpicit ad Horat. A. P. 267, *Vitavi denique culpam, Non laudem merui.* Ferri poteſt recepta lectio; *præmium eſt vitiis carere, præmium eſt, ut laudem adeptus eſſe videare.* Sed concinnitati et τῷ περιοδικῷ multum accedere, et Fabianam magis orationem fieri, ſi omiſſa *ut videaris* tum ad *vitiis carere,* tum ad *virtutem adeptus eſſe* referatur, qui aures habent, modo ego habeam, animadvertent.

2. *ut artes ſint*] *Deſinit enim,* ait noſter, *ars eſſe, cum apparet.* Eleganter Ariſtoteles Rhet. 3, 2, 10. Δεῖ λανθάνειν—ὡς γὰρ πρὸς ἐπιβουλεύοντα διαβάλλονται, καθάπερ πρὸς τοὺς οἴνους τοὺς μεμιγμένους.

que ipſa delectatione capiuntur, nonnumquam admiratione auferuntur. Nam et ferrum affert oculis terroris aliquid, et fulmina ipſa non tam nos confunderent, ſi vis eorum tantum, non etiam ipſe fulgor[e] timeretur. Recte- 6
que Cicero his ipſis ad Brutum verbis quadam in[f] epiſtola ſcribit, *Nam eloquentiam, quæ admirationem non habet, nullam judico.* Ariſtoteles quoque eamdem petendam maxime putat. Sed hic ORNATUS (repetam enim) virilis, fortis, et ſanctus ſit: nec[g] effeminatam levitatem[h], nec fuco eminentem colorem amet[i], ſanguine et viribus niteat. Hoc autem adeo verum eſt, ut, cum in hac maxime 7
parte ſint vicina virtutibus vitia, etiam, qui vitiis utuntur, virtutis tamen his nomen imponant. Quare nemo ex corruptis dicat, me inimicum eſſe culte dicentibus[l]. Non[m] nego[n] hanc eſſe virtutem, ſed illis eam non tribuo. AN 8
ego fundum cultiorem putem, in quo mihi quis oſtenderit lilia et violas, et amœnos fontes ſurgentes, quam ubi plena meſſis, aut graves fructu vites erunt? Sterilem platanum, tonſaſque myrtos, quam maritam ulmum et uberes oleas præoptaverim? Habeant illa divites: licet: quid eſſent, ſi aliud nihil haberent? Nulluſne ergo etiam[o] fruc- 9
tiferis adhibendus eſt decor? quis negat? Nam et in ordinem certaque intervalla redigam eas arbores. Quid enim illo quincunce ſpecioſius, qui[p], in quamcumque partem ſpectaveris, rectus eſt? Sed protinus in id quoque prodeſt, ut terræ ſuccum æqualiter trahant. Surgentia 10
in altum cacumina oleæ ferro coercebo[q]: in orbem ſe formoſius fundet[r], et protinus fructum ramis pluribus feret. Decentior equus, cujus[s] adſtricta[t] ſunt[u] ilia, ſed idem velocior. Pulcher adſpectu ſit athleta, cujus lacertos exercitatio expreſſit, idem certamini paratior. Numquam 11

[e] tantum *inſ. id.* [f] *om.* G. [g] neque enim G. [h] lenitatem Jenſ. [i] manet *id.* [l] diſcentibus Jenſ. [m] Nam G. [n] *om.* G. [o] *om.* G. [p] quid Jenſ. [q] coërcendo *id.* [r] fundant *id.* fundent G. [s] cui G. [t] adſtrictus Jenſ. [u] *om.* G. Jenſ.

5. *ferrum adfert terroris*] Vid. infra 10, 1, 30. Laudatus jam hic eſt Veget. 2, 14. *Plurimum terroris hoſtibus armorum ſplendor importat.*

6. *Quæ admirationem non habet*] Admirabiliter hoc ipſum eloquitur Longinus 1, 9. Οὐ γὰρ εἰς πειθὼ τοὺς ἀκροωμένους, ἀλλ' εἰς ἔκστασιν ἄγει τὰ ὑπερφυᾶ· πάντη δέ γε σὺν ἐκπλήξει τοῦ πιθανοῦ καὶ τοῦ πρὸς χάριν ἀεὶ κρατεῖ τὸ θαυμάσιον. Breviter et abſciſſe, ut ſolet, Ariſtoteles 3, 2, 5. Δεῖ ποιεῖν ξένην τὴν διάλεκτον· θαυμασταὶ γὰρ τῶν ἀπόντων εἰσίν· ἡδὺ δὲ τὸ θαυμαστόν.

10. *lacertos—expreſſit*] Vid. ad 8, pr. 18.

vera[x] species ab utilitate dividitur. Sed hoc quidem discernere modici judicii est. Illud observatione dignius, quod hic ipse honestus ornatus[y] pro[z] materiæ genere debet esse variatus. Atque, ut a prima divisione ordiar, non idem *demonstrativis*, et *deliberativis*, et *judicialibus* caussis conveniet. Namque illud genus, ostentationi[a] compositum, solam petit audientium voluptatem: ideoque omnes dicendi[b] artes aperit, ornatumque orationis exponit; ut qui non insidietur, nec ad victoriam, sed ad solum finem
12 laudis et gloriæ tendat. Quare, quidquid erit sententiis populare, verbis nitidum, figuris jucundum, translationibus magnificum, compositione elaboratum, velut institor quidam eloquentiæ, intuendum, et pene pertractandum
13 dabit. Nam eventus ad ipsum, non ad caussam, refertur. At, ubi res agitur, et vera dimicatio est, ultimus fit famæ locus. Præterea non debet quisquam[c], ubi maxima rerum momenta versantur, de verbis esse solicitus. Neque hoc eo pertinet, ut in his nullus sit ornatus, sed uti pressior et severior, eo[d] minus confessus, præcipue ad materiam
14 accommodatus. Nam et[e] suadendo sublimius aliquid senatus, concitatius populus, et in judiciis publicæ capitalesque caussæ poscunt accuratius dicendi genus. At[f] privatum consilium, caussasque paucorum, ut frequenter accidit, calculorum, purus sermo, et dissimilis curæ magis decuerit. An non pudeat certam creditam pecuniam periodis postulare? aut circa stillicidia affici? aut in[g] mancipii[h] red-
15 hibitione sudare[i]? Sed ad propositum. Et, quoniam orationis tam ornatus, quam perspicuitas, aut in singulis verbis est, aut in pluribus positus: quid separata, quid conjuncta exigant, consideremus. Quamquam rectissime traditum est, perspicuitatem propriis, ornatum translatis verbis magis egere: sciamus inornatum esse, quod sit improprium.
16 Sed, cum idem frequentissime plura significent[l], quod

[x] mera Jens. vero G. [y] ornator G. orator Jens. [z] *om.* G. Jens. [a] ostentationis Jens. [b] dicendo G. [c] quidem G. Jens. [d] *Vid. leg.* et. [e] *Vid. inf.* in. [f] Et G. [g] *om.* G. Jens. [h] mancipia Jens. [i] suadere *id.* [l] significet G. Jens.

11. *non insidietur*] Vid. locus Aristotelis laudatus modo ad §. 2.

14. *paucorum calculorum*] Quæ paucorum judicum suffragiis decidenda est.

14. *certam cred. pec.*] Puto, de qua utrinque constat, atque id agitur tantum, ut malum nomen, vel tardum adeo, ad fidem liberandam adigatur.

15. *improprium*] H. e. alienum a re, parum materiæ conveniens. Vid. supra 8, 2, 3.

συνωνυμία vocatur, jam[m] sunt aliis alia honestiora, subli-
miora, nitidiora, jucundiora, vocaliora. Nam, ut syllabæ
e literis melius sonantibus clariores sunt, ita verba e[n] syl-
labis magis vocalia: et, quo plus quæque[o] spiritus habet,
auditu pulchrior[p]. Et, quod facit syllabarum[q], idem ver-
borum quoque inter se copulatio, ut aliud alii junctum
melius sonet. Diversus est tamen usus. Nam rebus atro- 17
cibus verba etiam ipso auditu aspera magis conveniunt[r].
In universum quidem optima simplicium creduntur, quæ[s]
aut maxime exclamant, aut sono sunt jucundissima. Et
honesta quidem turpibus potiora semper, nec sordidis um-
quam in oratione erudita locus. Clara illa atque sublimia 18
plerumque materiæ modo[t] cernenda sunt. Quod enim
alibi magnificum, tumidum alibi. Et, quæ[u] humilia cir-
ca res magnas, apta circa minores videntur. Et, sicut in
oratione nitida notabile est humilius verbum, et velut ma-
cula: ita a sermone tenui sublime nitidumque discordat,
fitque corruptum, quia in plano tumet. Quædam non 19
tam ratione, quam sensu judicantur: ut illud,

—— *Cæsa jungebant[x] fœdera porca,*

fecit elegans, fictio nominis: quod si fuisset *porco*, vile
erat: in quibusdam ratio manifesta est. Risimus, et me-
rito, nuper poetam, qui dixerat,

Prætextam in cista mures rosere Camilli.

At Virgilii miramur illud, 20

— *Sæpe exiguus mus.*

Nam[z] epitheton, *exiguus*, aptum proprium effecit, ne plus

[m] nam G. [n] *om.* G. [o] quoque G. [p] pulchrius G. Jens. [q] *om.* G. [r] convenient G. Jens. [s] quæ—quidem *om.* G. [t] *om.* G. Jens. [u] quo Jens. [x] jungebat G. [z] Nam ep. ex. *om.* G.

19. *Cæsa—porca*] Virg. 8, 641, ubi, post alias rationes a sacrificiorum more sumtas, subjicit Servius, *Quidam* porcam *euphoniæ gratia dictam volunt.*

19. *mures Camilli*] Adfert etiam Servius ad laudandum statim a Fabio versum Georg. 1, 181. Cæterum, *camillosne mures* dixerit poeta, an M. Furii Camilli exulantis prætextam ab muribus rosam voluerit, in ambiguo est. Si prius, eadem forte figura uti voluit, qua Virgilius *parvos Quirites* dixit de apibus Georg. 4, 202: *Camilli* enim pueri ingenui: ac risus est, quod in materia gravi ita luderet, cum in alio argumento res amœnitatem quandam fuisset habitura. Si posterius, humili, sordidaque et sententia et elocutione majestatem carminis fœdavit.

exſpectaremus, et caſus ſingularis magis decuit, et clauſula ipſa unius ſyllabæ, non uſitata, addidit gratiam. Imitatus eſt itaque utrumque Horatius,

— *Naſcetur ridiculus mus.*

21 Nec augenda ſemper oratio, ſed ſubmittenda nonnumquam eſt. Vim rebus aliquando et[a] ipſa verborum humilitas affert. An, cum dicit in Piſonem Cicero, *Cum tibi tota cognatio in*[b] *ſarraco advehatur*, incidiſſe videtur in ſordidum nomen, non eo contemtum hominis, quem deſtructum volebat, auxiſſe? Et alibi, *Caput opponis*[c], *cum*
22 *eo coniſcans*[d]. Unde interim[e] grati idiotis joci: qualis eſt ille apud M. Tullium, *Puſio, qui cum majore ſorore cubitabat*[f]. Et, *Cn. Flavius*[g], *qui cornicum oculos confixit.* Et pro Milone illud, *Heus*[h], *ubi Ruſcio?* et pro[i] Vareno,

[a] *om.* G. Jenſ. [b] *om.* G. [c] oppoſitionis G. [d] conificans G. Jenſ. [e] in Timocratii dictis, de quo qualis G. de quo *pro* joci *etiam* Jenſ. [f] dormitabat Jenſ. [g] Fabius G. Jenſ. [h] heu turiſio Jenſ. heus tu puſio G. [i] pro Vareno *om.* G. Jenſ.

20. *Horatius*] Art. 139.

21. *cognatio in ſarraco*] Opportune huc advocavit Burmannus Tib. 1, 11, 51.

Ruſticus e lucoque vehit, male ſobrius ipſe,
Uxorem plauſtro progeniemque domum.

Compara iter Milonis Lanuvium, greges delicatorum et ancillarum, et cogita *ſarracum*, barbarum et agreſte vehiculum &c.

21. *quem deſtructum volebat*] Auctoritate, honore, fama, privatum: ut 5, 7, 26, *Teſtis—infamia criminum deſtruendus.*

21. *coniſcans*] Si eſt a Græco κόνις, κονίζεσθαι, (Ebr. נאפק ab אפק pulvis) ut Martinius Voſſiuſque volunt, *coniſſare* potius debebat ſcribi, ut *patriſſare, comiſſari:* ipſum deinde *coruſſare*, quod Lambinus præfert ad Lucr. 2, 320, tenui adeo diſcrimine diſtat vel literarum vel ſignificationis, ut difficile ſit, in verbo non nimis frequenti, aliquid ponere, cui non alterum æque probabile opponi poſſit.

22. *ap. M. Tullium*] Pro Cœlio c. 15. ad Clodiam, *Ex tuis ſumam aliquem, at potiſſimum minimum fratrem—qui te amat plurimum: qui, propter neſcio quam timiditatem, et nocturnos quoſdam inanes metus, tecum ſemper puſio cum majore ſorore cubitavit.*

22. *Cn. Flavius*] Pro Muren. c. 11. Conf. pro Flacco c. 20. Ad quod proverbium intelligendum unice facit locus Prop. 4, 5, 16, a Burmanno hic laudatus: ſed a nemine, quod ſciam, plane ad hanc rem adplicatus. Nec enim ſolum id docet Propertius magicis ſacris adhibitos eſſe cornicum oculos: ſed apud ipſum lena,

Poſſit ut intentos aſtu cæcare maritos,
Cornicum emeritas eruit ungue genas.

Itaque hoc agitur *cornicum oculis* configendis a venefica, ut maritum cæcum reddat ad furta conjugis adulteræ. Hinc tractum, ut *cornici oculos configere* dicatur, ſi quis fallit alioquin cautiſſimos.

22. *pro Milone*] C. 22. Quidquid ſit de lectione, quæ et hic et

Erutius Antoniaſter. Id tamen[l] in declamationibus eſt nota-
bilius, laudarique me puero ſolebat, *Da patri panem:* et in
eodem, *Etiam canem paſcis*. Res quidem præcipue in ſcho- 23
lis anceps, ſed frequenter cauſſa riſus, nunc utique[m], cum
hæc exercitatio, procul a veritate ſejuncta, laboret incre-
dibili verborum faſtidio, ac ſibi magnam partem ſermonis
abſciderit. Cum ſint autem verba *propria*, *ficta*, *tranſlata:* 24
propriis dignitatem dat antiquitas: namque et ſanctiorem
et magis admirabilem faciunt[n] orationem, quibus non
quilibet fuerat uſurus[o]: eoque ornamento acerrimi judi-
cii P. Virgilius unice eſt uſus. *Olli* enim, et *quianam*, et 25
mis, et *pone*, pellucent[p] et[q] adſpergunt illam, quæ etiam
in picturis eſt gratiſſima[r], vetuſtatis inimitabilem arti auc-
toritatem. Sed utendum modo, nec ex ultimis tenebris
repetenda. *Satis* eſt vetus: quid[s] neceſſe[t] eſt, quæſo,
dicere, *Oppido?* quo ſunt uſi paullulum tempore noſtro
ſuperiores: vereor, ut jam nos[u] ferat quiſquam: certe
Antigerio[x], cujus eadem ſignificatio eſt, nemo, niſi ambi-
tioſus, utetur. *Ærumnas* quid opus eſt? tamquam pa- 26

l cum *inſ.* Jenſ. m itaque G. n facit G. o uſus G. Jenſ. p pollicet G. pollucent Jenſ. q ad adſpargendam G. r graviſſima G. J. s *Sic* G. quæſo q. nec. e. *al.* quæſo quid nec. eſt quæſo Jenſ. t quidem G. quod Jenſ. u *Sic* G. Jenſ. non *al.* x Antegerio Jenſ. Antigeno G.

apud Ciceronem valde variat, illud quidem apparet, ſervos viliſſimos hic compellari perquam familiariter, ut ſevera, ſi Dîs placet, quæſtio miſerorum hominum, nihil præter imperata reſpondere audentium, tanto proponatur apertius.

22. *Da patri panem*] Et hæc poterant humilia nimis putari, niſi indignitas hominis canes alentis, et alimenta recuſantis patri, ipſa verborum humilitate gravius exprobrari videretur.

24. *Virgilius*] De *olli* non eſt dubium: de *quianam* ſubtilis diſputatio eſt in indice Erythræi, qui non modo 10, 6, ſed etiam 5, 13, ita legendum contra Pontanum contendit. De *mis* autem nihil hodie apud Virgilium invenitur. Quin Servius ne *mi* quidem pro *mihi* poſitum concedere vult Æn. 6, 104. Idem tamen ad Æn. 2, 595, *mis* et *tis* nominativos ſingulares antiquos dicit. De Ennio alia res eſt.

25. *Satis eſt vetus*] *Satis* nimirum pro *valde*, (vid. Burm. Ep. p. 8, et quem laudat Broukh. ad Tib. 2, 7, 35,) pro quo etiam *oppido* dixerunt ſuperiores, v. g. Terentius et alii, ſed Quinctiliani ætas illud reſpuebat, non tamen ita vehementer, ut alterum, *Antigerio*, quod et ſupra 1, 6, 40. damnavit.

26. *Ærumnas*] Forte nimium hic indulget auribus ætatis ſuæ Fabius: certe nobis, qui Julii Cæſaris et Auguſti ævum primam dicendi regulam putamus, interdici non patimur vocabulo, quo ſæpe uſus eſt Cicero, quod definiit Tuſc. 4, 8, *ægritudinem laborioſam*. Similiter de verbo *reor*, *autumo*, *proles*, judicandum: vid. Voſſ. 4, 1, 7. Notabilis eſt locus Cic. de Orat. 3, 38. *Raro* (h. e. *nonnunquam* Pear-

rum[y] ſit, ſi[z] dicatur *labor*[a]. Horridum, *reor:* tolerabile,
autumo: tragicum[b], *prolem*[c] *ducendam*[d] *: univerſam*[e] *ejus*[f]
proſapiam, inſulſum[g]. Quid multa? totus prope[h] muta-
27 tus eſt ſermo. Quædam tamen adhuc vetera vetuſtate
ipſa gratius nitent, quædam etiam[i] neceſſario interim ſu-
muntur, *nuncupare*[k], et *fari*[l]*:* et[m] multa alia etiam au-
dientibus grata[n] inſeri poſſunt; ſed ita demum, ſi non
appareat affectatio, in quam mirifice Virgilius,[o]

[y] parvus G. [z] *om.* Kapp. [a] *om.* G. Jenſ. *Sed* quod *inſ.* G. G. 2. Jenſ. [b] *om.* Kapp. trigicum G. 2. [c] plolelem Kapp. [d] dicendam G. G. 2. Kapp. Jenſ. *et al. ap. Bur.* dicendum, *id eſt, dicere licet, conj. Werlhof.* Sed eruam univerſam ejus peroſapiam *Obr. quod placet Burm.* [e] univerſo G. 2. [f] ei G. [g] inſulſus G. [h] proprie G. 2. [i] eſſe G. 2. Jenſ. [k] enuncupare G. G. 2. Jenſ. *et al. unde natum aliorum* emancipare. [l] effari *Obr. recte puto: et probat Burm.* [m] *om.* G. G. 2. Kapp. Jenſ. [n] *om.* G. 2. Kapp. Jenſ. [o] et *inſ.* G. Jenſ.

cio interprete) *habet etiam in oratione poeticum aliquod verbum dignitatem: neque enim illud fugerim dicere, ut Cœlius,* Qua tempeſtate Pœnus in Italiam venit: *nec* prolem, *aut* ſubolem, *aut* effari, *aut* nuncupari; *aut, ut tu ſoles, Catule,* non rebar *aut* opinabar; *aut alia multa, quibus loco poſitis grandior atque antiquior oratio ſæpe videri ſolet.* De *proſapia* laudavit Voſſius locum Ciceronis e fragm. Timæi, *Jovem, Junonem, reliquos, et eorum, ut utamur veteri verbo,* proſapiam. Cæterum horribilis pene in his, quæ ſequuntur, lectionis varietas, quam male ſit habitus a librariis Quinctilianus,, oſtendit, et quam parum liquido conſtitui de ea hodie poſſit.

27. *nuncupare, et fari*] Verbum utrumque neceſſarium, quia ſolenne: alterum in *teſtamentis*, itemque in *votis*; *Effari* autem (ſic enim legendum putamus) in augurum diſciplina. Vide laudatos viro ſummo Cic. ad Att. 13, 42 extr. Serv. ad Æn. 3, 463, et 6, 197. Add. Cic. de Legg. 2, 8, *Urbemque, et agros, et templa liberata et effata habento*; ubi vid. Manut. ac Davieſ.

27. *mirifice Virgilius*] Quæcunque hic delirarunt librarii, aut ingenioſe ſomniarunt viri eruditi, referre omnia nec inſtituti noſtri, et tanto minus opus eſt, cum exſpectemus adhuc pleniſſimam Catalecton veterum poetarum editionem, quorum hæc non contemnenda pars eſt. Egerunt de illo Jo. Ba. Pius adnott. poſter. c. 43. Turneb. 27, 29. Scalig. ad Catal. p. 221 ſq. Salm. ad Solin. p. 814: laudati omnes Burmanno. Separemus ea, quæ certa ſunt, ut in hoc genere nimirum, ab illis, quæ mera tantum hariolatione conſtant. In Cimbrum iſta luſiſſe Virgilium, fratris ſui, ut fama ferebat, interfectorem, ipſe docet Fabius. Porro perſuadet Scaliger, illud epigramma reſpici ab Auſonio in Technopægnio tit. Grammaticomaſtix p. 495. Toll.

Dic, quid ſignificent Catalecta Maronis? in his AL
Celtarum poſuit, ſequitur non lucidius TAU,
Et quod Germano miſtum male letiferum MIN.

Hinc de ſententia epigrammatis Virgiliani colligere licet, voluiſſe poetam eadem opera et verborum inſolentiam Cimbro et fratricidium objicere, fingendo, verbis illis tanquam tot veneni ſpeciebus interfectum ab

Corinthiorum[p] *amator iste verborum,* 28
Iste[q] *iste rhetor : namque quatinus totus*
Thucydides Britannus[r], *Atticæ febres*[s],
Tau[t] *Gallicum, min*[u], *al spinæ male illisit*[x].
Ita omnia ista verba miscuit fratri[z].

[p] *Sic* G. G. 2. Kapp. Jens. *Alm. Voss.* 2. *Ald. Bas.* Hornitiorum Reg. Hormetiorum *Catal.* Hormethiorum Vascos. *Hinc* Hermætiorum *Turn. ut alludatur ad* Αἴτια *Callimachi, in quibus obscura multa vocabula.* Rhetor metrorum, *vel* meiorum, *h. e.* μειέρων *Scal.* Tumentiorum *Salmas.* Hermechiorum *Voss. ad Melam* 3, 4. Hemitomiorum *Bern. Moneta ap. Capper.* Hemioniorum, *i. e. hybridarum, et quasi mulorum Werlh.* [q] *Versum hunc om.* G. G. 2. Jens. [r] tyrannus *Catal. Ald. et plur.* [s] sepres Jens. febris *Catal. Salmas.* Attice febris *Werlh.* [t] tam G. 2. [u] enim et spinæ G. G. 2, Kapp. minet prosinet *Ald.* minæ et spiræ *Bas.* Spinæ ipsemet *Catal.* min ipse sit al illisit *Pith.* min ipsum et al ei illisit *Scal.* min sit et al *Salmas.* min al spinæ malæ Obr. [x] Male illi sit G. 2. *et conj. Werlh. qui ita connectit,* Male illi sit, Ut omnia ista verba miscuit fratri. [z] frater G. G. 2.

eo fratrem. Hæc, puto, generatim de emendatione atque interpretatione corruptissimi epigrammatis dici possunt. Reliqua ad singulos versus adscribemus.

28. *Corinthiorum*] Si placeat hæc lectio, vel ad luxum et delicias respici potest, vel ad misturam æris Corinthii, quod Pio probatur et Burmanno. Et tantis præsidiis nititur, ut possessione tueri se possit. *Hermætiorum* nimis eruditum videtur et abstrusum. Idem fere de Scaligeranis cogitatis dixerim. Lepida sunt, nisi quod Græca, *Hemitomia* et *Hemionia*.

28. *Thucydides Britannus*] In hac etiam lectione, ut videmus, conveniunt major meliorque pars MSStorum: ac potest Cimber iste cum Cæsare fuisse in Britannia, gente tum omnino barbara, potest de illa expeditione aliquid mandasse literis; eademque adeo forma *Thucydides Britannus* dictus esse, qua Trebatio suo ridiculam *ICti Britannici*, vel Samarobriviensis personam imponit Fam. 7, 11.

28. *Atticæ febres*] Febriculosum et frigidum Atticismi studium hic perstringi apparet. Placebat hanc in rem Werlhofii mei ratio, *Attice febris*, Ἀττικὴ, ut ipso vocabulo Græcismi adfectatio tangatur.

28. *Tau Gallicum*] Adhuc sic satis convenit inter libros. Nec puto facile esse aliam interpretationem invenire præter illam, quam Scaliger protulit, quæque firmari plurimis exemplis et ratione manifesta potest. *Tau, min, al,* pro *tauro, minio, allio,* pronuntiabant barbari Britanniæ insularis et Celticæ s. Gallicæ. Quare *Tau Gallicum* dixerit *taurum* Gallico more pronuntiatum. Potest adjungi illud quoque, quod monuit Pius, ex figura literæ *crucem* intelligi : quam ille fratricidio meruerit.

28. *min, al spinæ*] Hic vero tanta scripturæ et sententiarum diversitas, ut, qui certi quidquam explicare velit, nihil videatur agere. Qui *minæ* et *spinæ* legunt, possunt illi uti interpretatione Werlhofii, qui in *minis* Græcismi adfectationem reprehendi ait, cum Cimber non more Romano, et Sestertiaria ratione, sed Græcula per *minas* computandi utatur; *spinas* autem ipsam verborum asperitatem intelligit. Si autem verum est, quod supra posuimus, Ausonianum Grammaticomastiga huc respicere; ad Pithœi, Scaligeri, Salmasii conjecturas eundum, quæ omnes hoc habent, Cimbrum illum truncatorum, monosyllaborum certe, verborum adfecta-

29 Cimber [a] hic fuit, a quo fratrem necatum hoc Ciceronis dicto notatum eſt, *Germanum Cimber occidit.* Nec minus noto Salluſtius epigrammate inceſſitur,

Et verba antiqui multum furate Catonis
Criſpe, Jugurthinæ conditor hiſtoriæ.

30 Odioſa cura: nam eſt [b] cuilibet facilis, et hoc peſſima [c], quod [d] rei [e] ſtudioſus non verba rebus aptavit, ſed res extrinſecus arceſſit, quibus hæc verba conveniant. Fingere, ut primo libro dixi, Græcis magis conceſſum eſt, qui ſonis etiam quibuſdam et affectibus non dubitaverunt nomina aptare: non alia libertate, quam qua [f] illi primi homines
31 rebus appellationes dederunt. Noſtri autem, in jungendo aut derivando paullum aliquid auſi, vix in hoc ſatis recipiuntur. Nam memini juvenis admodum inter Pomponium et Senecam etiam præfationibus eſſe tractatum, an *gradus eliminat*, apud [g] Accium in Tragœdia, dici oportuiſſet. At veteres ne *expectorat* quidem timuerunt. Et
32 ſane ejuſdem notæ eſt, *exanimat.* At in tractu [h] et declinatione talia ſunt, qualia apud Ciceronem *beatitas* et *bea-*

[a] Cimbri G. [b] et G. *recte, puto.* [c] peſſimum G. Jenſ. [d] quia G. [e] *Vid. leg.* ejus. [f] *om.* G. Jenſ. [g] ap. Acc. *om. iid.* [h] tracta Jenſ.

tione enecare auditores: neque opus fuiſſe alio veneno ad fratrem, quem interfecerit, tollendum e medio. *Venena* vocat malos verſiculos Catullus c. 14, et c. 42 orationem *plenam veneni et peſtilentiæ.* Unum adjicimus, egregie huc advocatum a Burmanno Suetonii locum Aug. 86, ubi ab ipſo Auguſto, Tiberium ſuum monente, inter malos loquendi auctores (quæcunque de reliquo ſit illius loci vel ſcriptura verior vel interpretatio) *Cimber* refertur.

29. *Ciceronis dicto*] Acerbiſſimo illo Phil. 11, 6, in recenſu ſatyrico exercitus Antoniani, *Lumen et decus illius exercitus pene præterii, T. Annium Cimbrum, Lyſidici filium, Lyſidicum ipſum* [*Græco verbo*] *quoniam omnia jura diſſolvit: niſi forte* jure Cimber Germanum occidit.

29. *Salluſtius*] Accuſat illum hoc nomine Auguſtus eadem epiſtola, qua Cimbrum ab eo notatum diximus, apud Sueton. cap. 86. *Ut verbis, quæ Criſpus Salluſtius excerpſit ex Originibus Catonis, utaris.*

30. *verba rebus aptavit*] Niſi *aptavit* ἀορίςως Græco more ſumatur, quod familiare præſertim Senecæ; legendum videtur *aptat*; ſequitur enim *arceſſit, conveniant,* quæ parum reſpondent præterito.

30. *primo libro*] 1, 5, 71 ſq. Add. 8, 6, 31.

31. *gradus eliminat*] Extra limen profert, domo egreditur. Non eſt, ut adſcribamus huc, quæ cum maxime in Theſauro L. L. Stephaniano retractamus.

32. *tractu et declin.*] Ut nimirum *nomen* vel *cognomen trahere* aliquid ab altero dicitur. *Tractationem* vocat Cic. Partit. cap. 5, ubi ponuntur verba *ab oratore modificata, et inflexa quodammodo.*

titudo: quæ dura quidem ſentit eſſe, verumtamen uſu pu-
tat poſſe molliri. Nec a verbis modo, ſed a nominibus
quoque, derivata ſunt quædam, ut a Cicerone *Sullaturit*[i],
et ab[l] Aſinio *Fimbriaturit*[m] et *Figulaturit*. Multa ex Græ- 33
co formata nova, ac plurima a Sergio † Flavio, quorum
dura quædam[n] admodum videntur, ut[o] *ens*, et *eſſentia*:
quæ cur tantopere aſpernemur, nihil video, niſi quod ini-
qui judices adverſus[p] nos ſumus, ideoque paupertate ſer-
monis laboramus. Quædam tamen perdurant. Nam et, 34
quæ vetera nunc ſunt, fuerunt olim nova, et quædam in
uſu perquam recentia[q], ut Meſſala primus *reatum*, *mune-
rarium* Auguſtus primus[r], dixerunt. *Piraticam* quoque,
ut *muſicam* et[s] *fabricam*, dici adhuc dubitabant mei præ-
ceptores. *Favorem*, et *urbanum*, Cicero nova credit. Nam
et in epiſtola ad Brutum, *Eum*, inquit, *amorem*, *et eum (ut*[t]
hoc verbo utar) favorem in conſilium advocabo. Et ad Ap- 35
pium Pulchrum, *Te hominem*, *non ſolum ſapientem*, *verum*

[i] Syllatum G. Jenſ. *et al. ap. Bur.* ſyllabatum *Andr.* ſubuculatum *Aſc. Ald. et plur.* Ita *inſ.* G. *et al.* [l] *om.* Jenſ. [m] Fimbriatum et Fibulatum G. Jenſ. *et optimi quique ap. Burm.* † Sergio, Flavioque Jenſ. *et al. ap. Burm.* [n] quem *iid.* [o] utraque ens et entia Jenſ. utquens G. [p] apud G. [q] recenti G. *non male.* [r] primo dixerit G. *Deinde* Reatum nemo ante Meſſalam, numerarium nemo ante Auguſtum dixerat *inſ.* G. Jenſ. [s] *om.* G. [t] in *inſ.* Jenſ.

32. *dura qu. ſentit eſſe*] Vid. ſupra ad 1, 5, 72.

32. *Sullaturit*] Difficile eſt hic verum videre. *Sullaturit* eſſe Ciceronis, dubio caret; exſtat enim ad Att. 9, 10, poſt med. et laudat noſter deinde 8, 6, 32. Sed libri quam varient, indicavimus. *Fimbriaturit*, *Figulaturit*, conjecturæ ſoli debetur: ac de *C. Fimbriæ* furore res nota: *Figulaturit*, analogiam non ſervat, a *Figulo* ſi ducas, (forte Cluſinio illo, de quo 7, 2, 26,) *Fibulam* cognomen Romanum, unde *Fibulaturit* trahi poſſit, non inveniri puto. Itaque vehementer inclino in Burmanni ſuſpicionem, verius forte eſſe, ut legatur *ſubuculatum*, *fimbriatum*, *fibulatum*.

33. *Sergio Flavio*] Flavii *eſſentia* et *entia* commemorantur etiam ſupra 2, 14, 2. Diverſos homines eſſe Sergium et Flavium, recteque habere adeo lectionem *Sergio*, *Flavioque*, inde fit probabile, quod diverſarum gentium nomina ſunt, quæ in uno homine jungi, ſerius inſtitutum eſt. Laudat in hanc rem Burmannus Sirmondum ad Sidon. lib. 1. prin. Fabrett. Inſcr. c. 3, p. 203.

34. *ut Meſſala primus*] Quam ſuperfluam ſententiam paullo poſt inſerant libri veteres, ſub litera *r* indicatum eſt. Quid ſi ita dederit Fabius? *quædam in uſu perquam recenti. Reatum nemo ante Meſſalam, munerarium nemo ante Auguſtum dixerat.* His deinde gloſſam ſubjunxit aliquis, *ut Meſſala primus reatum*, *munerarium Auguſtus primo dixerit.* Hæc pro Fabii verbis arrepta a Criticis priorem ſenſum eliſere.

35. *ad Appium Pulchrum*] Fam. 3, 8.

etiam (ut nunc loquuntur [u]) urbanum. Idem putat a Terentio primum dictum esse *obsequium.* Cæcilius ad [x] Sisennam, *Albenti cœlo. Cervicem* videtur Hortensius [y] primus [z] dixisse: nam veteres pluraliter appellabant [a]. Audendum itaque. Neque enim accedo Celso, qui ab oratore verba fingi vetat. Nam, cum sint eorum alia (ut
36 tore verba fingi vetat. Nam, cum sint eorum alia (ut dicit Cicero) *nativa,* id est, *quæ significata sunt* primo [b] *sensu:* alia *reperta,* quæ ex his facta sunt: ut jam nobis ponere alia [c], quam [d] quæ [e] illi rudes homines primique fecerunt, fas non sit, at *derivare, flectere, conjungere,* quod
37 natis postea concessum est, quando desiit licere [f]? Et, si quid periculosius finxisse videbimur, quibusdam remediis præmuniendum est, *Ut ita dicam; Si licet dicere; Quodam-*

[u] loquimur G. [x] a Sisenna G. *et al. ap. Bur. vid. leg.* ac Sis. *v. no.* [y] Torrentius G. 2. [z] primum G. [a] appellant G. Jens. [b] primo —sunt *om.* G. *et al. ap. Burm.* [c] aliqua G. [d] quam *om.* G. Jens. [e] quod G. [f] licet G.

35. *a Terentio dictum*] Si respicit, ut videtur, Læl. c. 24, non hoc dixit Cicero, Terentium primo usum verbo *obsequii,* quod falsum esset; sed Lælium (cui quidam tribuebant Terentii fabulas) ex personæ decoro introducit laudantem primo versiculum illum familiaris sui *obsequium amicos,* ac mox dicentem, *In obsequio autem, quoniam Terentiano verbo lubenter utimur,* &c. Verbo *obsequi* honestissima significatione sæpe uti Terentium, vel index docuerit.

35. *Cæcilius ad Sis.*] Ostendit Burmannus, Cæcilium Comicum *ad Sisennam* historicum scribere per temporum rationes non potuisse. Suspicatur igitur merito, legendum *Cæcilius,* vel etiam *Cælius* Antipater, historicus, *ac Sisenna.*

35. *Cervicem Hortensius*] Habet hoc Fabius a Varrone, ut videtur, qui de L. L. 7, 5, et 9, 4, extr. Hortensio hoc tribuit: et priore quidem loco addit, *in poëmatis.* Sed refutatur testimoniis Pacuvii apud Cic. de Divinat. 2, 64, ubi testudini *cervix anguina* tribuitur, et Lucretii 6, 744.

36. *ut dicit Cicero*] Partit. c. 5. *Simplicia verba partim* nativa *sunt, partim* reperta. Nativa *ea, quæ significata sunt sensu:* reperta, *quæ ex his facta sunt, et novata aut similitudine, aut imitatione, aut inflexione, aut adjunctione verborum.* Formula, *quæ significata sunt sensu,* obscuritatis aliquid habet. Intelligendus est ipse sensus communis, qui significavit, indicavit (de quorundam sententia) hominibus prima illa verba. Hæc sunt verba *pene una nata cum ipsis rebus,* ut loquitur de Orat. 3, 37. Magna olim disputatio agitabat philosophos, essentne ex conventione quadam et impositione data prima illa nomina, an ab ipsa natura, vel Deo adeo, orta? ut, qui nominum rationem teneret, ipsas rerum, quas notant, naturas ignorare non posset. Hoc in utramque partem disputatur in Platonis Cratylo. Jam Hippocrates de arte 3, 4, τὰ ὀνόματα φύσιος νομοθετήματα appellat: unde apparet, nihil novasse Platonem, cum νομοθεσίας et νομοθέτȣ in hoc argumento nominibus crebro utitur; nec fuisse adeo, quod ὀνομοθεσίαν substituere vellet Ficinus Marsilius.

modo; *Permittite*[ff] *mihi ſic uti*[g]. Quod idem etiam in iis,
quæ licentius tranſlata erunt, proderit[h], quæ non tuto dici
poſſunt. In quo non falli judicium noſtrum, ſolicitudine
ipſa manifeſtum erit[i]. Qua de re Græcum erit illud[k]
elegantiſſimum, quo præcipitur ita[l], προεπιπλήσσειν[m] τῇ
ὑπερβολῇ. *Tranſlata* probari, niſi in contextu ſermonis,
non poſſunt. Itaque de[n] ſingulis verbis ſatis dictum, quæ, 38
ut alio loco oſtendi, per ſe nullam virtutem habent. Sed
ne inornata[o] ſunt[p] quidem, niſi cum ſunt infra rei, de
qua loquendum eſt, dignitatem: excepto, ſi obſcæna nu-
dis nominibus enuntientur. Quod viderint, qui non pu- 39
tant eſſe vitanda, quia nec ſit vox ulla natura turpis: et, ſi
qua eſt rei deformitas, alia quoque appellatione quacum-
que ad intellectum eumdem nihilominus perveniat. Ego
Romani pudoris more contentus, ut jam reſpondi talibus,
verecundiam ſilentio vindicabo. Jam hinc igitur ad con- 40
juncti ſermonis rationem tranſeamus. Cujus ornatus in
hæc duo prima dividitur, quam concipiamus elocutionem,
quo modo efferamus. Nam primum eſt, ut liqueat[q], au-
gere quid velimus, an minuere; concitate dicere, an mo-
derate; læte, an ſevere; abundanter, an preſſe; aſpere,
an leniter; magnifice, an ſubtiliter; graviter, an urbane.
Tum, quo tranſlationis genere, quibus figuris, qualibus 41
ſententiis, quo modo, qua poſtremo collocatione id, quod
intendimus, efficere poſſimus. Ceterum dicturus, quibus
ornetur oratio, prius ea, quæ ſunt huic contraria laudi,
attingam: nam *prima virtus eſt, vitio carere*. Igitur ante 42

[ff] permittere Jenſ. permitte G. [g] *om.* Jenſ. [h] proderunt G. [i] eſt G. [k] *om.* G. [l] *om.* G. *recte.* [m] προσεπ.πλάττειν G. [n] *om.* Jenſ. [o] inordinata G. [p] quidem quæ ſunt G. Jenſ. [q] liceat G.

37. *quæ licentius tranſlata*] Jam adnotavit Philander Cic. de Orat. 3, 41, *Si vereare, ne paullo durior tranſlatio eſſe videatur, mollienda eſt præpoſito ſæpe verbo* &c. Sed plena manu, quæ huc pertinent, congeſſit Tollius ad Longin. 32, 3, p. 173, ubi παραμυθίας, θεραπείας, μειλίγματα appellari videas, quibus audacior tranſlatio excuſatur. Ἄκος addi poterat ex Ariſtotelis loco jam citando.

37. προεπιπλήσσειν] Sumtum ex Ariſtot. Rhet. 3, 7, 12, ubi minus accurate legitur προσεπιπλήσσειν. Multa de hoc verbo H. Stephanus pr. adnotationum in expoſitiones proverbiorum quorundam Eraſmicorum. Breviter, προεπιπλήττειν ἑαυτῷ vel τῇ ὑπερβολῇ dicitur orator, cum exceſſum quemvis primus ipſe reprehendit, ut non judicio labi videatur, ſed ipſa rei magnitudine impelli.

38. *alio loco*] 1, 5, 3.

39. *vox ulla natura turpis*] Uti volunt Stoici, in nobili ad Pætum epiſtola Cic. 9, 22. Nota etiam Bælii (Bayle) diſputatio.

41. *prima virtus*] Horat. Epiſt. 1, 1, 41. *Virtus eſt vitium fugere, et ſapientia prima Stultitia caruiſſe.*

omnia NE ſperemus ornatam orationem fore, quæ proba-
bilis non erit. *Probabile* autem Cicero id genus dicit,
quod non plus minuſve eſt, quam decet[r]. Non, quia comi
expolirique non debeat: (nam et hæc ornatus pars eſt)
43 ſed, quia VITIUM eſt ubique, quod nimium eſt. Itaque
vult[s] eſſe *auctoritatem et*[t] *pondus in verbis, ſententias vel
graves, vel aptas opinionibus hominum ac moribus.* His
enim ſalvis licet aſſumere ea, quibus illuſtrem fieri oratio-
nem putat, *delecta*[u], *tranſlata, ſuperlata*[x], *ad nomen ad-
juncta, duplicia*[z], *et idem ſignificantia, ab*[a] *ipſa actione atque*
44 *ab imitatione rerum non abhorrentia.* Sed, quoniam vitia
prius demonſtrare aggreſſi ſumus, vel hoc vitium ſit[b],
quod κακόφατον[c] vocatur: *ſive* mala conſuetudine in ob-
ſcænum intellectum ſermo detortus eſt, ut *ductare exerci-*

[r] dicit G. J. [s] in nobis G. Jenſ. *omiſſo* vult. [t] et pondus *om. iid.* [u] Delectat G. Delectant *al. Vid. no.* [x] ſupra lata G. Jenſ. [z] *om.* G. duplicata *forte dedit Fabius ex Cic. h. e. compoſita.* [a] ab i. act. *om.* G. Jenſ. [b] *om.* G. [c] *κακεφατον* G. *forte fuit κακήφατον, aut* cacemphaton, *κακέμφατον, quod maxime probat H. Stephanus de abuſu Gr. L.* p. 129.

42. *Probabile Cicero*] Partit. c. 6. *Probabile genus eſt orationis, ſi non nimis eſt comtum atque expolitum, ſi eſt auctoritas et pondus in verbis, ſi ſententiæ vel graves, vel aptæ opinionibus hominum et moribus.* Nimirum *probabile* eſt non modo veriſimile, ſed quod probari, placere, laudari poſſit.

43. *delecta, tranſlata*] Sic legendum non dubitabit, qui inſpicere Ciceronis verba voluerit. His enim, quæ modo laudavimus, ſubjungit, *Illuſtris autem oratio eſt, ſi et verba gravitate delecta ponuntur, et tranſlata, et ſuperlata, et ad nomen adjuncta, et duplicata,—abhorrentia.* Origo mendi, quod ſuſtulimus, inde, quia ad *delecta* primum adhæſit inter dictandum prima litera vocis *tranſlata*; deinde cum male cohæreret ſingulare verbum pluralibus, *delectant*; conſequens fuit, ut aliter interpungeretur &c.

44. *ductare exercitus*] Utitur eo Salluſtius Catil. 11, 5, et Jug. 70, 2. Delicatuli quidam et belli homines erubeſcere ſe fingunt ad id verbum, quoniam Plautus Aſin. 1, 3, 12, ſqq. 5, 2, 13, et alias ſæpe eo utitur in negotio lenonio et meretricio. Cortius ad locum poſteriorem Salluſtii turpius etiam quiddam ſuſpicatur ex Juven. 6, 238. In *patrandi* verbo, quo uſi ſunt ante et poſt Fabium optimi quique ſcriptores, non minus abſurde turpiculum quiddam quærebant Fabii ævo quidam vel ſtulte delicati vel frigide jocoſi, qui bonam nobis honeſtiſſimorum verborum partem eriperent, ſi ponere non liceret, quocunque impuri homines male aliquando uſi ſunt; *facere, pati, ludere, molere* non liceret dicere, et ſexcenta alia. Eſt tamen, ubi *evincentibus vitiis*, ut ait noſter, h. e. prævalentibus concedendum ſit, quod noſtræ etiam conſuetudinis verbo declarare licet. *Scheren* tondere ſignificat Germanis, puto, omnibus: ſignificat etiam majori eorum parti ludere aliquem vel liberalius, vel cum aliqua etiam vexatione aut ignominia: ſed Lipſiæ honos præfandus eſt, &c. De illo *Ductare exercitum* conf. Bur. ad Val. Flacc. 6, 377.

tus,

tus, et *patrare bellum*, apud Salluſtium dicta ſancte et an-
tique, ridentur[d] a nobis, ſi diis placet; quam culpam non
ſcribentium quidem judico, ſed legentium; tamen vitan- 45
da, quatenus verba honeſta moribus perdidimus, et evin-
centibus etiam vitiis cedendum eſt: *ſive* junctura defor-
miter ſonat, ut, ſi *cum hominibus notis loqui* nos dicimus,
niſi[e] hoc ipſum *hominibus* medium ſit, in præfanda[f] vide-
mur incidere; quia ultima prioris ſyllabæ litera, quæ ex-
primi, niſi labris[g] coeuntibus, non poteſt, aut interſiſtere
nos indecentiſſime cogit, aut continuata[h] cum inſequente,
in[i] naturam[l] ejus corrumpitur. Aliæ[m] conjunctiones ali- 46
quid ſimile faciunt, quas perſequi longum eſt, in eo vitio,
quod vitandum dicimus[n], commorantes. Sed *diviſio* quo-
que[o] affert eamdem injuriam pudori, ut, ſi *intercapedinis*
nominativo caſu quis utatur. Nec ſcripto modo id acci- 47

[d] ridentibus ſi G. Jenſ. [e] niſi hoc *om.* G. [f] *Sic* G. *it. Obr. et plur. ap. Burm.* præfata *rel.* [g] libris G. laboris Jenſ. [h] cogitata G. Jenſ. [i] *om.* G. [l] natura G. Jenſ. [m] aliquæ G. aliæque Jenſ. [n] ſcimus G. [o] *om.* G.

45. *in præfanda*] Quibus *honor præfandus* ſit, ut Plin. 7, 51, ſ. 52, inter *ſigna letalia* refertur *præfandi humoris e corpore effluvium*.

45. *prioris ſyllabæ*] Clarius dixiſſet *primæ*; loquitur enim de M ultima ſyllabæ CUM. Hæc *exprimi niſi labris coeuntibus non poteſt*; unde eſt illud ænigma de fratribus quatuor et viginti eadem porta exeuntibus, quorum duodecimus claudat valvas. Igitur etiam in compoſitis facile tranſit in proximam liquidam, ut in *colligo*, *connatus*, *corrado*. Quare ſi jungas *cum notis*: aut diſtinctæ pronuntiationis cauſſa claudenda labia poſt primam ſyllabam, et indecore inſiſtendum inter præpoſitionem et ejus caſum, aut pronuntiandum *cunnobis*, &c. ut *m* litera in naturam ſequentis *n corrumpatur*, h. e. mutetur, qua ratione duæ priores ſyllabæ efficiunt id nomen, quod dici honeſte non poterat, licet Satyrici eo frequenter, Horatius etiam per Synecdochen partis diſtinguentis et petitæ pro toto, uterentur.

46. *diviſio quoque*] Non formaliter tantum, ut loquuntur Scholaſtici, poſuit hanc vocem, ſed materialiter etiam pro ſe ipſa. Significant enim tres poſteriores ſyllabæ ſimile quiddam ei, quod duæ in *intercapedo*, id quod etiam in Ciceronis epiſtola citata obſervatum. Neque vero fugit Fabium nominis hujus ratio, qui in hoc ipſo tractatu epiſtolam Ciceronis præ oculis videtur habuiſſe. Sed ita ponit, ut, quod alias ſolet, exempli vim præceptum habeat, (vid. ad 8, 2, 15) et tanto magis pudori ſuo conſulat, quo minus ſtatim, quid ſibi velit, lectores obſervant. In hoc itaque ſolo non convenit mihi cum Jo. Frid. Chriſtii, elegantiſſimo ingenio, ſumma doctrina, et moribus candidiſſimis viri, interpretatione hujus loci, quam dedit Noctt. Acadd. Obſ. 9, p. 112, ſqq. unde etiam cognoſcere poſſunt ſtudioſi, reliqua ad hunc de obſcœnis locum pertinentia unde peti queant.

47. *Nec ſcripto—ſenſu*] Utitur diviſione alias uſitata in cauſſis, *ſcripti* et *voluntatis*. Ad *ſcriptum* pertinent, quæ de *junctura* ac *diviſione* vocum dixit: hæc enim ſcripto vel committi poſſunt, vel evitari, ſi non ſcribas v. g. *cum nobis*, ſed *nobiſ-*

dit, ſed etiam ſenſu plerique obſcæne intelligere, niſi caveris, cupiunt: ut apud Ovidium,

Quæque latent, meliora putat;

ac ex verbis, quæ longiſſime ab obſcænitate abſunt, occaſionem turpitudinis rapere. Siquidem Celſus cacophaton [p] apud Virgilium putat,

Incipiunt agitata tumeſcere,

48 quod ſi recipias, nihil loqui tutum eſt. Deformitati proximum eſt *humilitatis vitium*, ταπείνωσιν vocant, qua rei magnitudo vel dignitas minuitur: ut, *Saxea* [q] *eſt verruca in ſummo montis vertice.* Cui natura contrarium, ſed errore par eſt, parvis dare excedentia modum nomina, niſi cum ex induſtria riſus inde captatur. Itaque nec parricidam, *nequam* dixeris hominem, nec deditum forte meretrici, *nefarium*: quod alterum parum, alterum nimium eſt.
49 Proinde quædam [r] *bebes, ſordida, jejuna, triſtis, ingrata, vilis* oratio eſt. Quæ vitia facillime fiunt [s] manifeſta contrariis virtutibus. Nam primum *acuto*, ſecundum *nitido*, tertium *copioſo*, deinceps [t] *hilari, jucundo, accurato* diverſum eſt.
50 Vitanda [u] & μείωσις, cum ſermoni quidem [x] deeſt aliquid, quod [z] minus plenus ſit, quamquam id obſcuræ potius,

[p] cacephaton G. Jenſ. *Vid. ſupra no. c.* [q] ea G. ex ea Jenſ. *et al. ap. Bur.* [r] quæ hæc habet Jenſ. quædam ſordida G. [s] fient G. [t] denique G. [u] vitari G. vitatum Jenſ. [x] *om.* G. [z] quod—plenum G.

cum, ſi non ponas nominativum *intercapedo*: *ſenſus* autem etiam bonus interdum pervertitur ab impuris vel jocoſis certe hominibus, qui *cupiunt obſcæne intelligere*, quæ alium in ſenſum dicta ſunt. Ita v. g. caſtiſſima Virgilii hemiſtichia in Centone nuptiali alſorſum plane detorſit Auſonius, qui virgines illius muſas arcana nuptialis tori, non ſine rubore illarum, coegit Latine admodum ac diſerte eloqui.

47. *Virgilium*] Georg. 1, 357.

48. *Saxea eſt verruca*] Incertum, an eundem ex Originibus Catonis locum præ oculis habuerit Fabius, quem Gellius 3, 7, qui illud videtur indicare, ſolenne fuiſſe Catoni, *locum editum aſperumque verrucam* appellare. Certe *Saxea* apud Gellium non eſt. Quod ſi hic etiam pro *Saxea* legas e MSS. *ex ea*, intell. ταπεινώσει, propius ad locum Gellii acceſſeris, quod nec Burmanno diſplicet. Cæterum reprehendit hic etiam, quod amat, Fabium ὁμότεχνος Voſſius 4, 6, 9: et eſt ſane tanta ſimilitudo ut Gelliana definitione et *verruca* proprie dicta, et id, quod vult Cato, non indicetur modo, ſed prope depingatur. Melius certe hoc, quam *umbilicus terræ* dictum mihi videbatur, quod ita multis placuit, (vid. Voſſ. laudatiſſimi operis 4, 6, 1) nec pejus, quam *venæ*, quas *auri* et aliorum metallorum terræ tribuimus.

48. *ex induſtria*] Totus fere lepos Βατραχομυομαχίας, Virgiliani de apibus carminis, et eorum omnium, quibus minutarum rerum elogia continentur, ex eo fonte profluxit.

quam inornatæ orationis vitium eſt. Sed hoc quoque cum a prudentibus fit, ſchema dici ſolet, ſicut ταυτολογία, id eſt, ejuſdem verbi aut ſermonis iteratio. Hæc enim, 51
quamquam non magnopere ſummis auctoribus vitata[a], interim vitium videri poteſt: in quod ſæpe incidit etiam Cicero, ſecurus tam parvæ obſervationis, ſicut hoc loco, *Non ſolum igitur illud judicium judicii ſimile, Judices, non fuit.* Interim mutato[b] nomine ἐπανάληψις dicitur, atque eſt et ipſum inter ſchemata: quorum exempla illo loco reddam, quo virtutes erunt. Pejor[c] hac ὁμοιολογία eſt, quæ nulla 52
varietatis gratia levat tædium, atque eſt tota coloris[d] unius, quæ maxime deprehenditur carens arte oratoria, eaque[e] et in ſententiis, et figuris, et compoſitione[f] longa, non animis ſolum, ſed etiam auribus eſt ingratiſſima. Vitanda 53
μακρολογία, id eſt, longior, quam oporteat, ſermo, ut apud Livium, *Legati, non impetrata pace, retro domum, unde venerant, abierunt.* Sed huic vicina periphraſis virtus habetur. Eſt et πλεονασμὸς vitium, cum ſupervacuis verbis oneratur oratio, *Ego meis oculis vidi.* Satis eſt enim, 54
vidi. Emendavit hoc non[g] inurbane in Hirtio[h] Cicero, qui[i], cum in Panſam declamans, *filium a matre decem menſibus in utero latum eſſe* dixiſſet, *Quid? aliæ,* inquit, *in penula*[k] *ſolent ferre?* Nonnumquam tamen illud genus, cujus exemplum priore loco poſui, affirmationis gratia adhibetur,

——*Vocemque his auribus hauſi.*

[a] vitanda G. [b] mutatio nominis G. [c] pejor hac *om.* G. [d] dotis un. qua G. *et al. ap. Bur.* [e] æque ut et ſententiis G. *et Voſſ.* 2. [f] impoſitione Jenſ. [g] etiam urbane G. Jenſ. [h] Hirtii G. Hirtium Jenſ. [i] cauſſa paſſivum G. cum paſſivum Jenſ. *Hinc* Paſſienum *ſuſpicabatur Regius.* [k] *Forte* perula: *vid. no.*

51. *Cicero*] Pro Cluent. c. 35, ubi tamen interpunctione Sylvius et Grævius τὸ ταυτολόγον ſuſtulerunt, *Non fuit igitur illud judicium: judicii ſimile, judices, non fuit.* Illa forte familiaris potius ταυτολογία quam anaphora ſpecioſa fuerit, quod Fam. 3, 7, ponit, *An ego tibi obviam non prodirem? primum, Appio Claudio?* deinde, *imperatori?* deinde, *more majorum?* deinde, *quod caput eſt, amico?*

53. *apud Livium*] Dicitur eſſe libro 8.

54. *in Hirtio*] Qui cum Dolabella, aliiſque declamaret apud Ciceronem: vid. Fam. 9, 18.

54. *in penula*] Si ita dedit Quinctilianus, ſinus veſtis intelligendus fuerit. Verum cum *penula* non ſit inter ordinarias mulierum veſtes, olim placuit viris eruditis Paſſeratii conjectura, ſuſpicantis *in perula.* Cæterum nimis forte hic urbanum fuiſſe Ciceronem, ex uſu frequenti Romanorum Græcorumque probabile facit Burmannus, qui *uteri,* τῆς γαστρὸς mentionem frequentiſſime faciunt.

54. *Vocemque*] Virg. Æn. 4, 359.

55 At[l] vitium erit, quoties otiofum fuerit, et fupererit, non,
cum[m] adjicietur. Eft etiam, quæ *περιεργία* vocatur, *fu-
pervacua* (ut fic dixerim) *operofitas*, ut a diligenti *curiofus*,
et a religione *fuperftitio* diftat. Atque, ut femel finiam[n], ver-
bum omne, quod neque intellectum adjuvat, neque orna-
56 tum, *vitiofum* dici poteft. Κακόζηλον, id eft, *mala affec-
tatio*, per omne dicendi genus peccat. Nam et *tumida*,
et *exilia*, et *prædulcia*, et *abundantia*, et *arceffita*, et *ex-
fultantia*, fub idem nomen cadunt. Denique κακόζηλον
vocatur, quidquid[o] eft ultra virtutem, quoties ingenium
judicio caret, et fpecie boni fallitur: omnium in eloquen-
57 tia vitiorum peffimum. Nam cetera parum[p] vitantur,
hoc petitur. Eft autem totum in elocutione. Nam *rerum
vitia* funt, *ftultum*, *commune*, *contrarium*, *fupervacuum*:
corrupta oratio in verbis maxime *impropriis*, *redundantibus*,
comprehenfione obfcura, *compofitione fracta*, *vocum fimilium*
58 aut *ambiguarum puerili captatione* confiftit. Eft autem
omne[r] κακόζηλον utique falfum, etiamfi non omne falfum
κακόζηλον, ut[s], cum dicitur aliter, quam fe natura habet,
et quam oportet, et quam fat eft. Totidem autem gene-
ribus corrumpitur oratio, quot ornatur. Sed de hac parte
et in alio a[t] nobis opere plenius dictum eft, et in hoc fæpe
tractabitur[x], et adhuc fpargetur[z] omnibus locis. Lo-
quentes[a] enim de ornatu, fubinde, quæ funt vitanda, fi-
milia[b] virtutibus vitia dicemus. Sunt inornata[c] et hæc,
59 *Quod male difpofitum eft, id*[d] ἀνοικονόμητον· *Quod male
figuratum, id*[d] ἀσχήματον·[e] *Quod male collocatum, id*[d] κα-
κοσύνθετον vocant. Sed de *difpofitione* diximus: de *figuris*
et *compofitione* dicemus. Κοινισμὸς[f] quoque appellatur
quædam mixta ex varia ratione linguarum oratio, ut,

[l] Tale G. *vid. leg.* Quare. [m] tamen G. [n] vel *inf.* G. Jenf. [o] quod quidem ultra G. [p] *Sic G. et MSS. plur. ap. Bur.* cæt. vitantur Jenf. cum vitentur *al.* [r] nomen G. [s] et dic. G. etiam dic. Jenf. [t] *om.* G. Jenf. [x] tractatur G. Jenf. [z] fpargitur Jenf. [a] Loquente *id.* [b] autem *inf.* G. [c] in ornatu G. Jenf. [d] *om.* G. *ter.* [e] ἀσχηματιστον G. [f] σωραισμὸς G.

56. *cetera parum vitantur*] Prætuli lectionem non auctoritate modo, fed elegantia etiam, ut mihi videtur, præftantem. Horat. A. P. 353, *Non ego paucis Offendar maculis, quas aut incuria fudit, Aut humana parum cavit natura.*

58. *in alio opere*] Quodcunque fuerit hoc opus, fuit autem fine dubio *de cauffis corruptæ eloquentiæ*, diverfum certe fuit ab eo, qui nunc fupereft de hac re, dialogo: in quo nihil fpecialium præceptionum habeatur, fed in univerfum cauffæ indicantur, cur circa fextum Vefpafiani patris annum multum jam defecerit ab Tulliani ævi faftigio eloquentia,

ſi [g] Atticis Dorica, Ionica, Æolica etiam dicta confundas. Cui ſimile vitium eſt apud nos, ſi quis ſublimia humilibus, 60
vetera novis, poetica vulgaribus miſceat. Id enim tale eſt monſtrum, quale Horatius in prima parte libri de arte poetica fingit,

> *Humano capiti cervicem pictor equinam*
> *Jungere ſi velit*———

et cetera [h] ex diverſis naturis ſubjiciat. *Ornatum* eſt, quod 61
perſpicuo ac probabili plus eſt. Ejus primi ſunt gradus in eo, quod velis, exprimendo [i], concipiendoque: tertius, qui hæc nitidiora faciat, quod proprie dixeris *cultum*. Itaque ἐνάργειαν, cujus in præceptis narrationis feci mentionem, quia plus eſt *evidentia*, vel, ut alii dicunt, *repræſentatio*, quam *perſpicuitas*, et illud [l] quidem patet, hæc ſe quodammodo oſtendit, inter ornamenta ponamus. Magna 62
virtus eſt, res, de quibus loquimur, clare, atque ut cerni videantur, enuntiare. Non enim ſatis efficit, neque, ut debet, plene dominatur oratio, ſi uſque ad aures volet, atque ea ſibi judex, de quibus cognoſcit, narrari credit, non exprimi, et oculis mentis oſtendi. Sed, quoniam 63
pluribus modis accipi ſolet, non equidem in omnes eam [m] particulas ſecabo [n], quarum [o] ambitioſe a quibuſdam numerus augetur [p], ſed maxime neceſſarias [q] attingam.

[g] *om.* G. [h] ea eſſe ex G. Jenſ. [i] exprimi decentius quod hæc G. *et plur. ap. Bur.* concipiendaque *om.* Jenſ. [l] *Vid. leg.* illa, *aut deinde* hoc. [m] eas G. [n] locabo G. Jenſ. [o] quorum *iid.* [p] agetur G. [q] neceſſarius G.

61. *Ejus primi ſunt gradus*] Hic locus, niſi fallor, corruptus eſt. Fabius quidem ita jungere non potuit, *in eo, quod velis, exprimendo concipiendoque:* neque multum profeceris, ſi invertas cum Rollino *concipiendo exprimendoque.* Fortaſſe voluit aliquis in margine indicare, *perſpicuum et probabile primos eſſe gradus* ornatæ orationis. Hæc obſervatio deinde cum in Fabii contextum temere irrepſiſſet, *tertio* gradui confingendo, et immutandæ orationi locum dedit. Certe non incommoda orietur ſententia, ſi ita jungas, *Ornatum eſt, quod perſpicuo et probabili plus eſt in eo, quod velis exprimi decentius, quod hæc,* perſpicua nempe atque probabilia, *nitidiora faciat* &c.

61. *et illud quidem patet*] Res clara, *Perſpicuum* quod eſt, *patet* his, qui oculos advertunt, intelligitur attendentibus: τὸ ἐναργὲς, *evidens, repræſentatum ſe oſtendit,* ingerit ultro, etiam nolentium, oculis, et in mentes vi quadam irrumpit. Neque illud turbare nos debet, quod *illud* refertur ad proximius, (vid. 6, 1, 9) ſed generis illa diſcrepantia vix tolerabilis eſt. Itaque melius legas, ut indicavimus, *et illa quidem* &c. De ἐναργείᾳ vid. etiam 4, 2, 63. 6, 2, 32.

Eſt igitur unum genus, quo tota rerum imago quodam modo verbis depingitur.

Conſtitit in digitos extemplo arrectus uterque,

et cetera, quæ nobis illam pugilum congredientium faciem [r] ita oſtendunt, ut non clarior futura fuerit ſpectantibus.
64 Plurimum in hoc genere, ſicut in ceteris, eminet Cicero.
An quiſquam tam procul a concipiendis imaginibus rerum
abeſt, ut [s], cum illa in Verrem legit, *Stetit ſoleatus Prætor*
populi Romani cum pallio purpureo, tunicaque talari, muli-
ercula nixus, in litore, non ſolum ipſum os intueri videatur,
et [t] locum, et habitum, ſed quædam etiam ex iis, quæ dicta
65 non ſunt, ſibi ipſe adſtruat? Ego certe mihi cernere videor
et vultum, et oculos, et deformes utriuſque blanditias, et
eorum, qui aderant, tacitam averſationem [u], ac timidam [x]
66 verecundiam. Interim ex pluribus efficitur illa [z], quam
conamur exprimere, facies, ut eſt apud eumdem (namque
ad omnium ornandi [a] virtutum exempla [b] vel unus [c] ſufficit)
in deſcriptione convivii luxurioſi, *Videbar videre alios in-*
trantes, alios vero exeuntes, quoſdam ex vino vacillantes,
quoſdam heſterna potatione oſcitantes. Verſabatur [d] *inter hos*
Gallius unguentis oblitus, redimitus coronis. Humus erat
immunda, lutulenta vino, coronis languidulis, et ſpinis co-
67 *operta piſcium.* Quid plus videret, qui intraſſet? Sic ur-
bium captarum creſcit miſeratio. Sine dubio enim, qui
dicit *expugnatam* eſſe civitatem, complectitur omnia, quæ-
cumque talis fortuna recipit: ſed in affectus minus pene-
68 trat brevis hic velut nuntius. At, ſi aperias hæc, quæ
verbo uno incluſa erant, apparebunt et [e] *fuſæ per domos*

[r] aciem G. Jenſ. [s] ut non cum in G. [t] et locum *om.* G. [u] averſionem G. [x] tumidam G. [z] illorum G. [a] ornatum G. [b] exemplum Jenſ. [c] una G. [d] verſabatur—coronis *om.* G. [e] effuſæ G. Jenſ.

63. *Conſtitit in dig.*] Virg. Æn. 5, 426.

64. *a concipiendis imag.*] De quibus ſupra 6, 2, 29 ſqq. Locus Ciceronis eſt in Verr. 5, 33. Repetit 11, 3, 90.

64. *ſibi ipſe adſtruat*] Sicut *adſtruit auditis pavor* Sil. Ital. 4, 8.

65. *timidam verecundiam*] In *verecundia* ſemper ineſt *timor*: itaque parum abeſt, quin *tumidam* probem, i. e. iratam. Sed hoc ſenſu eſt poeticum.

66. *Videbar videre*] Ex oratione pro Gallio, quod indicavit ex Aquila Romano Victorius Var. Lect. 22, 5. Laudat iterum noſter 11, 3, 165.

68. *ſi aperias—apparebunt*] Hæc ipſa jam verba ad ἐνάργειαν illam, quam deſcribit Fabius, multum conferunt. Cæterum non puto hanc captæ ur-

ac templa flammæ, et ruentium tectorum fragor, et ex diverſis clamoribus unus quidam ſonus: aliorum fuga incerta, alii in extremo complexu ſuorum cohærentes, et infantium feminarumque ploratus, et male in illum uſque diem ſervati fato ſenes: tum illa profanorum ſacrorumque direptio, efferentium 69
prædas repetentiumque diſcurſus, et acti ante ſuum quiſque prædonem catenati, et conata retinere infantem ſuum mater, et, ſicubi majus lucrum eſt, pugna inter victores. Licet enim hæc omnia (ut dixi) complectatur *everſio*, minus eſt tamen totum dicere, quam omnia. Conſequemur autem, 70
ut manifeſta ſint, ſi fuerint veri ſimilia: et licebit etiam falſo adfingere, quidquid fieri ſolet. Contingit eadem claritas etiam ex accidentibus.

- - - *Mihi frigidus horror*
Membra quatit, geliduſque coït formidine ſanguis.

et,

- - - *Trepidæ matres preſſere ad pectora natos.*

Atque hujus ſummæ, judicio quidem meo, virtutis facil- 71
lima eſt via. Naturam intueamur: hanc ſequamur. Omnis eloquentia circa opera vitæ eſt, ad ſe refert quiſque, quæ audit; et id facillime accipiunt animi, quod agnoſcunt. Præclare vero ad inferendam rebus lucem 72
repertæ ſunt *ſimilitudines*; quarum aliæ ſunt, quæ probationis gratia inter argumenta ponuntur, aliæ ad exprimendam rerum imaginem compoſitæ, quod eſt hujus loci proprium,

- - - *Inde lupi ceu Raptores atra in nebula.*

et,

- - - *Avi ſimilis, quæ circum litora, circum*
Piſcoſos ſcopulos humilis volat æquora juxta.

Quo in genere id [f] eſt præcipue cuſtodiendum, ne id, quod 73
ſimilitudinis gratia adſcivimus [g], aut obſcurum ſit, aut ignotum. Debet enim, quod illuſtrandæ alterius rei gratia

[f] iſtud G. [g] adſcivimus—gratia *om.* G.

bis deſcriptionem alterius eſſe auctoris, ſed ab ipſo ſcriptam et exempli cauſſa propoſitam Quinctiliano. Quæ enim de eadem re ad Herenn. 4, 39, et Senec. de Benef. 7, 27, apud Virgilium Æn. 2. 298 ſqq. et alias paſſim leguntur, ea non niſi argumento conveniunt.

70. *Mihi frigidus horror*] Æn. 3, 29: alterum 7, 518: *Inde lupi* 2, 355: *Avi ſimilis* 4, 254: *Qualis ubi* 4, 143.

aſſumitur, ipſum eſſe clarius eo, quod illuminat. Quare ſane poetis quidem permittamus hujuſmodi exempla:

Qualis, ubi hybernam Lyciam Xanthique fluenta
Deſerit, aut Delon maternam inviſit, Apollo.

74 Non idem decebit oratorem, ut occultis aperta demonſtret. Sed illud quoque, de quo in argumentis diximus, ſimilitudinis genus ornat orationem, facitque ſublimem, floridam, jucundam, mirabilem. Nam, quo quæque longius petita eſt, hoc plus affert novitatis, atque inexſpectata
75 magis eſt. Illa vulgaria videri poſſunt, et utilia tamen ad conciliandam fidem, UT *terram cultu, ſic animum diſciplinis meliorem uberioremque fieri.* Et, UT *medici abalienata morbis membra præcidunt, ita turpes ac pernicioſos, etiam ſi nobis ſanguine cohæreant, amputandos.* Jam ſublimius illud pro Archia, *Saxa atque ſolitudines voci*[h] *reſpondent, beſtiæ ſæpe immanes cantu flectuntur atque conſiſtunt,* et
76 cetera. Quod quidem genus a quibuſdam declamatoria maxime licentia corruptum eſt: nam et falſis utuntur, nec illa iis, quibus tandem ſimilia videri volunt, applicant: quorum utrumque in iis eſt, quæ me juvene ubique cantare[i] ſolebant, *Magnorum fluminum navigabiles fontes ſunt:*
77 et, *Generoſioris arboris ſtatim planta cum fructu eſt.* In omni autem parabola aut præcedit ſimilitudo, et res ſequitur, aut præcedit res, et ſimilitudo ſequitur. Sed interim libera et ſeparata eſt: interim, quod longe optimum eſt, cum re, cujus eſt imago, connectitur, collatione invicem reſpondente, quod facit *redditio contraria,* quæ
78 ἀνταπόδοσις dicitur. *Præcedit* ſimilitudo illa, cujus modo feci mentionem,

- - - *Inde lupi ceu*
Raptores atra in nebula.

Sequitur in primo Georgicôn, poſt longam de bellis civilibus atque externis conqueſtionem,

[h] voce G. [i] *Sic* Jenſ. cantari *videtur eſſe a Regio.*

75. *pro Archia*] C. 8.
78. *in primo Georgicôn*] In ipſo fine. Obſervat hic Burmannus tum plura de phraſi *addere* ſe; tum a Valerio Flacco etiam tertium Argonauticôn librum in ſimilitudine deſiiſſe. *Addere* Varroni et Columellæ quoque ſignificare *mittere, immittere, injicere,* etiam ubi de vacuo vaſe ſermo eſt, ſatis demonſtratum in Lexico Ruſtico.

Ut cum carceribus ſeſe effudêre quadrigæ,
Addunt ſe[k] *in ſpatia; et fruſtra retinacula tendens*
Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

Sed hæc ſunt ſine antapodoſi. *Redditio* autem illa rem 79
utramque, quam comparat, velut ſubjicit oculis, et pariter oſtendit. Cujus præclara apud Virgilium multa reperio exempla, ſed oratoriis potius utendum eſt. Dicit Cicero pro Murena, Ut *aiunt in Græcis artificibus eos aulœdos eſſe, qui citharœdi fieri non potuerunt: ſic nos videmus, qui oratores evadere non potuerunt, eos ad juris ſtudium devenire*[l]. Illud pro eodem, jam pene poetico 80
ſpiritu, ſed tamen cum ſua redditione, quod eſt ad ornatum accommodatius: nam, *Ut tempeſtates ſæpe certo aliquo cœli ſigno commoventur*[m], *ſæpe*[n] *improviſo, nulla ex certa ratione, obſcura aliqua ex cauſſa concitantur: ſic in hac comitiorum tempeſtate populari ſæpe intelligas, quo ſigno commota ſit; ſæpe ita obſcura eſt, ut caſu*[o] *excitata eſſe videatur.* Sunt et illæ breves, *Vagique*[p] *per ſilvas ritu fe-* 81
rarum: et illud Ciceronis in Clodium, *Quo ex judicio, velut ex incendio, nudus effugit.* Quibus ſimilia poſſunt cuicumque, etiam ex quotidiano ſermone, ſuccurrere. Huic ſubjacet virtus non ſolum aperte ponendi rem ante

[k] *om.* G. [l] divertere G. Jenſ. *et al.* [m] commonentur G. [n] ex Jenſ. [o] ſine cauſa G. [p] vagi G.

79. *pro Murena*] C. 13. Nimirum, quantæ artis ſit citharœdum eſſe, h. e. citharæ nervos impellere, et eundem voce accinere, ipſe ſupra indicavit Fabius 1, 12, 3. Minus multo eſt aulœdum eſſe, hoc eſt, tibias inflanti alii accommodare vocem. Igitur qui prius illud tentavit infeliciter, omiſſa cithara tamen aulœdus eſſe poteſt.

79. *evadere—devenire*] Pulchre obſervavit Burmannus duorum verborum oppoſitionem, quorum alterum de adſcenſu arduo, de deſcenſu ad humiliora alterum proprie uſurpatur. Et ſane conſtans apud Ciceronem lectio Quinctiliani libris hic præferenda, niſi putamus Fabium potuiſſe verbum parum commodum ſubſtituere efficaciſſimo.

80. *pro eodem*] C. 17.

80. *aliquo cœli ſigno*] Totam enim tempeſtatum rationem ſideribus adſignabant, quod obſervaſſent certis anni temporibus ſuas quaſdam fere reſpondere tempeſtates; tempora autem illa non alia re quam ſiderum ortu atque obitu diſtinguerent ipſi etiam nautæ atque ruſtici; quam rem memoriæ cauſſa cum verſibus complecterentur poetæ, uſi ſunt illa ſua licentia, ut actum ſigno efficientiamque tribuerent. Hinc Aratus pendet et tot illius interpretes. Hinc ipſe Columella, qui Aſtrologicam vanitatem aliquot libris confutaverat, tamen in Kalendario ruſtico, quod luculentiſſimum dedit 11, 2, paſſim ita loquitur, ut ſi tempeſtates commoveri a ſignis et ipſe exiſtimet. Cæterum *ſigna* pro ſideribus non XII illis tantum Zodiaci nobiliſſimis, ſed univerſim omnibus ponit etiam alias Cicero de Inv. 1, 34, *Signorum ortus atque obitus* &c.

82 oculos, ſed circumciſe atque velociter. Ac merito laudatur brevitas integra: ſed ea[q] minus præſtat, quoties nihil dicit, niſi quod neceſſe eſt; *βραχυλογίαν* vocant, quæ reddetur inter ſchemata: eſt vero pulcherrima, cum plura paucis complectimur, quale illud[r] Salluſtii eſt, *Mithri-*
83 *dates corpore ingenti, perinde*[s] *armatus.* Hoc male imitantes ſequitur obſcuritas. Vicina prædictæ, ſed amplior virtus eſt *ἔμφασις*, altiorem præbens intellectum, quam quem verba per ſe ipſa declarant. Ejus duæ ſunt ſpecies: altera, quæ plus ſignificat, quam dicit: altera, quæ etiam
84 id, quod non dicit. *Prior* eſt et apud Homerum, cum Menelaus Graios in equum *deſcendiſſe* dicit; nam verbo uno magnitudinem ejus oſtendit: et apud Virgilium,

Demiſſum lapſi per funem. - - -

Nam ſic quoque altitudo demonſtrata eſt. Idem Cyclopa cum *jacuiſſe* dicit *per antrum*, prodigioſum illud corpus
85 ſpatio loci menſus eſt. *Sequens* poſita eſt in voce aut omnino ſuppreſſa, aut etiam abſciſſa. *Supprimitur* vox, ut fecit

[q] eam Jenſ. [r] *om.* G. Jenſ. [s] proinde *iid.* [t] *Sic iid. et MSS. puto omnes* in equo ſediſſe *editt. plures et Burm.* intra equum deſcediſſe Obr.

82. *inter ſchemata*] 9, 3, 50.

82. *perinde armatus*] *Animatus* mallent Lipſius et Douza ad Fragm. Salluſtii, ſed Freinſhemius tuetur *armatus.* Obſervat Burmannus, et addit ſimillimum Brachylogiæ exemplum e Floro 3, 2, 2, *Atrox cœlum, perinde ingenia.*

83. *ἔμφασις*] Hæc eſt illa, quam *ſignificationem* vocat Auctor ad Her. 4, 53 ſq. et definit, *quæ plus in ſuſpicione relinquit, quam poſitum eſt in oratione.* Dividit deinde, et illuſtrat: locus eſt claſſicus.

84. *in equum deſcendiſſe*] Hæc conſtantiſſima Codicum MSS. lectio mutata eſt ab his, qui apud Homerum non invenirent hanc ideam: et vel præivit reliquis, vel certe confirmavit eos Hartungus, qui locor. memor. Decur. 2, 6, Lamp. Gruter. tom. 2, p. 682, inter errata in citando Quinctiliani hunc locum refert, et confidenter ait, præter 'Οδ δ'. 272, et θ'. 503, non fieri mentionem equi Trojani apud Homerum. Ac ſane priore loco Menelaus ἐνήμεθα dicit; altero εἵατο Demodocus, quæ *ſedendi* potius et *inſidiarum* notionem habent, ut θ'. 515, Ἱππόθεν ἐκχύμενοι κοῖλον λόχον ἐκπρολιπόντες. Præterea in hoc eſt μνημονικὸν ἁμάρτημα Fabii, cum Menelao tribuit, quod Ulyſſes dicit 'Οδ. λ'. 522, Αὐτὰρ ὅτ' εἰς ἵππον κατεβαίνομεν, ὃν κάμ' Ἐπειός. Quem verſum Emphaſeos exemplum jam laudaverat Plutarchus de Homero, p. 297 Gal. Ἐν τῷ κατεβαίνομεν τὸ μέγεθος τοῦ ἵππου ἐμφαίνει. Definierat ἔμφασιν, ἥπερ δι' ὑπονοίας ἐπίτασιν τοῦ λόγου παρίστησιν. Non fugerunt hæc F. Urſinum in Virgilio cum Græcis collato, p. 238, ad ipſum, qui hic laudatur, locum Æn. 2, 262. Quæ cum ita ſint, non dubitavi reddere ſuam lectionem Fabio, præſertim cum ille *deſcenſus* demum magnitudinem equi horribilem declaret; *ſediſſe* etiam in mediocri machina aliquot homines potuerint.

84. *jacuiſſe—per antrum*] Æn. 3, 631.

pro Ligario Cicero, *Quod ſi in hac tanta tua fortuna leni-*
tas [u] *tanta non eſſet, quantam* [x] *tu per te, per te, inquam,*
obtines: intelligo, quid loquar: tacuit enim illud, quod
nihilominus accipimus, non deeſſe homines, qui ad cru-
delitatem eum impellerent. *Abſcinditur* per ἀποσιώπησιν,
quæ, quoniam eſt figura, reddetur ſuo loco. Eſt in vul- 86
garibus quoque verbis emphaſis, *Virum eſſe oportet:* et,
Homo eſt ille: et, *Vivendum eſt.* Adeo ſimilis eſt arti ple-
rumque natura. Non tamen ſatis eloquentiæ eſt, ea, de
quibus dicat [y], clare atque evidenter oſtendere: ſed ſunt
multi ac varii excolendæ [z] orationis modi. Nam et [a] ipſa 87
illa ἀφέλεια ſimplex et inaffectata habet quemdam *purum,*
qualis etiam in feminis amatur, *ornatum,* et ſunt quædam
velut e tenui diligentia circa proprietatem ſignificationem-
que munditiæ. Alia *copia locuples,* alia floribus *læta.* 88
Virium non unum genus. Nam, quidquid in ſuo genere
ſatis *effectum* eſt, valet. Præcipua tamen ejus opera
δείνωσις in [b] *exaggeranda indignitate*; et in ceteris *altitudo*
quædam; φαντασία in *concipiendis viſionibus*; ἐξεργασία in
efficiendo velut opere propoſito; cui adjicitur ἐπεξεργασία,
repetitio probationis ejuſdem, et cumulus ex abundanti.
Ἐνέργεια confinis his eſt, ab *agendo* ducta, et cujus pro- 89
pria ſit virtus, non eſſe, quæ dicuntur, otioſa. Eſt et
amarum quiddam, quod fere in contumelia eſt poſitum,
quale eſt Caſſii, *Quid facies, cum* [c] *in bona tua invaſero?*
hoc eſt, cum te docuero neſcire maledicere? Et *acre,* ut illud
Craſſi, *Ego* [d] *te conſulem cum putem, tu me non putes ſena-*
torem. Sed vis oratoris omnis in *augendo minuendoque*
conſiſtit. Utrique parti totidem modi, ex quibus præci-
puos attingemus: reliqui ſimiles erunt. Sunt autem
poſiti in *rebus,* et *verbis.* Sed, quæ ſit rerum inventio ac 90
ratio, tractavimus: nunc, quid *elocutio* attollat aut depri-
mat, dicendum.

IV. Prima eſt igitur *amplificandi* vel *minuendi* ſpecies in ipſo *rei* [e] *nomine,* ut, cum eum, qui ſit *cæſus, occiſum*; eum, qui ſit *improbus, latronem*; contraque eum, qui

[u] bonitas G. Jenſ. [x] quam *iid.* [y] dicit G. [z] extollendæ G. [a] *om.* G. Jenſ. [b] *om.* G. [c] vi *inſ.* G. [d] Ego te conſulem putem, cum tu non putes me eſſe ſenatorem G. Jenſ. [e] rerum G.

85. *ſuo loco*] 9, 3, 60.

89. *totidem modi*] Oppoſitorum eadem ratio; quot ſunt augendi extollendique modi, totidem ſunt minuendi ac deprimendi. Vid. 8, 4, 28. 8, 6, 68.

pulſavit, attigiſſe; qui *vulneravit, læſiſſe* dicimus. Utriuſque pariter exemplum eſt pro M. Cœlio, *Si vidua libere, proterva*[f] *petulanter, dives effuſe, libidinoſa meretricio more viveret, adulterum*[g] *ego putarem, ſi quis hanc paullo liberius*
2 *ſalutaſſet?* Nam et impudicam, *meretricem* vocavit; et eum, cui longior cum illa fuerat uſus, *liberius ſalutaſſe.* Hoc genus increſcit, ac fit manifeſtius, ſi ampliora verba cum ipſis nominibus, pro quibus ea poſituri ſumus, conferantur: ut Cicero in Verrem, *Non enim furem, ſed raptorem; non adulterum, ſed expugnatorem pudicitiæ; non ſacrilegum, ſed hoſtem ſacrorum religionumque; non ſicarium, ſed crudeliſſimum carnificem civium ſociorumque, in veſtrum*
3 *judicium adduximus.* Illo enim modo, ut ſit multum, hoc etiam, plus ut ſit, efficitur. Quatuor tamen maxime generibus video conſtare amplificationem, *incremento, comparatione, ratiocinatione, congerie. Incrementum* eſt potentiſſimum, cum magna videntur, etiam quæ inferiora ſunt. Id aut uno gradu fit, aut pluribus. Per id venitur non modo ad ſummum, ſed interim quodammodo ſupra
4 ſummum. Omnibus his ſufficit vel unum Ciceronis exemplum, *Facinus eſt vincire civem Romanum, ſcelus verberare, prope parricidium necare: quid dicam in crucem tollere*[h]*?* Nam et, ſi tantum *verberatus* eſſet, uno gradu increverat, ponendo etiam id *eſſe facinus*, quod erat infe-
5 rius. Et, ſi tantum *occiſus* eſſet, per plures gradus adſcenderat. Cum vero dixerit, *prope parricidium necare,* ſupra quod nihil eſt, adjecit, *quid dicam in crucem tollere?* ita, cum id, quod maximum eſt[i], occupaſſet, neceſſe erat
6 in eo, quod ultra eſt, verba deficere. Fit et aliter ſupra ſummum adjectio: ut apud Virgilium de Lauſo,

- - - *quo pulchrior alter*
Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni.

Summum eſt enim, *quo pulchrior alter non fuit*; huic[l]

[f] proterve G. Jenſ. [g] adulterium Jenſ. [h] Ita cum id quod maximum eſt *inſ.* G. *ita tamen, ut ſyllaba* va *ſuper primam, et* cat *ſuper ultimam vocem minutis literis ſcripta,* vacare *indicetur, ex ſequentibus improvide præcepta ſcilicet.* [i] eſſet Jenſ. [l] hic Jenſ.

1. *pro M. Cœlio*] C. 16. in Verrem, 1, 3. [l] Alter locus in Verr. 5, 66. *Facinus eſt—tollere? verbo ſatis digno tam nefaria res appellari nullo modo poteſt. Non fuit his omnibus iſte contentus* &c.

6. *apud Virg.*] Æn. 7, 649. Ciceronis locus eſt Phil. 2, 25, et alter in Catil. 1. 7, et pro Cluentio c. 11.

deinde aliquid ſuprapoſitum eſt. Tertius quoque eſt mo- 7
dus, ad quem non per gradus itur, ut [m] quod non eſt plus
quam maximum, ſed quo nihil majus eſt. *Matrem tuam
occidiſti* [n]. *Quid dicam amplius? Matrem tuam occidiſti.*
Nam et hoc augendi genus eſt, tantum aliquid efficere,
ut non poſſit augeri. Creſcit oratio minus aperte, ſed 8
neſcio an hoc ipſo efficacius, cum citra diſtinctionem
in contextu et curſu ſemper aliquid priore majus inſe-
quitur: ut de vomitu in Antonium Cicero, *In cœtu vero
populi Romani, negotium publicum gerens, magiſter equi-
tum.* Singula incrementum habent. Per ſe deforme,
vel non in cœtu, *vomere:* in cœtu etiam, *non populi:* po-
puli etiam, *non Romani:* vel, ſi nullum *negotium* ageret [o],
vel, ſi non *publicum:* vel, ſi non *magiſter equitum.* Sed 9
alius divideret hæc, et circa ſingulos gradus moraretur:
hic in ſublime etiam currit, et ad ſummum pervenit non
nixu, ſed [p] impetu. Verum, ut hæc amplificatio in ſupe-
riora tendit, ita, quæ fit per *comparationem,* incrementum
ex minoribus petit. Augendo enim, quod eſt infra, ne-
ceſſe eſt extollat id, quod ſupra poſitum eſt: ut idem,
atque in eodem loco, *Si hoc tibi inter cœnam, et in illis im-* 10
manibus poculis tuis accidiſſet, quis non turpe duceret [q]*? in
cœtu vero populi Romani.* [s] Et in Catilinam, *Servi meher-
cle* [t] *mei ſi me iſto pacto metuerent, ut te metuunt omnes cives
tui, domum meam relinquendam putarem.* Interim propo- 11
ſito velut ſimili exemplo, efficiendum eſt, ut ſit majus id,
quod a nobis exaggerandum eſt [u]: ut idem pro Cluentio,
cum expoſuiſſet, Mileſiam [x] quamdam a ſecundis heredibus
pro abortu pecuniam accepiſſe, *Quanto eſt,* inquit, *Oppia-
nicus in eadem injuria majore ſupplicio dignus? Siquidem
illa, cum ſuo corpori vim attuliſſet, ſe ipſa cruciavit: hic
autem idem illud effecit per alieni corporis vim atque cruci-
atum.* Nec putet quiſquam hoc, quamquam eſt ſimile, 12
illi ex argumentis loco, quo majora ex minoribus colli-
guntur, idem eſſe. Illic enim *probatio* petitur, hic *ampli-
ficatio:* ſicut in Oppianico non id agitur in illa [z] compa-
ratione, ut ille male fecerit, ſed, ut pejus. Eſt tamen
quamquam diverſarum rerum quædam vicinia. Repetam

[m] et G. Jenſ. [n] cecidiſti Jenſ. [o] ageretur G. [p] et Jenſ. [q] diceret G. duceretur Jenſ. [s] Sed *inſ. id.* [t] mehercle *id.* [u] *om.* G. [x] mulierem G. moleſtiam Jenſ. [z] hac G.

12. *majora ex minoribus*] De quo copioſe 5, 10, 86 ſqq.

igitur[a] hic quoque idem, quo ſum illic uſus, exemplum,
13 ſed non in eumdem uſum. Nam hoc mihi oſtendendum eſt, augendi gratia non *tota* modo *totis*, ſed etiam *partes partibus comparari:* ſicut hoc loco, *An vero vir ampliſſimus P. Scipio, pontifex maximus, Tib. Gracchum, mediocriter labefactantem ſtatum reipublicæ, privatus interfecit: Catilinam, orbem terrarum*[b] *cæde atque incendio vaſtare cupien-*
14 *tem, nos conſules perferemus?* Hic et Catilina Graccho, et ſtatus reipublicæ orbi terrarum, et mediocris labefactatio cædi et incendiis et vaſtationi, et privatus conſulibus comparatur: quæ ſi quis dilatare velit, plenos[c] ſingula locos
15 habent. Quas dixi *per ratiocinationem* fieri amplificationes, videamus, an ſatis proprio verbo ſignaverim[d]. Nec ſum in hoc ſolicitus, dum res ipſa volentibus diſcere appareat. Hoc ſum tamen ſecutus, quod hæc *amplificatio* alibi poſita eſt, alibi valet: et[e], ut aliud creſcat, aliud augetur; inde ad id, quod extolli volumus, ratione[f] ducitur[g].
16 Objecturus Antonio Cicero merum et vomitum, *Tu,* inquit, *iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius corporis firmitate.* Quid fauces et latera ad ebrietatem? Minime ſunt otioſa. Nam reſpicientes ad hæc poſſumus æſtimare, quantum ille vini in Hippiæ nuptiis exhauſerit, quod ferre et coquere non poſſet illa gladiatoria corporis firmitate. Ergo, ſi ex alio colligitur aliud, nec improprium, nec inuſitatum nomen eſt *ratiocinationis,* ut quod ex eadem cauſſa
17 inter ſtatus quoque habemus. Sic et *ex inſequentibus* amplificatio ducitur: ſi quidem tanta vis fuit[h] vini erumpentis, ut non caſum afferret aut voluntatem, ſed neceſſitatem, ubi minime deceret, vomendi: et cibus[i] non recens, ut accidere interim ſolet, redderetur, ſed qui uſque[l] in poſ-
18 terum diem redundaret. Idem hoc præſtant, quæ anteceſſerunt. Nam, cum Æolus a Junone rogatus,

> \- - - *cavum converſa cuſpide montem*[m]
> *Impulit in latus, ac venti, velut agmine facto,*
> *Qua data porta, ruunt:* - - -

19 apparet, quanta ſit futura tempeſtas. Quid? cum res

[a] *om.* G. itaque Jenſ. [b] terræ G. Jenſ. [c] per *inſ. iid.* [d] ſignific. *iid.* [e] *om.* Jenſ. [f] ratio *id.* [g] deducitur G. Jenſ. [h] fuerit Jenſ. [i] cibi non recentes—redderentur—redundarent G. [l] *om.* G. [m] *om.* G.

13. *An vero vir ampl.*] Catil. 1, 1.
16. *Tu iſtis faucibus*] Ex Phil. 2, 25.
18. *Æolus*] Virg. Æn. 1, 81.
Ciceronis locus eſt Verr. 5, 44.

atrociſſimas, quaſque in ſummam ipſi extulimus invidiam,
elevamus conſulto, quo graviora videantur, quæ ſecutura
ſunt: ut a Cicerone factum eſt, cum illa diceret, *Levia*
ſunt hæc in hoc reo crimina[n]. *Metum virgarum navarchus*
nobiliſſimæ civitatis pretio redemit: humanum eſt. Alius,
ne ſecuri feriretur, pecuniam dedit: uſitatum eſt. Nonne 20
uſus eſt ratiocinatione, qua colligerent audientes, quantum
illud eſſet, quod inferebatur, cui comparata hæc, humana
viderentur atque uſitata? Sic quoque ſolet ex alio aliud
augeri, ut, cum Hannibalis bellicis laudibus ampliatur
virtus Scipionis. Et fortitudinem Gallorum Germano-
rumque miramur, quo ſit major C. Cæſaris gloria. Illud 21
quoque eſt *ex relatione ad aliquid*, quod non ejus rei gratia
dictum videtur[o], amplificationis genus. *Non putant in-*
dignum Trojani principes, Graios Trojanoſque propter Helenæ
ſpeciem tot mala, tanto temporis ſpatio ſuſtinere: quænam
igitur illa forma credenda eſt? Non enim hoc[p] dicit Paris,
qui[q] rapuit; non aliquis juvenis, non[r] unus e vulgo; ſed
ſenes, et prudentiſſimi, et Priamo aſſidentes. Verum et 22
ipſe rex, decenni bello exhauſtus, amiſſis tot liberis, im-
minente ſummo diſcrimine, cui faciem illam, ex qua tot
lacrimarum origo fluxiſſet, inviſam atque abominandam
eſſe oportebat, et audit hæc, et eam filiam appellans juxta
ſe locat, et excuſat etiam, atque ſibi eſſe malorum cauſſam
negat. Nec mihi videtur in Sympoſio Plato, cum Alci- 23
biadem confitentem de ſe, quid a Socrate pati voluerit,
narrat,[s] ut illum culparet, hæc tradidiſſe: ſed, ut Socratis
invictam continentiam oſtenderet, quæ corrumpi ſpecio-
ſiſſimi hominis tam obvia voluntate[t] non poſſet. Quin 24
ex inſtrumento quoque heroum illorum magnitudo æſti-

[n] *om.* G. Jenſ. *et MSS. al. et poteſt abeſſe.* [o] videretur *iid.* [p] hæc G. [q] eam *inſ.* Jenſ. [r] aut G. [s] non *inſ.* Jenſ. [t] voluptate G.

21. *Non putant indignum*] Ἰλ. γ'. 156. Οὐ νέμεσις Τρῶάς τε ϗ ἐϋκνήμιδας Ἀχαιὼς Τοιῇδ' ἀμφὶ γυναικὶ πολὺν χρόνον ἄλγεα πάσχειν κ. τ. λ. Qui uſi ſint his verſibus aut ad alia traduxerint, laudat V. C. Tib. Hemſterhuſius ad Lucian. Tom. 1. p. 409, 64.

23. *in Sympoſio Plato*] Ubi miro artificio Alcibiadem inducit ebrium, ut et libere eum loqui de ſua turpitudine mirum non eſſet, et in vino eſſe veritas videretur. Οἶνος, ut ait ipſe, ἄνευ τε παίδων ϗ μετὰ παίδων ἀληθής. Hic igitur Alcibiades enarratis ſuis multis ambagibus artibuſque, quibus pellicere Socratem ad turpiculum illud (cujus injuſte a quibuſdam poſtulatur) voluerit, tandem operam ſe luſiſſe omnem jurat p. m. 334, G. Δικασταὶ γάρ ἐστε τῆς Σωκράτους ὑπερηφανίας. Εὖ γὰρ ἴστε, μὰ θεοὺς, μὰ θεὰς, οὐδὲν περιττότερον καταδεδαρθηκὼς ἀνέστην μετὰ Σωκράτους, ἢ εἰ μετὰ πατρὸς καθεῦδον, ἢ ἀδελφοῦ πρεσβυτέρου.

manda[u] nobis datur: ad hoc pertinet *clypeus Ajacis*, et
hasta[x] *Pelias Achillis*. Qua virtute egregie est usus in
Cyclope Virgilius. Nam quod illud corpus mente con-
cipiam, cujus

Trunca manum pinus regit? - - -

Quid? cum *vix loricam duo multiplicem connixi humeris fer-*
rent[z], quantus Demoleos, qui, indutus eam,

- - - *cursu palantes Troas agebat?*

25 Quid? M. Tullius de M. Antonii luxuria tantum fingere
saltem potuisset, quantum ostendit dicendo, *Conchyliatis*
Cn. Pompeii peristromatis servorum in cellis stratos lectos
videres? Conchyliata peristromata, et *Cn. Pompeii*, et[a] *in*
cellis servorum, nihil dici potest ultra: et necesse est ta-
26 men[b] infinito plus in domino cogitare. Est[c] hoc simile
illi, quod ἔμφασις dicitur: sed illa ex verbo, hoc[d] ex re
conjecturam facit: tantoque plus valet, quanto res ipsa
verbis est firmior. Potest adscribi amplificationi *congeries*
quoque verborum, ac sententiarum idem significantium.
Nam, etiam si non per gradus adscendant[e], tamen velut
27 acervo quodam allevantur. *Quid enim tuus ille, Tubero,*
destrictus[f] *in acie Pharsalica gladius agebat? cujus latus ille*
mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum? quæ tua
mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid
optabas? Simile est hoc figuræ, quam συναθροισμὸν vocant:
sed illic plurium rerum est congeries, hic unius multi-
plicatio[g]. Hæc etiam crescere solet verbis omnibus altius
atque altius insurgentibus: *Aderat janitor carceris, carnifex*
prætoris, mors terrorque sociorum, et civium Romanorum,
28 *lictor Sextius*. Eadem fere est ratio *minuendi*. Nam totidem

[u] existim. *id.* [x] *om.* G. *et al. ap. Bur.* [z] ferunt G. Jens. [a] de ser-
vis et cellis G. *et* Jens. *nisi quod hic* cælis. [b] ultra *ins.* Jens. *et pleræque*
editt. [c] Et h. s. est G. Jens. [d] hæc *iid.* [e] ascendat G. [f] dis-
trictus Jens. [g] amplific. G.

24. *clypeus Ajacis*] Ἰλ. η'. 219, Σάκος, ἠΰτε πύργον, Χάλκεον, ἑπταβόειον.

24. *hasta Pelias*] Reliqua arma Achillis sumit Patroclus, Ἰλ. π'. 140, sq. Ἔγχος δ' οὐχ ἕλετ' οἶον Βριθὺ, μέγα, στιβαρόν· τὸ μὲν οὐ δύνατ' ἄλλος Ἀχαιῶν Πάλλειν, ἀλλά μιν οἶος ἐπίστατο πῆλαι Ἀχιλλεύς. Πηλιάδα μελίην κ. τ. λ. *Pelias hasta*, e Pelio monte cæsa, passim laudatur Poetis, v. g. Ovidio Met. 13, 109 ex Ponto 1, 7, 52, et 2, 2, 26.

24. *Virgilius*] Æn. 3, 659. De lorica Demolei Æn. 5, 260. Tullii locus Phil. 2, 27.

27. *Quid enim tuus*] Ex Ligariana c. 3. Alterum de janitore carceris Verr. 5, 45.

ſunt adſcendentibus, quot deſcendentibus, gradus. Ideoque
uno ero exemplo contentus ejus loci, quo Cicero de oratione
Rulli hæc [h] dicit, *Pauci tamen, qui proximi adſtiterant, neſcio
quid illum de lege Agraria voluiſſe dicere, ſuſpicabantur.* Quod
ſi ad intellectum referas, *minutio* eſt, ſi ad obſcuritatem,
incrementum. Scio poſſe videri quibuſdam ſpeciem ampli- 29
ficationis *hyperbolen* quoque, nam et hæc [h] in utramque
partem valet: ſed, quia excedit hoc nomen, in tropos dif-
ferenda eſt. Quos continuo ſubjungerem, niſi eſſet a ce-
teris ſeparata ratio dicendi, quæ conſtat non propriis, ſed
tranſlatis. Demus ergo breviter hoc deſiderio jam pene
publico, ne [i] omittamus eum, quem plerique præcipuum ac
pene ſolum putant orationis ornatum.

V. *Sententiam* veteres, quod animo ſenſiſſent, vocave-
runt. Id cum eſt apud oratores frequentiſſimum, tum
etiam in uſu quotidiano quaſdam reliquias habet. Nam
et juraturi *ex animi noſtri ſententia*, et gratulantes *ex ſen-
tentia* dicimus. Non raro tamen et ſic locuti ſunt, ut
ſenſa ſua dicerent: nam *ſenſus* corporis videbantur. Sed 2
conſuetudo jam tenuit, ut mente concepta *ſenſus* vocare-
mus; lumina autem, præcipueque in clauſulis poſita, *ſen-
tentias.* Quæ minus crebra apud antiquos, noſtris tempori-
bus modo carent. Ideoque mihi et de generibus earum,
et de uſu arbitror pauca dicenda. Antiquiſſimæ ſunt, quæ 3
proprie, quamvis omnibus idem ſit nomen, *ſententiæ* vocan-

[h] hoc G. Jenſ. [i] ut G.

28. *de oratione Rulli*] De L. Agr. 2, 5. Operæ pretium eſt hunc locum paullo apponi verboſius, et congeriem illam enumerare. *Explicat orationem ſane longam, et verbis valde bonis. Unum erat, quod mihi vitioſum videbatur, quod* a) *tanta ex frequentia inveniri* b) *nemo potuit, qui intelligere poſſet, quod diceret. Tamen ſi qui* c) *acutiores in concione ſteterant, de lege agraria* d) *neſcio quid* e) *voluiſſe eum dicere* f) *ſuſpicabantur.*

29. *excedit hoc nomen*] Hyperbole excedit nomen amplificationis, et ultra aliquid ſignificat, quod vitium eſſet, niſi figura eſſet. Vid. 8. 6, 68. ſq.

29. *quæ conſtat—tranſlatis*] Hæc verba non injuria ſuſpecta fuerunt Regio. Poſtulatur hic *ſententiæ* deſcriptio, de qua acturus ante eſt, quam ad *tropos* accedat. Verum an *ſententia* dici poteſt *conſtare non propriis ſed tranſlatis?* Hæc nonne potius *metaphoræ* ipſius, de qua deinde dicturus eſt, finitio fuerit? Certe *propria* pariter et *tranſlata* hic alio intellectu ſumuntur, quam ubi de tropis ſermo eſt. Ac de *propriis* quidem vid. 8, 2 pr. Fortaſſe autem *tranſlata* æque late pateant. Certe deinde ſ. 6 *tranſlationem* vocat *a communi ad proprium.* Quidni hic *tranſlata* ſint a *propriis ad communia?* Add. ſ. 17. it. 8, 6, 5.

tur, quas Græci *γνώμας* appellant: utrumque autem [l] nomen ex eo acceperunt, quod ſimiles ſunt conſiliis aut decretis. Eſt autem hæc vox univerſalis, quæ etiam citra complexum cauſſæ poſſit eſſe laudabilis, interim ad rem tantum relata, ut [m], *Nihil eſt tam populare, quam bonitas*: interim [n] ad perſonam, quale eſt Afri Domitii, *Princeps, qui*
4 *vult omnia ſcire, neceſſe habet multa ignoſcere* [o]. Hanc quidam partem *enthymematis*, quidam initium aut clauſulam *epicherematis* eſſe dixerunt: et eſt [p] aliquando, non tamen ſemper. Illud verius, eſſe eam aliquando *ſimplicem*, ut ea [q], quam ſupra dixi; aliquando ratione ſubjecta [r], *Nam* IN *omni certamine, qui opulentior eſt, etiam ſi accipit* [s] *injuriam, tamen, quia plus poteſt, facere videtur*: nonnumquam
5 *duplicem*, *Obſequium amicos, veritas odium parit.* Sunt etiam, qui decem genera fecerunt, ſed eo modo, quo fieri vel plura poſſunt, *per interrogationem, comparationem, infitiationem, ſimilitudinem* [t], *admirationem*, et cetera hujuſmodi: per omnes enim figuras tractari poteſt. Illud notabile *ex diverſis*, MORS *miſera non eſt, aditus ad mortem miſer eſt.*
6 Ac rectæ quidem ſunt tales, *Tam deeſt avaro, quod habet, quam quod non habet.* Sed majorem vim accipiunt commutatione [u] figuræ, ut,

Uſque adeone mori miſerum eſt? . . .

Acrius enim hoc, quam per ſe, *Mors miſera non eſt.* Et *tranſlatione* a communi ad proprium. Nam, cum ſit rectum, *Nocere facile eſt, prodeſſe difficile*: vehementius apud Ovidium Medea dicit,

Servare potui, perdere an poſſim, rogas?

7 Vertit ad perſonam [x] Cicero, *Nihil habet, Cæſar, nec fortuna tua majus, quam ut poſſis; nec natura* [y] *melius, quam ut velis ſervare quam plurimos.* Ita, quæ erant rerum, propria fecit hominis. In hoc genere cuſtodiendum eſt, et id quidem [z] ubique, *ne crebræ* ſint, *ne palam falſæ*, (quales frequenter ab iis dicuntur, qui hæc *καθολικὰ* vocant: et,

[l] tamen G. Jenſ. [m] *om.* Jenſ. [n] aut *inſ. id.* [o] cognoſcere *id.* [p] ſi G. [q] eam G. [r] ſubjectam Jenſ. [s] accepit G. [t] *om.* G. [u] ex mut. G. Jenſ. [x] *Vid. inſ.* etiam. [y] tua *inſ.* G. [z] quod G.

4. *partem enthymematis*] Cum conſtet utrumque propoſitione aliqua generali ad probandum adſumta, quæ ſententia eſt; et ea, quæ inde elicitur.

quidquid pro cauſſa videtur, quaſi indubitatum pronunti-
ant) et, ne *paſſim* et *a quocumque* dicantur [a]. Magis enim 8
decent eos, in quibus eſt auctoritas, ut rei pondus etiam
perſona confirmet. Quis enim ferat puerum aut adoleſ-
centulum, aut etiam ignobilem, ſi judicet in dicendo, et
quodammodo præcipiat? *Enthymema* quoque eſt omne, 9
quod mente concipimus: proprie tamen dicitur, quæ eſt
ſententia ex contrariis, propterea quod eminere inter ce-
teras videtur, ut Homerus *poeta*, *urbs* Roma. De hoc in 10
argumentis ſatis dictum eſt. Non ſemper autem ad pro-
bationem adhibetur, ſed aliquando ad ornatum, *Quorum
igitur impunitas, Cæſar, tuæ clementiæ laus eſt, eorum te
ipſorum ad crudelitatem acuet oratio?* Non, quia ſit ratio diſ-
ſimilis, ſed, quia jam per alia, ut id juſtum appareret, ef-
fectum erat. Et addita in clauſula eſt epiphonematis modo 11
non tam probatio, quam extrema quaſi inſultatio. Eſt
enim epiphonema rei narratæ vel probatæ ſumma accla-
matio,

Tantæ molis erat Romanam condere gentem:

*Facere enim probus adoleſcens periculoſe, quam perpeti turpiter
maluit.* Eſt et, quod appellatur a novis νόημα, qua voce 12
omnis intellectus accipi poteſt; ſed hoc nomine donarunt ea,
quæ non dicunt [b], verum intelligi volunt, ut in eum, quem
ſæpius a ludo redemerat ſoror, agentem cum ea talionis,
quod ei pollicem dormienti recidiſſet, *Eras dignus, ut ha-
beres integram manum.* Sic enim auditur [c], *ut depugnares.*
Vocatur aliquid [d] et *clauſula:* quæ [e], ſi eſt, quod *conclu-* 13
ſionem dicimus, et recte, et quibuſdam in partibus neceſ-
ſaria eſt: *Quare prius de facto veſtro* [f] *fateamini neceſſe eſt,
quam Ligarii culpam ullam* [g] *reprehendatis.* Sed nunc illud
volunt, ut omnis locus [h], omnis ſenſus in fine ſermonis

[a] dicatur—decet G. Jenſ. [b] dicuntur G. [c] ad digitum *conj. Ramir. vid. no. ad ſ.* 20. [d] *Forte leg.* aliquando. [e] quaſi Jenſ. [f] noſtro *id.* [g] illam G. [h] locus omnis, *om.* G.

9. *ſatis dictum eſt*] Supra 5, 10.

10. *Quorum igitur impun.*] Ex Ligariana c. 4. Quod ſequitur, *Tantæ molis*, eſt Virg. Æn. 1, 33. et illud, *Facere enim*, pro Milon. c. 4.

12. *a ludo redemerat*] Cui ſe auctorabant, re ſua comeſa, non infimi modo generis homines, ſed equites Romani, quin ſenatores etiam, quod idoneis auctoritatibus demonſtrat Lipſ. Saturn. 2, 3. it. 5. Pia igitur ſoror quem pecunia bis a turpitudine et periculo ſervarat, tandem, ne recipiatur in poſterum, pollice mutilat. Vid. ad ſ. 20.

14 feriat aurem. Turpe autem ac prope nefas ducunt [i], reſpi-
rare ullo loco, qui acclamationem non petierit. Inde mi-
nuti corruptique ſenſiculi, et extra rem petiti. Neque
enim poſſunt tam multæ bonæ ſententiæ eſſe, quam
15 neceſſe eſt multæ ſint clauſulæ. Jam hæc magis nova
ſententiarum genera. *Ex inopinato:* ut dixit Vibius
Criſpus in eum, qui, cum loricatus in foro ambularet,
prætendebat, id ſe metu facere, *Quis tibi ſic timere permiſit?*
Et inſigniter Africanus apud Neronem de morte matris,
Rogant te, Cæſar, Galliæ tuæ, ut felicitatem tuam fortiter
16 *feras.* Sunt et *alio relata,* ut Afer Domitius, cum Cloan-
tillam defenderet, cui objectum crimen, quod virum, qui
inter rebellantes fuerat, ſepeliſſet, remiſerat Claudius, in
epilogo filios ejus alloquens, *Matrem tamen,* inquit, *pueri*
17 *ſepelitote.* Et aliunde petita, id eſt, in alium locum ex
alio *tranſlata:* ut [k] pro Spatale Criſpus, quam qui [l] heredem
amator inſtituerat, deceſſit, cum haberet annos duodevi-
18 ginti, *O* [m] *hominem divinum, qui ſibi indulſit.* Facit quaſ-
dam ſententias ſola *geminatio:* qualis eſt Senecæ in eo
ſcripto, quod Nero ad Senatum miſit occiſa matre, cum ſe
periclitatum videri vellet, *Salvum me eſſe adhuc nec credo,*
nec gaudeo. Melior, cum ex contrariis valet, *Habeo,*
quem fugiam; quem ſequar, non habeo. Quid, quod miſer,
19 *cum loqui non poſſet, tacere non poterat?* Ea vero fit pul-

[i] dicunt Jenſ. [k] *om.* G. Jenſ. [l] *om. iid.* [m] *om.* G.

16. *Matrem—ſepelitote*] Videntur igitur ipſi matrem accuſaſſe filii, quos ita pietatis admonuerit Domitius, q. d. nolite metuere iram Cæſaris in ſepelienda olim matre, amat ille pietatem, ignovit matri veſtræ contra legem ſepelienti virum: magis ei placebit iſta pietas, quam impia hæc veſtra accuſatio. Sed res aliunde cum nota non ſit, nihil equidem definiam.

17. *O hominem divinum*] A ſuſpicione forte commota in *Spatalen* (ſic ſcribo, non *Spathalen*, eſt enim σπαλά-λη, σπαταλᾶν, κ. τ. λ.) veneficii aut corruptionis, quæ mortis illi cauſſa fuerit, transfertur oratio aliorſum. *Divinus fuit,* præſenſit præſagiente animo, non diuturna ſibi vivendi ſpatia dari, itaque vixit dum vixit, rapuit horas voluptatis: excuſatio præclara, qua utuntur etiam boni viri in libro Sapientiæ c. 2.

18. *geminatio*] Non ſtatim apparet, quid geminetur in propoſito exemplo. Puto autem, *ſalvum me eſſe,* quod licet ſemel tantum poſitum, bis tamen intelligendum eſt.

18. *Habeo quem fugiam*] Vox dubitantis et fluctuantis inter Pompeium atque Cæſarem, vel potius utrumque deteſtantis, Tullii ad Att. 8, 7.

18. *Quid, quod miſer*] Laudat hic Pithœus Hieronymum ad Oceanum, *Poſtea vero, Piſoniano vitio, cum loqui non poſſet, tacere non poterat.* Videtur itaque ſumta eſſe ex Tullii in Piſonem oratione, qua parte hodie integra non eſt; dictum certe de Piſone aliquo.

cherrima, cum aliqua comparatione clarescit. Trachallus
contra Spatalen, *Placet hoc ergo, o*[n] *leges, diligentissimæ
pudoris custodes, decimas uxoribus dari, quartas meretricibus?*
Sed horum quidem generum et bonæ[o] dici possunt, et
malæ. Illæ semper vitiosæ, uti[p] *a*[q] *verbo, Patres conscripti*; 20
sic enim incipiendum est mihi, ut memineritis patrum. Pejus
adhuc, quo magis falsum est, et longius petitum, contra
eamdem sororem gladiatoris, cujus modo feci mentionem,
Ad[r] *digitum pugnavi.* Est etiam generis ejusdem, nescio 21
an vitiosissimum, quoties verborum ambiguitas cum rerum
falsa quadam similitudine jungitur. Clarum auctorem ju-
venis audivi, cum lecta e[s] capite cujusdam ossa sententiæ

[n] *om.* G. Jens. [o] bene—male G. [p] *om.* G. [q] *om.* Jens. [r] *Sic* G. Jens. *et Cod. Bongars. laudatus Salmasio.* At digito *al.* mihi *ins. post* digitum G. ad digitum pugna mihi est *MS. Joan. ap. Bur.* a. d. mihi pugna est *margo Vasc. Steph. quod probat Ramirez* l. c. Da digitum mihi, pugnabo *conj. Burm.* [s] in G. Jens. *recte puto. v. n.*

19. *decimas uxoribus*] Disputat de hoc loco laudatus jam Burmanno Perizonius dissertatione, quæ secunda est in triade de lege Voconia p. 210, observatque ex Sueton. Domit. c. 8, hujus Imperatoris lege ademtum probrosis feminis jus capiendi legata hereditatesque: et suspicatur, Spatalen hanc forte matrem aliquot liberorum fuisse, ut ea caussa capere ipsi tantum licuerit: *decimas* autem *uxorum* intelligi earum, quæ non peperissent &c.

20. *sororem gladiat.*] Vid. s. 12. Sed quid sibi velit hæc sententia pro gladiatore dicentis, obscurum est. Pro simpliciore *digitis pugnare* positum ait Salm. ad Vopis. Cari p. 830 Hack. ubi lectionem nostram e Bongarsiano codice firmat. Varias interpretationes ipsius formulæ aliorum et suas dedit Barth. ad Gratium 1, 12, et videtur hoc ei maxime placere, ut significet, eo usque pugnare, dum exserto digito victum se alter fateatur: quod probat etiam Grævius Præf. ad Tom. 6 Thesauri sui, et demonstrarat Ramiresius ad Martial. Amphitheat. Cæs. 29, p. 27. Interim de sententia ipsa hujus sententiæ forte optimum fuerit fateri cum Scaligero ad laudatum modo epigramma, quod Martiali tribuitur in catalectis, p. 329, *Propter nimiam brevitatem dispicere nihil certi queo.* Usi sumus hic, ut alias etiam, locis in Burmanniana editione indicatis: non tamen ignava, quod res loquitur, opera.

21. *lecta e capite ossa*] Hinc discimus probabilem quidem esse conjecturam supra propositam ad 6, 1, 30, quæ *vulneribus funera* substitutum ibat; veram non esse. Nos aliquid tum odoratos, apparet: rem ipsam pervestigassemus, nisi placere nobis solerent conjecturæ Burmannianæ, et si hujus loci in mentem tum venisset, vel alterius Senecæ de Benef. 5, 24, *in capite lecta ossa*; ubi plura laudat Lipsius. Præclare autem in mentem venerunt ista Davisio ad Cic. de Leg. 2, 4, ubi de vetito in duodecim tabulis e cadavere *ossilegio* ad funus post faciendum. De justo autem illo et legitimo, ad quod hic respicitur, ossilegio post crematum cadaver, vid. Broukh. ad Tib. 1, 3, 6. *Quæ legat in mæstos ossa perusta sinus.* Quod vero laudatus modo Davisius apud Senecam *e capite* legi malit, vereor, ne

gratia tenenda matri dediſſet, *Infeliciſſima femina, nondum*
22 *extuliſti filium, et jam oſſa legiſti.* Ad hoc[t] plerique minimis etiam inventiunculis gaudent, quæ excuſſæ riſum habent, inventæ facie ingenii[u] blandiuntur. De eo, qui naufragus, et ante agrorum ſterilitate[x] vexatus, in ſcholis fingitur ſe ſuſpendiſſe, *Quem nec terra recipit, nec mare*[z],
23 *pendeat.* Huic ſimile in illo, de quo ſupra dixi, cui pater ſua membra laceranti venenum dedit, *Qui hæc*[a] *edit, debet hoc bibere.* Et in luxurioſum[b], qui ἀποκαρτέρησιν[c] ſimulaſſe dicitur, *Necte laqueum, habes, quod faucibus tuis iraſcaris:*
24 *ſume venenum, decet luxurioſum*[d] *bibendo mori.* Alia vana: ut ſuadentis purpuratis, ut Alexandrum Babylonis incendio ſepeliant, *Alexandrum ſepelio, hoc quiſquam ſpectabit e*[e] *tecto?* Quaſi vero id ſit in re tota indigniſſimum. Alia nimia: ut de Germanis[f] dicentem quemdam audivi, *Caput neſcio ubi*
25 *impoſitum*[g]: et de viro forti, *Bella umbone propellit.* Sed finis non erit, ſi ſingulas corruptorum perſequar[h] formas. Illud potius, quod eſt magis neceſſarium. Duæ ſunt diverſæ opiniones; aliorum ſententias ſolas pene ſpectantium, aliorum omnino damnantium: quorum mihi neutrum ad-
26 modum placet. Denſitas earum obſtat invicem, UT in ſatis omnibus fructibuſque arborum[i] nihil ad juſtam mag-

t huc Jenſ. u ingenio *id.* x ſterilitatem Jenſ. z in aëre G. a hoc G. b luxurioſo G. c apocartereſin Jenſ. d luxurioſo *id.* e a G. f Germanicis G. g in nube poſitum *Obr. ex Cod. Argentor. v. n.* h proſequar Jenſ. i arvorum G. Jenſ. *et al.* horum *inſ.* Jenſ.

potius hic legendum ſit auctoritate optimorum librorum, et ipſius Senecæ adeo, *in capite.* Sic *bibere in auro* elegantius eſt: ſic caput erit quaſi buſtum, *in quo* leguntur oſſa.

23. *de quo ſupra dixi*] 8, 2, 20.

23. ἀποκαρτέρησιν] Recte jam hic definivit ἀποκαρτέρησιν Turnebi nomine fulgens interpres, propoſitum moriendi per inediam; dixerat etiam Caſaubon. ad Athenæum 6, 9: multis idoneiſque auctoribus demonſtravit Cl. Daviſius ad Cic. Tuſc. 1, 34. ubi laudatur *Hegeſiæ liber* ἀποκαρτερῶν, *in quo a vita quidam per inediam diſcedens revocatur ab amicis* &c. Huic igitur luxurioſo poſt rem comeſam eadem via diſcedere e vita cogitanti, hic diverſam unam alteramque ſuadet, qui ἀποκαρτέρησιν illam nimis ei honeſtam putat: quippe qua Democritus, Iſocrates, Atticus, aliique viri magni perierunt.

24. *Caput neſcio ubi*] Dixerat forte ineptus declamator, de quo hic Fabius commemorat, *caput nubi impoſitum:* adſcripſit aliquis in margine, *neſcio ubi*, ſcilicet hoc legatur: hæc gloſſa ipſa auctoris verba *in nube* loco movit. Forte imitari voluit declamator illud Virgilianum de Fama Æn. 4, 177. *Ingrediturque ſolo, et caput inter nubila condit.*

26. *fructibuſque arborum*] Pallad. Febr. 25, 16. *Si ſpiſſa poma ramos onerabunt, interlegenda ſunt quæque vitioſa, ut alimentum cæteris ſuccus æquiparet, et generoſis*

nitudinem adoleſcere poteſt, quod loco, in quem creſcat,
caret. Nec pictura, in qua nihil circumlitum eſt, eminet.
Ideoque artifices, etiam cum plura in unam tabulam opera
contulerunt, ſpatiis diſtinguunt, ne umbræ in corpora[l]
cadant. Facit res eadem conciſam quoque orationem. 27
Subſiſtit[m] enim omnis ſententia: ideoque poſt eam uti-
que aliud eſt initium. Unde ſoluta fere oratio, et e ſingu-
lis non membris, ſed fruſtis collata, ſtructura caret, cum
illa rotunda et undique[n] circumciſa inſiſtere invicem ne-
queant. Præter hoc etiam color ipſe dicendi quamlibet[o] 28
clarus[p], multis tamen ac variis velut maculis conſpergitur.
Porro, ut afferent[q] lumen clavus et purpuræ, loco inſertæ,
ita certe neminem deceat intertexta pluribus notis veſtis.
Quare, licet hæc enitere, et aliquatenus exſtare videan- 29
tur, tamen lumina illa non flammæ[r], ſed ſcintillis inter fu-
mum emicantibus ſimilia dixeris[s]: quæ ne apparent qui-
dem, ubi tota lucet oratio, ut in ſole ſidera ipſa deſinunt
cerni: et, quæ crebris parviſque conatibus ſe attollunt,

[l] corpore Jenſ. [m] ſubſtitit Jenſ. [n] utique G. [o] quam licet G. [p] claris G. Jenſ. [q] affert lumen clavus purpuræ loco inſertus Jenſ. *recte puto.* [r] flammis *id.* [s] dixerit G.

abundantiam miniſtret, quam numeroſa vilitate perdebat. Add. Jun. 5, 1. Jul. 3, 1. Itaque *arborum* quin rectum ſit, dubitari non poteſt, imprimis cum *fructus arborum* proprius vulgo putetur; *fruges* videantur *arvorum*. Sed habet etiam altera lectio præſidii nonnihil, non in eo modo, quod vanam eſſe diſtinctionem illam conſtat; ſed quod in omnis generis terræ fructibus hoc evenit, ut denſi nimis ſe invicem ſtrangulent, cui incommodo et ſerendi ipſa ratione occurrunt ruſtici, præcipiuntque, quot modii cujuſque ſeminis in jugero ſerendi ſint, Varr. 1, 41: quibus ſpatiis diſponendi ſint in quincuncem ſurculi, vid. Colum. 5, 3: tum id ipſum prohibere ſtudent *intercidendo* ac *diſrarando*, *interputando*, *interradendo*, *intervellendo* denique, quorum verborum et actionum auctoritatem præſtabit volentibus Lexicon noſtrum Ruſticum.

28. *velut maculis*] Unde *maculoſa* oritur oratio, non illa quidem *ſordida* et *immunda*, ſed *varia*, *picta*, ut tigres, ut lynces, et quidam equi. Vid. omnino Phidiacum Bergeri opus de naturali pulchritudine orationis p. 11. ſq. cujus ſententia hoc loco probatur egregie.

28. *clavus et purpuræ*] Eſt ἓν διὰ δυοῖν pro *clavus purpureus*. Nec tamen diſſimulo, ut ſimpliciorem ſic veriorem mihi videri primarum editionum lectionem *clavus purpuræ*, h. e. purpureus, *loco*, nempe juſto et ſuo, *inſertus*. De *clavo* hallucinationes ad hunc etiam locum eruditorum refutare jam non eſt opus, poſtquam in Lexica etiam meliora recepta eſt ſententia Rubeniana de *clavo*, h. e. *linea* vel *virga* purpurea per mediam in parte anteriore tunicam a ſummo ad imum deſcendente, quam collegit breviter et explicatam dedit ὁ πάνυ Grævius præfatione ad Tomum 6 Theſauri Antt. Rom.

inæqualia tantum, et velut confragosa, nec admirationem
consequuntur[t] eminentium, et planorum gratiam perdunt.
30 Hoc quoque accidit[u], quod solas captanti sententias mul-
tas necesse est dicere leves, frigidas, ineptas. Non enim
potest esse delectus, ubi[x] numero laboratur. Itaque videas
et *divisionem* pro sententia poni, et argumentum, si tantum
31 in clausula[y] et calce pronuntietur[z]. *Occidisti uxorem ipse
adulter: non ferrem te, etiamsi repudiasses*, divisio est. *Vis
scire venenum esse amatorium? viveret homo, nisi illud bi-
bisset*, argumentum est. Nec multas plerique sententias
32 dicunt, sed omnia tamquam sententias. Huic quibusdam
contrarium studium, qui fugiunt ac reformidant omnem
hanc in dicendo voluptatem, nihil probantes, nisi planum,
et humile, et sine conatu. Ita, DUM timent, ne aliquando
cadant, semper jacent. Quod enim tantum in sententia
bona crimen est? non caussæ prodest? non judicem mo-
vet? non dicentem commendat? At[a] est quoddam genus,
33 quo veteres non utebantur. Ad[b] quam[c] usque nos[d] vo-
catis[e] vetustatem? Nam, si ad[f] illam extremam, multa[g]
Demosthenes, quæ ante eum nemo. Quomodo potest
Ciceronem probare, qui nihil putet ex Catone Gracchisque
mutandum[h]? Sed ante hos simplicior adhuc loquendi
34 ratio fuit. Ego vero hæc lumina orationis, velut oculos
quosdam esse eloquentiæ credo. Sed neque oculos esse
toto corpore velim, ne cetera membra officium suum per-
dant: et, si necesse sit, veterem illum horrorem dicendi
malim, quam istam novam licentiam. Sed patet media
quædam via, SICUT in cultu victuque accessit aliquis citra
reprehensionem nitor, quem[i], sicut possumus, adjiciamus
virtutibus. Prius tamen sit, vitiis carere: ne, dum volu-
mus esse meliores veteribus, simus tantum[l] dissimiles.
35 Reddam nunc, quam proximam esse dixeram, partem *de*

t consequentur G. Jens. u accedit G. x *Forte inf.* de. y clausulæ calce G. Jens. z pronuntiatur G. a Sed G. *om.* Jens. b Et Jens. c quod G. d vos Jens. e vocant G. Jens. f *om. iid.* g mutat Jens. h imitandum G. Jens. i quare *iid.* l tamen Jens.

32. *veteres non utebantur*] Vid. 12, 10, 48.

34. *adjiciamus virtutibus*] Præter virtutes reliquas, communes nobis cum antiquis, etiam nitorem illum habere studeamus. Si quis ad candorem, fidem, fortitudinem majorum nostrorum adjiciat, qua illi carebant, venustam quandam elegantiam, invidia careat et laudem mereatur: sed si pro candore, fide, fortitudine, quibus ipse careat, venustatem illam suam venditare nobis velit; facessere illum jubeamus merito.

tropis, quos *motus* clariſſimi noſtrorum auctores vocant.
Horum tradere præcepta et grammatici ſolent. Sed a [m]
me, cum de illorum officio loquerer, dilata pars hæc eſt,
quia de ornatu orationis gravior videbatur locus, et majori
operi ſervandus.

VI. *Tropus eſt verbi vel ſermonis a propria ſignificatione in
aliam cum virtute mutatio.* Circa quem inexplicabilis et
grammaticis inter ipſos, et philoſophis, pugna eſt, quæ
ſint genera, quæ ſpecies, qui numerus, quis cui [n] ſubjicia-
tur. Nos omiſſis, quæ nihil ad inſtruendum oratorem 2
pertinent, cavillationibus, neceſſarios maxime atque in
uſum receptos exſequemur: hoc [o] modo in his annotaſſe
contenti [p], quoſdam gratia *ſignificationis*, quoſdam *decoris*
aſſumi, et eſſe alios in verbis *propriis*, alios in *tranſlatis*:
vertique formas non *verborum* modo, ſed et *ſenſuum*, et *com-
poſitionis* [q]. Quare mihi videntur erraſſe, qui non alios 3
crediderunt tropos, quam in quibus verbum pro verbo po-
neretur. Neque illud ignoro, in iiſdem fere, qui ſignifi-
candi gratia adhibentur, eſſe et ornatum: ſed non idem
accidet contra, eruntque quidam tantum ad ſpeciem ac-
commodati. Incipiamus igitur ab eo, qui cum frequen- 4
tiſſimus eſt, tum longe pulcherrimus, *tranſlatione* dico,
quæ μεταφορὰ Græce vocatur. Quæ quidem cum [r] ita eſt
ab ipſa nobis conceſſa natura, ut indocti quoque ac non
ſentientes ea frequenter utantur: tum ita jucunda atque
nitida, ut in oratione, quamlibet [s] clara, proprio tamen lu-
mine eluceat. Neque enim vulgaris eſſe, nec humilis, nec 5

[m] *om. id.* [n] cuique *id.* [o] hæc G. Jenſ. [p] conſtanti Jenſ. [q] compoſitiones *id.* [r] *om.* G. [s] qualibet G.

35. *quos motus*] Repetit 9, 1, 1. Interim nondum inveni, qui *motus* dixerit: *Modos* appellaſſe videtur Cic. de Orat. 3, 41: et ad *verba modificata* Part. c. 5, refert ea etiam, *quæ transferuntur*, h. e. metaphorica. *Immutationes* dixit Brut. c. 17. *Mores* ex altera ſignificatione nominis τρόπος vocarunt ſequioris ætatis quidam rhetores. Ne de *modis* ſubſtituendis cogitem, illud facit, quod duobus in locis ſine varietate ita legitur.

35. *cum de illor. officio loq.*] Supra 1, 5, 5.

1. *grammaticis*] Vide, ſi quis iis rebus delectaris, Chariſ. l. 4. p. 243. ſq. Diomed. l. 2. p. 450. ſq. Donatum p. 1775. ſq. omnes edit. Putſch.

2. *in verbis propriis*] At finieras, M. Fabi, omnem *tropum*, *mutationem vocis a propria ſignificatione in alienam*: quomodo igitur eſt aliquis in propriis? Sed omittamus et nos exemplo tuo cavillationes: utamur bonis tuis, ornemus orationem tropis, diſputandi de his ſubtilitatem in locum alium differamus.

insuavis, recte modo adscita, potest. Copiam quoque sermonis auget permutando [t], aut mutuando [u], quod non habet: quodque difficillimum est, præstat, ne ulli rei nomen deesse videatur. Transfertur ergo nomen aut verbum ex eo loco, in quo proprium est, in eum, in quo aut proprium deest, aut translatum proprio melius est.
6 Id facimus, aut quia *necesse* est, aut quia *significantius* est, aut (ut dixi) quia *decentius*. Ubi nihil horum præstabit, quod transferetur, improprium erit. *Necessitate* rustici dicunt [x] *gemmam* in vitibus, (quid enim dicerent aliud?) et *sitire segetes*, et *fructus laborare*. Necessitate nos *durum hominem*, aut *asperum*. Non enim proprium erat, quod
7 daremus his affectionibus, nomen. Jam, *incensum ira*: et *inflammatum cupiditate*: et *lapsum errore*, *significandi* gratia. Nihil enim horum suis verbis, quam his arcessitis, magis proprium erat. Illa ad *ornatum*, *lumen orationis*, et *generis claritatem*, et *concionum procellas*, et *eloquentiæ flumina* [z]: ut Cicero pro Milone, *Clodium fontem gloriæ ejus vocat*, et
8 alio loco *segetem ac materiam*. Quædam etiam parum speciosa dictu, per hanc explicantur,

Hoc faciunt, nimio ne luxu obtusior usus
Sit genitali arvo, et sulcos oblimet inertes.

In totum autem metaphora brevior est similitudo: eoque distat, quod illa comparatur rei, quam volumus exprimere,
9 hæc pro ipsa re dicitur. *Comparatio* est [a], cum dico fecisse quid hominem, *ut leonem*; translatio, cum dico de homine,

[t] permittendo G. Jens. [u] mutuari G. [x] *om.* G. [z] fulmina Jens. *et plur. ap. Bur. recte puto.* [a] enim *ins. id.*

5. *permutando*] Refero ad reciprocas, quas vocant, metaphoras, ubi v. g. mundi oculum solem vocant, et solis nomine amasiarum indicant oculos.

6. *improprium erit*] Vid. ad 8, 2, 6. it. ad 8, 4. extr.

6. *fructus laborare*] Sic Col. 11, 2, 29. et Palladius Mart. 8, 1, quomodo *laborantes oleæ curentur*, docent.

7. *concionum procellas*] *Tempestates et procellas in fluctibus concionum* ex Miloniana refert s. 48.

7. *eloquentiæ flumina*] Difficile non est, sed neque necessarium, ostendere, et *flumina* et *fulmina* de eloquentia dici. Auctoritas MSS. fere ad hoc inclinat animum: *Flumina* forte maluit, qui *fontem* cogitavit, quo statim utitur Fabius: sed *fulmina* æque parum distant a *lumine* et *procellis* &c.

7. *Cicero pro Milone*] C. 13 utrumque legitur. *Hoc faciunt*, ex Virg. Georg. 3, 135. Non minus elegans est versus proximus,

Sed rapiat sitiens Venerem, interiusque recondat.

leo[b] *eſt.* Hujus vis omnis quadruplex maxime videtur: cum in rebus animalibus aliud pro alio ponitur: ut de agitatore,

—— *gubernator magna contorſit equum vi:*

et, ut Livius, Scipionem a Catone *adlatrari* ſolitum, refert. Inanima pro aliis generis ejuſdem ſumuntur, ut, 10
Claſſique immittit habenas: aut pro rebus animalibus inanima, *Ferro an*[c] *fato virtus*[d] *Argivum occidit:* aut contra,

—— *ſedet inſcius alto*
Accipiens ſonitum ſaxi de vertice paſtor:

Præcipueque ex his oritur mira ſublimitas, quæ audaci[e] 11
proxime periculum tranſlatione tolluntur, cum rebus ſenſu carentibus actum quemdam et animos damus, qualis[f] eſt,

Pontem indignatus Araxes.

[b] leonem G. *non male.* [c] aut G. [d] ferrum G. metus Jenſ. moerus *h. e.* murus *ex lectione V. C.* moecus *Muret. V. L.* 19, 2. [e] audaciæ proxima periculo tranſlationis attollitur G. Jenſ. *et plur. ap. Bur. Dedimus lectionem e marg. Baſil. Obrechto etiam et Burmanno probatam, firmatamque MS. Almel. niſi quod et poſt* audaci *inſerunt, et* proxima *conj. Bur.* [f] quale G.

9. *gubernator*] Ennianus forte verſus: contra ea *aurigam* pro *gubernatore navis* ex Ovid. Triſt. 1, 3, 118, huc attulit Burmannus.

9. *Livius, Scipionem*] 38, 54, pr. Deinde *Claſſique immittit habenas* eſt Virg. Æn. 6, 1.

10. *virtus Argivum*] Mire placet Mureti conjectura, Burmanno etiam laudata, et confirmata ex Ovid. Met. 13, 281, ubi *Graium murus* vocatur Achilles. Add. Silius 16, 68. et quæ ibi Drakenb. *Murum* igitur ſi legas, habebis poſitam *rem inanimam pro animali,* quod vult Fabius.

10. *ſedet inſcius*] Æn. 2, 307: legitur autem *ſtupet. Vertex* res animalis eſt, ſumma pars capitis, attributa hic ſaxo. Vid. 8, 2, 7.

11. *audaci proxime peric.*] Non damno lectionem ſupra propoſitam, ſed elegantem et ipſam puto, ac *periculo tranſlationis* interpretor *periculoſa tranſlatione.* Verum præfero hanc, quod paullo difficilior eſt, et ipſa difficultate occaſionem mutandi videtur dediſſe. Eſt autem aliquantum difficilis et inſolita his, qui Græce neſcientes cogitare non poſſunt, hic exprimi a Fabio vim verbi παρακεκινδυνευμένον, ac *proxime* illud reſpondere præpoſitioni παρα. Vid. ad 2, 11, 3. et 8, 2, 20. Cæterum τὴν *et,* quam poſt *audaci,* e conjectura quantum ſcio, collocant, omiſi auctoritate Almeloveeniani Codicis: pulchre enim jungi puto hæc, *audax proxime periculum tranſlatio,* ut apud S. Aurelium Vict. epit. 14, 2, de Hadriano, *Fictor ex ære vel marmore proxime Polycletos et Euphranoras.*

11. *Pontem indignatus*] Virg. Æn. 8, 728. Cicer. pro Lig. c. 3. Virg. Æn. 9, 773.

12 Et illa Ciceronis, *Quid enim tuus ille, Tubero, deſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? Cujus latus ille mucro petebat? qui ſenſus erat armorum tuorum?* Duplicatur interim hæc virtus apud Virgilium,

—— *Ferrumque armare veneno.*

13 Nam et *veneno*[g] *armare*, et *ferrum armare*, tranſlatio eſt. Secantur hæc in plures: ut a rationali ad rationale, et idem de irrationalibus, et hæc[h] invicem, quibus ſimilis ratio eſt, et a toto, et a partibus. Sed jam non pueris præcipimus, ut, accepto genere, ſpecies intelligere non
14 poſſint. Ut modicus autem atque opportunus ejus uſus illuſtrat orationem: ita frequens et obſcurat, et tædio complet: continuus vero in *allegoriam* et *ænigmata* exit. Sunt quædam etiam humiles tranſlationes: ut id, de quo modo
15 dixi, *Saxea eſt verruca.* Et ſordidæ. Non enim, ſi Cicero recte *ſentinam reipub.* dixit, fœditatem hominum ſignificans, idcirco probem illud quoque veteris oratoris, *Perſecuiſti reipub. vomicas.* Optimeque Cicero demonſtrat cavendum, ne ſit deformis tranſlatio: qualis eſt (nam ipſis ejus utar exemplis) *Caſtratam morte Africani rempub.* et,
16 *Stercus curiæ Glauciam.* Ne nimio major: aut, quod ſæpius accidit, minor. Ne diſſimilis: quorum exempla nimium frequenter deprehendet, qui ſcierit hæc vitia eſſe. Sed et copia quoque modum egreſſa vitioſa eſt, præcipue
17 in eadem ſpecie. Sunt et duræ, id eſt, a longinqua ſimilitudine ductæ: ut, *Capitis nives*, et,

Jupiter hibernas cana nive conſpuit Alpes.

In illo vero plurimum erroris, quod ea, quæ poetis (qui et omnia ad voluptatem referunt, et plurima vertere etiam ipſa metri[i] neceſſitate coguntur) permiſſa ſunt, convenire quidam

[g] venenum armare ferrum et Jenſ. *mendoſe.* [h] hoc Jenſ. [i] mentiri G.

13. *a toto, et a partibus*] Nimirum totam ſynecdochen metaphoræ nonnunquam ſubjiciunt antiqui, et ipſe Ariſtoteles. Vid. Voſſ. 4, 6, 1.

14. *de quo modo dixi*] 8, 3, 48.

15. *ſentinam reip.*] Catil. 1, 5. et 2, 4.

15. *Cicero demonſtrat*] De Orat. 3, 41.

17. *Capitis nives*] Sunt Hor. Od. 4, 13, 12. Nec illum, puto, reprehendit Quinctilianus, ſed ſi qui in ſoluta oratione ſic loquantur. Interim in noſtrorum hominum ſermone hoc evaluit. Illud alterum de *Jove* Alpes *conſpuente* eſt Furii Bibaculi, ab Horatio deriſi Sat. 2, 5, 41, ut ibi nos ſcholiaſtes docet.

etiam proſæ putant. At ego in agendo nec *paſtorem populi* auctore Homero dixerim: nec *volucres pennis*[k] *remigare:* licet Virgilius in apibus ac Dædalo ſpecioſiſſime ſit uſus. Metaphora enim aut vacantem occupare locum debet, aut, ſi in alienum venit, plus valere eo, quod[l] expellit. Quod[m] aliquanto pene jam magis de *ſynecdoche*
dicam. Nam *tranſlatio* permovendis animis plerumque 19
et ſignandis rebus, ac ſub oculos[n] ſubjiciendis reperta eſt: hæc variare ſermonem poteſt, ut ex uno plures intelligamus, parte totum, ſpecie genus, præcedentibus ſequentia, vel contra. Omnia liberiora poetis, quam oratoribus.
Nam proſa, ut *mucronem* pro gladio, et *tectum* pro domo 20
recipiet: ita non *puppim* pro navi, nec *abietem* pro tabellis[o]. Et rurſus, ut pro gladio *ferrum*, ita non pro equo *quadrupedem*. Maxime autem in orando valebit numerorum illa libertas. Nam et Livius ſæpe ſic dicit, *Romanus prælio victor:* cum Romanos viciſſe ſignificat. Et contra, Cicero ad Brutum: *Populo,* inquit, *impoſuimus, et oratores
viſi ſumus,* cum de ſe tantum loqueretur. Quod genus 21
non orationes modo ornat, ſed etiam quotidiani ſermonis uſus recipit. Quidam συνεκδοχὴν vocant, cum et id in contextu ſermonis, quod tacetur, accipimus. Verbum enim ex verbo intelligitur, quod inter vitia ἔκλειψις vocatur.

Arcadas[p] *ad portas ruere.*———

[k] ſpere ſanare *V. C. Almel.* per os ſonare vel alis remigare *Obr.* per aëra nare nec pennis (*vel* alis) remigare *conj. Bur.* [l] quem G. Jenſ. [m] Quin aliquam potentiam magis G. *vitioſe.* [n] oculis Jenſ. [o] tabulis *MS. Colb. ap. Bur.* [p] Arcades G. Jenſ.

18. *volucres pennis remigare*] Cum citetur *in apibus* Virgilius, h. e. in quarto Georgicôn; ibi autem volatus apium remigio non comparetur: apparet in hac lectione aliquid deſiderari, quod ſatis feliciter Burmanni conjectura ſupplet, quæ reſpicit ad v. 58, ubi *ad ſidera cæli nare* dicuntur, ſicut *tranare* de volatu uſurpavit ſæpius Silius. Alterum de Dædalo ejuſque *alarum remigio* eſt Æn. 6, 19.

20. *abietem pro tabellis*] Quod factum a Plauto, qui Perſa 2, 2, 66 *obſignatam abietem* pro epiſtola poſuit.

20. *Cicero ad Brutum*] In epiſtola deperdita. Cæterum vicinum huic dicto eſt, quod ad eundem Brutum de claris oratoribus ſcribit c. 50 pr. *Id ipſum eſt ſummi oratoris, ſummum oratorem populo videri.*

21. ἔκλειψις] Vitioſum hoc eſſe, et ἔλλειψις legendum copioſiſſime oſtendit H. Stephanus de Abuſu Gr. L. p. 118 editionis, quam cum Kromayeri, amici nuper mei, ſui Præceptoris, adnotatiunculis dedit, a cujus ingenio et doctrina majora exſpectamus, Frid. Guil. Roloſſius.

21. *Arcadas ad portas*] Æn.

22 Mihi hanc figuram esse magis placet. Illic ergo reddetur[q]. Aliud etiam intelligitur ex[r] alio,

Adspice, aratra jugo referunt suspensa juvenci,

unde[s] apparet noctem appropinquare. Id nescio an oratori conveniat, nisi in argumentando, cum rei signum est.
23 Sed hoc ab elocutionis ratione distat. Nec procul ab hoc genere discedit[t] *μετωνυμία, quæ est nominis[u] pro[x] nomine positio[z]:* cujus vis est, pro eo, quod dicitur, caussam, propter quam dicitur, ponere: sed, ut ait Cicero, ὑπαλλαγὴν[a] rhetores dicunt. Hæc inventa ab inventore[b], et subjecta ab obtinentibus significat: ut, *Cererem corruptam undis:* et, —*receptus*

Terra Neptunus classes Aquilonibus arcet.

24 Quod fit retro durius. Refert autem, in quantum dictus tropus oratorem sequatur. Nam, ut *Vulcanum* pro igne vulgo audimus[c], et, *Vario Marte pugnatum*, eruditus est sermo, et *Venerem*, quam coitum, dixisse magis decet: ita *Liberum* et *Cererem* pro vino et pane licentius, quam ut fori severitas ferat. Sicut ex eo, quod continetur, usus recipit[d] *bene moratas urbes*, et *poculum epotum*, et *seculum*
25 *felix*. At id, quod contra est, raro audeat quis, nisi poeta,

——— *jam proximus ardet Ucalegon.*

Nisi forte hoc potius est, a possessore, quod[e] possidetur:

[q] redietur Jens. [r] aliud G. [s] *om.* G. [t] descendi Jens. [u] tropus *inf.* G. Jens. [x] *om.* G. [z] posito G. Jens. [a] ὑπαλλαγὴ eam esse rhet. G. [b] inventione G. [c] audivimus Jens. [d] recepit *id.* [e] qui possidet G. Jens. *male.*

11, 142. Nimirum deesse putat *cœperunt*. Alterum, *Adspice aratra*, est Ecl. 2, 66.

23. *nominis pro nomine*] Interpretatio nominis Græci hæc est, non definitio, quam statim subjungit. Locus autem Ciceronis est Orat. c. 27, ubi laudaverat Ennianum *Africa terribili* &c. *pro* Afris, inquit, *immutat* Africam. *Hanc* hypallagen *rhetores, quia quasi* summutantur *verba pro verbis*; metonymian *grammatici vocant, quod* nomina transferuntur.

23. *Cererem corruptam*] Æn. 1, 177. *receptus Terra*, Hor. A. P. 63.

23. *Quod fit retro durius*] Quin in propositis exemplis plane, credo, nisi ab insano fieri non potest: nisi tamen Proserpinam *panis* (hæc enim est *Ceres*) filiam; aut Tyro illam nympham a *mari* (h. e. *Neptuno*) corruptam, dicere pulchrum aut tolerabile arbitramur.

25. *jam proximus*] Æn. 2, 311.

ut, *hominem devorari*, cujus patrimonium consumatur.
Quo modo fiunt innumerabiles species. Hujus enim sunt 26
generis, cum *ab Annibale cæsa apud Cannas sexaginta millia* dicimus : et apud Tragicos *ab Ægialao*[f] *:* et *carmina Virgilii*[g] *venisse :* et *venire*[h] *commeatus,* qui afferantur : et *sacrilegium deprehensum,* non sacrilegum : et[i] *armorum scientiam habere,* non artis. Illud quoque et poetis et ora- 27
toribus frequens, quo eum, qui efficit, ex eo, quod efficitur, ostendimus. Nam et carminum auctores,

Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas,
Regumque[l] *turres.*

Et,

Pallentesque habitant morbi, tristisque senectus.

Et orator *præcipitem iram, hilarem adolescentiam, segne*[m] 28
otium dicit[n]. Est etiam huic tropo quædam cum synecdoche vicinia. Nam, cum[o] dico *vultus hominis* pro vultu, dico pluraliter, quod singulare est : quod[p] plurale est, singulariter. Sed non id ago, ut unum ex multis intelligatur, (nam id est manifestum) sed nomen immuto : ut, cum aurata tecta, *aurea,* pusillum a[q] vero discedo, quia non est nisi[r] pars aurata[s]. Quæ singula persequi, minutioris est curæ, etiam non oratorem instruentibus. Ἀντωνομασία, 29
quæ aliquid pro nomine ponit, Poetis quoque[t] modo fre-

[f] Ægilao G. *vid. leg.* Ægialeo. [g] Virgilium venit G. *vid. no.* [h] *om.* Jens. [i] *om. id.* non G. [l] Regumque turres *om.* G. [m] segnem G. [n] dicet Jens. [o] *om.* G. [p] quod—singulariter *om. Voss.* 2. *recte, arbitror.* [q] ab eo Jens. [r] *om.* G. Jens. [s] auratura Jens. auraturæ G. [t] utraque G. Jens.

26. *ab Ægialao*] Non dubito, quin sit legendum *Ægialeo.* Ægialeus Adrasti filius, unicus de *septem* Heroum, qui *ad Thebas* cum Polynice contra fratrem ejus Eteoclem pugnaverant, totidem filiis, quos ἐπιγόνους vocant, qui solus ad Thebas periit, cum de septem patribus solus ipsius pater Adrastus superstes fuisset. Fuit Sophoclis ἐπίγονοι Tragœdia. Forte in hac de Ægialeo aliquid, cæsisque ab eo, id est ab ipsius exercitu multis hostibus. Apollod. Bibl. 3, 7, 2, et 3. Hygin. fab. 71.

26. *carmina Virgilii venisse*] Locus corruptus : quæ enim Metonymia, si *Virgilii carmina venisse,* s. venum iisse vel vendita esse dicas ? Ita dedit vel similiter, puto, Fabius, quod Gothanus quoque liber indicat, et Philander vidit ex parte, *Virgilium, hoc est, carmina Virgilii venisse.* Quod enim putat Regius *carmina* dici pro libro, in quo sunt carmina : vereor, ut probari possit. Quid enim ? non scriptum illud ipso libro multo pretiosius est ? carmina emuntur, et propter carmina liber.

27. *Pallida mors*] Hor. Od. 1, 4, 13. *Pallentesque* Virg. Æn. 6, 275. Deinde *Divum pater* Æn. 1, 65. Et *Thalamo quæ,* 4, 495.

quentissima, et per *epitheton*, quia detracto eo, cui apponitur, valet pro nomine, *Tydides, Pelides:* et [u] ex his, quæ in quocumque sunt *præcipua*,

—— *Divum pater, atque hominum rex:*

et ex factis, quibus persona signatur,

—— *Thalamo quæ fixa reliquit Impius.*

30 Oratoribus etiamsi rarus ejus rei, nonnullus tamen usus est. Nam, ut *Tydiden* et *Peliden* non dixerint, ita dixerunt *impium* [v] pro parricida: *eversorem* quoque *Carthaginis et Numantiæ* pro Scipione, et *Romanæ eloquentiæ principem* pro Cicerone posuisse non dubitent. Cicero ipse certe usus est hac libertate: *Non multa peccas, inquit ille fortissimo viro senior magister, et* [x], *si peccas, te regere possum.* Neutrum enim nomen positum est, et utrumque intelligi-
31 tur. Ὀνοματοποιΐα quidem, id [z] est, *fictio nominis*, Græcis inter maximas habita virtutes, nobis vix permittitur. Et sunt plurima ita posita ab iis, qui sermonem primi [a] fecerunt, aptantes affectibus vocem. Nam *mugitus*, et *sibilus*,
32 et *murmur* inde venerunt. Deinde, tamquam consummata [b] sint omnia, nihil generare audemus ipsi, cum multa quotidie ab antiquis ficta moriantur. Vix illa [c], quæ παραγόμενα vocant, quæ ex vocibus in usum receptis quocumque modo declinantur, nobis permittimus, qualia sunt *Sullaturit* [d], et *proscripturit* [e]: atque *laureati postes* [f], pro
33 illo, lauro coronati, ex eadem fictione sunt. Sed hoc fe-

[u] et ex *it.* quæ in *om.* G. [v] impius G. Jens. [x] et—possum *om.* G. Jens. [z] *om.* G. [a] primo G. [b] consumta G. Jens. [c] illa πεποιημένα G. [d] usulatum G. [e] proscripturiæ G. [f] ponentes G.

30. *Non multa peccas*] Cic. pro Muræn. c. 29. Sumtum procul dubio ex fabula, quæ tum nota esset, ut neminem fugeret, quis ille *fortissimus vir*, quis *senior magister?* Jam cum non exstet ea fabula, frustra est hariolari. Potest *fortissimus vir* Achilles esse vel Agamemnon, *senior magister* Phœnix vel Nestor.

31. *mugitus—sibilus—murmur*] Quæ nomina qui pronuntiat, eadem illud edit, quod significant.

32. *Deinde*] Habet hoc *deinde* eam vim, quam Græcorum εἶτα, ut absurdam consequentiam cum vehementia quadam indicet. De quo ad Fabrum jam monuimus.

32. *cum multa—moriantur*] Videtur respicere Hor. A. P. 62. *Verborum velut interit ætas, Et juvenum ritu florent modo nata, vigentque. Debemur morti nos nostraque.* Et deinde, *Multa renascentur, quæ jam cecidere* &c.

32. *Sullaturit*] Vid. 8, 3, 32.

liciter, *evaluit* [ff]: at [g] contra *vio* pro *eo*, infelicius. In 33
Græcis *obëlifco* [h], *coludumo*, *&c.* dure etiam jungere [i] veta-
mur, qui toleranter videre *feptentriones* videmur. Eo ma- 34
gis neceffaria κατάχρησις, quam recte dicimus *abufionem*,
quæ non habentibus nomen fuum accommodat, quod in
proximo eft, fic,

—— *Equum* [k] *divina Palladis arte Ædificant:*

et apud Tragicos, *Et jam leo pariet* [l], at pater eft [m]. Mil- 35

[ff] evanuit *marg. Baf.* [g] adonia et vioco G. ad omoia et inoeo fermius in Grecis Kapp. adomia et vio eo ferimus in Gr. Jenf. *et* G. 2. *nifi quod* omoya. [h] Obidis acobaditivio G. Obidius acoludituino bono eo dure etfi Kapp. Obidius ocoludi tu moibono eo dure etiam G. 2. obidis oculuditiuno bono eo dure atque jung. Jenf. [i] jungar atqui tollentem et G. jungere atqui tollentem et vid. Kapp. jungere qui tollentem G. 2. Jenf. [k] ecum ogra putant Ædif. G. fi cæcum ogra putant Ædif. Jenf. *Vulgata lectio jam eft in Afcenf.* 1519. [l] paret G. Jenf. [m] *om.* Jenf.

33. *at contra vio*] Pofuimus lectionem hujus loci, ut ex optimis editionibus Burmannus repetiit, quæ qualicunque poffeffionis titulo fe defendat, dum ingeniofus aliquis ex monftrofa, quam fupra dedimus, varietate verum forte eruat. Interim conjecturam unam alteramque hic proponemus. Igitur Obrechtus, *Sed hoc feliciter : evanuit e contra* vio *in* eo : *ferimus in Græcis obelifcos,* ὑπερboreo *dure : et tamen jungere Maronem folerter et dividere* feptentriones *videmus.* Rationem reddere non folet: nec nos poffumus.

33. *obelifco, coludumo*] Turnebus, non ille perfonatus, cujus adfcripta ad hunc locum nota in alia omnia abit; fed verus ille Turnebus Adv. 12, 11, conjicit hic effe Ariftotelis illud ὀβελισκολύχνιον, inftrumentum quod et veru et candelabri vices idem præftet, cujus mentionem facit Polit. 1, 1. it. 4, 15. et de part. animal. 4, 6. Werlhofius, magnum ægrorum præfidium, medicinam etiam Fabio facere adgreffus, ut alias feliciffimam, ita hic modeftam pro magnitudine mali et fufpenfa manu adminiftratam. Legit, *E Græcis* obelifco (ὀβελίζω) colum (κῶλον) *ducere* (et in linguam noftram adfumere) *etiam jungere* (five componere Græcorum more verba) *vetamur, qui toleranter videre* feptemtriones *videmur* (tanquam venia potius quam laude dignum.) Modefta, inquam, eft illa conjectura, (ut ipfe nempe eft vir modeftiffimus) fi eam compares cum vulgata lectione : cum vero ab ea vehementer diffideant libri antiqui, fateor mihi aquam hærere. Illud adjicio, in illo *Obidis* latere *Ovidium* putat Burmannus, cui aperte fuffragantur Gothanæ pofteriores membranæ et Cel. Kappii.

34. *Equum divina*] Æn. 2, 15. *Inftar montis equum* &c. In *ædificant* eft catachrefis verbi, quod ad *ædes* et domus proprie pertinet. Utrum vero hunc locum fignare voluerit Fabius, non dixerim. Nifi quod filentium Anglicanorum codicum confenfum cum vulgata interpretari interim licet: fed tacent illi etiam in præcedentibus, ut fufpicio oriatur, dormitaffe hic vel pertæfos laboris effe eruditos eorum tractatores.

34. *Et jam leo pariet*] *Leo,* qui pater eft, non *parit,* fed *generat.*

le[n] funt hæc, et *acetabula*[o], quidquid habet; et *pyxides*, cujufcumque materiæ funt; et *parricida*, matris quoque aut fratris interfector. Difcernendumque eft hoc[p] totum a tranflatione genus, quod *abufio* eft, ubi nomen defuit: *tranflatio*, ubi aliud fuit[q]. Nam poetæ folent abufive etiam in his rebus, quibus nomina fua funt, vicinis po-
36 tius uti; quod rarum in profa eft. Illa quoque quidam[r] καταχρήσεις effe volunt, cum pro temeritate *virtus*, aut pro luxuria *liberalitas* dicitur. A quibus hæc quidem diffonantia funt, quod in his non verbum pro verbo ponitur, fed res pro re. Neque enim putat quifquam *luxuriam* et *liberalitatem* idem fignificare: verum id, quod[s] fit, alius *luxuriam* effe dicit, alius *liberalitatem*: quamvis neutri du-
37 bium fit, hæc effe diverfa. Supereft ex his, quæ aliter fignificant, μετάληψις, id eft *tranffumtio*, *quæ ex alio in aliud velut viam præftat*: tropus et rariffimus, et maxime[t] improprius[u], Græcis tamen frequentior, qui[x] *Centaurum*[y] Chirona[z], et νήσεσ[a] θοὰς ὀξείας dicunt. Nos quis ferat, fi

[n] *Forte leg.* Similia funt et hæc. Sunt mille, ficut hæc *Obr. Si ex libro, bene: fin, malim ut pofui.* [o] accetabula Jenf. acceptabilia G. [p] ac totum tranflationis iftud genus G. Difc. eft totum a tranflatione iftud genus, quod abufio eft, ubi nomen nullum fuit Obr. [q] defuit Jenf. [r] quidem G. [s] qui fit aliud—aliud G. [t] *om.* G. [u] improbus G. [x] qua G. Kapp. quam Jenf. [y] fcient aurum G. G. 2. Jenf. ftient aurum Kapp. [z] qui auroriem G. qui hitorem Kapp. qui haronem Jenf. qui hirorie G. 2. [a] hoc cona infule φιλοθοας dicuntur G. hoc cona infule—dicunt G. 2. Kapp. *et* Jenf. *nifi quod* infulem Kapp.

Abufio igitur eft, cum Tragicus nefcio quis dixit, *Jam leo pariet.* Sic Burm. Alii catachrefin ponunt in eo, quod *Leo* ponatur pro *Leæna*, quod antiquis confuetum fuiffe oftenderat idem vir doctiffimus ad Quinctil. 1, 6. p. 74.

35. *acetabula—pyxides*] Illa nempe proprie *oxybapha*, *aceto* deftinata vafcula; hæc a materia, πύξῳ f. *buxo*. Qui *acceptabula* dicebant, qui error libros plerofque invafit, ab *accipiendo* generalius volebant dicta.

37. *tranffumtio*] Vid. 6, 3, 52. ubi exemplum, unde clare, quæ fit *metalepfis* f. *tranffumtio*, intelligitur. Græca hic etiam ita corrupta funt, ut confirmare non audeam hæc exempla effe ab ipfo Fabio. Si quis igitur eum, qui *Chiron* proprio nomine vocatur, *centaurum* appellat, utitur metalepfi, tribuitque huic Chironi nomen, quod alii Chironi convenit, huic non item. Ita malo, quam contra *centaurum* unumquemque *Chironis* nomine appellari: ea enim non Metalepfis fuerit, fed Antonomafia.

37. νήσεις θοάς] Sufpicor hanc lectionem effe ab emendatoribus, quos *infulæ* vox et fyllabæ θοὰς deduxerunt ad Homeri 'Οδ. ό. 298. Ἔνθεν δ' αὖ νήσοισιν ἐπιπροέηκε θοῇσιν· quem verfum Metalepfeos exemplum laudatum meminerant in libello de Homero, qui Plutarcho infcribitur, p. 205 Gal. Nimirum ὀξὺς et θοὸς funt fynonyma: qua *celerem* notat utrumque. Sed ὀξὺς

Verrem, *ſuem:* aut Lælium, *doctum* nominemus? Eſt 38 enim hæc in metalepſi natura, ut inter id, quod transfertur, ſit medius quidam gradus, nihil ipſe ſignificans, ſed præbens tranſitum: quem tropum magis affectamus, ut habere videamur, quam [b] ut [c] ullo in loco deſideremus. Nam [d] ejus frequentiſſimum exemplum eſt, *cano, canto, dico:* ita *cano* [e], *dico*. Intereſt [f] medium illud *canto.* Nec 39
diutius in eo morandum: nihil [g] enim uſus admodum video, niſi [h], ut dixi, in mediis [i]. Cetera jam non ſignificandi gratia, ſed ad ornandam modo [l], non augendam orationem aſſumuntur [m]. Ornat enim ἐπίθετον, quod recte diximus *appoſitum:* a nonnullis *ſequens* dicitur. Eo po- 40
etæ et frequentius et liberius utuntur. Namque illis ſatis eſt convenire verbo, cui apponitur: et ita *dentes albi,* et *humida vina* in his non reprehenduntur. Apud oratorem, niſi aliquid efficitur, redundat. Tum autem efficitur, ſi ſine illo, quod dicitur, minus eſt: qualia ſunt, *O ſcelus abominandum* [n], *o deformem libidinem.* Exornatur 41
autem res tota maxime tranſlationibus, *Cupiditas effrenata,* et, *Inſanæ ſubſtructiones.* Et ſolet fieri aliis adjunctis epitheton tropus [o], ut apud Virgilium, *Turpis egeſtas,* et,

[b] quem Jenſ. [c] *om.* G. Jenſ. [d] id. *inf.* G. [e] canonico G. [f] *Sic Obr.* Item eſt med. il. cano *rel.* [g] niſi uſus Kapp. Jenſ. [h] nihil *iid.* [i] comœdiis *iid. et* G. [l] *om.* G. Jenſ. [m] aſſumitur G. [n] abhomin. G. Jenſ. [o] tropis *iid.*

præterea ad *acutam* figuram refertur, quod in θοὸς ſe non ita habet. Poeta autem κατὰ συνωνυμίαν, ut loquitur laudatus modo auctor, σημαίνει πρᾶγμα διάφορον· et quia ὀξὺς certo reſpectu eſt θοὸς, inſulam, quæ ὀξεία eſt, θοὴν appellat. Sic *Verres* et *ſus* ſunt ſynonyma, *ſapiens* et *doctus* item: ſed Metalepſis intolerabilis fuerit, ſi C. Cornelium pro *Verre ſuem,* et C. Lælium pro *ſapiente doctum* velis appellare. Werlhofius meus pro *doctum* legi vult *Decimum,* atque in eo ponit Metalepſin, ſi ideo, quod unus nobilis Lælius *Decimus* fuit, alium quemcunque ejus familiæ *Decimum* velis dicere.

38. *cano, canto, dico*] Qui *cantat,* idem *canit,* h. e. modulatur, tollit vocem ac remittit, et *dicit,* h. e. articulata verba profert; hinc, quæ in medio verbo *cantare* conveniunt verba, eadem pro ſe invicem ponuntur. Recepi lectionem Obrechti, ut quam neceſſariam putem, quæ mihi etiam olim in mentem venerit: cujus ille forte auctores libros habuit.

39. *ut dixi, in mediis*] Hæc ſana eſſe non puto, nec ſanari, ſi legamus *in comœdiis.* Verba *ut dixi* referuntur, credo, ad ſ. 38, *quem tropum magis—deſideremus.* Hinc forte exſculpere aliquando emendationem licebit.

39. *appoſitum*] Vid. 8, 2, 10. ubi Burmannus *dementem furorem, taciturna* et *muta ſilentia, pavidum metum, mœſtum dolorem,* quin *ſonitum ſonantem* ex poetis protulit.

41. *apud Virgil.*] Æn. 6, 275. ubi *pallentes morbi, triſtis ſenectus,* et *turpis egeſtas* junguntur.

Triſtis ſenectus. Verumtamen talis eſt ratio [p] hujuſce virtutis, ut ſine appoſitis nuda ſit et velut incomta oratio.
42 Ne oneretur [q] tamen multis: nam [r] ſit longa et impedita, ut in quæſtionibus [s] eam judices [t] SIMILEM [tt] agmini totidem lixas habenti, quot milites quoque [u], in quo et numerus eſt duplex, nec duplum virium: quamquam non ſingula modo, ſed etiam plura verba apponi ſolent: ut,

Conjugio Anchiſa Veneris dignate ſuperbo.

43 Sed hoc quoque modo duo verba, uni appoſita, ne verſum quidem decuerint. Sunt autem, quibus non videatur hic omnino tropus, quia nihil vertat. Neceſſe eſt enim [x] ſemper, ut [z] id, quod eſt appoſitum, ſi [a] a proprio diviſeris, per ſe ſignificet, et faciat *antonomaſiam.* Nam, ſi dicas, *Ille, qui Carthaginem et Numantiam evertit,* antonomaſia [b]
44 eſt: ſi adjeceris *Scipio*, appoſitum. Non poteſt ergo non [c] eſſe junctum [d]. At *ἀλληγορία*, quam *inverſionem* interpretamur [e], aliud verbis, aliud ſenſu oſtendit, ac etiam interim contrarium. Prius, ut,

O navis, referent in mare te novi
Fluctus: o quid agis? fortiter occupa Portum.

[p] oratio Jenſ. [q] *om.* G. [r] ſit læta et G. ſit cocan *Alm.* ſit læta etiam Jenſ. [s] quæſtione G. [t] jungas Jenſ. [tt] jungas *inſ.* Jenſ. [u] *om.* G. [x] *om.* G. Jenſ. [z] cum idem app. *iid.* [a] *om.* G. [b] anton. eſt *om.* G. [c] *om.* G. Jenſ. [d] vinctum *iid.* [e] interpretantur ut —oſtendat *iid.*

42. *Conjugio*] Virg. Æn. 3, 475.

42. *Sed hoc—decuerint*] Si hanc periodum a me intelligi dicam, mentiar. Quis enim eſt *hic modus?* Decuit ſane Virgilium dicere Famam Æn. 4, 181, *monſtrum horrendum, ingens:* et 3, 658, Polyphemum *Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademtum.* Itaque aliquid ſubeſt vel corruptum, vel mihi quidem nondum perceptum.

44. *interim contrarium*] De quo ſ. 54. ſq.

44. *O navis*] Horat. Od. 1, 14. Cæterum negant allegoriam hic eſſe Muretus, Tan. Faber, et Bentleius: et ſane, abſque hoc Quinctiliani loco ſi eſſet, nemo forte de allegoria cogitaſſet. Suſpectam mihi eam facit ille præſertim verſus, *Nuper ſollicitum quæ mihi tædium, Nunc deſiderium:* videtur enim, ſi hic allegoria eſt, parum generoſe Pompeianas reliquias notare, ac ſe invitum et cum tædio eas partes ſecutum oſtendere: cum, ſi proprie ſumas, nauſea et periculi metus, in quo fuerit Horatius, quamdiu ipſe in hac navi fuerit, pulchre ſic notetur. Sed nec ineptiarum poſtulaverim, quod Bentleius facit, Quinctilianum, neque cum Baxtero Fabrum accuſem, qui plus ſapere quam Quinctilianus voluerit. Problema eſt non maximi momenti, nec nimis idem facile; in quo diverſum facile ſentiant doctiſſimi. Laudavit Muretum, Fabrum, Maſſonum, hic Burmannus.

totusque ille Horatii locus, quo *navim* pro republica[f], *fluctuum tempestates*[g] pro bellis civilibus, *portum* pro pace atque concordia dicit. Tale Lucretius, 45

Avia[h] *Pieridum peragro loca.*——

et Virgilius,

Sed nos immensum spatiis confecimus æquor:
Et jam tempus equum fumantia[i] *solvere colla.*

Sine translatione vero in Bucolicis, 46

Certe equidem audieram, qua se subducere colles
Incipiunt, mollique jugum demittere clivo,
Usque ad aquam, et veteris jam[l] *fracta cacumina fagi,*
Omnia carminibus vestrum servasse Menalcam.

Hoc enim loco præter nomen cetera propriis decisa sunt 47 verbis: verum non pastor *Menalcas*, sed *Virgilius* est intelligendus. Habet usum talis allegoriæ frequenter oratio, sed raro totius: plerumque apertis permixta est. Tota apud Ciceronem talis. *Hoc miror enim, querorque, quemquam hominem ita pessumdare alterum verbis velle, ut etiam navem perforet, in qua ipse naviget.* Illud commixtum 48 frequentissimum. *Equidem ceteras tempestates et procellas in illis duntaxat fluctibus concionum semper Miloni putavi esse subeundas.* Nisi adjecisset *duntaxat fluctibus concionum,*

[f] populo G. [g] tempestatem G. [h] Via Jens. *et V. C. Alm. vitiose:* invia *multi ap. Bur. Vid. no.* [i] spumantia G. Jens. *et plerique MSS. ap. Bur. Vid. no.* [l] confracta *iid.*

45. *Lucretius*] 4. 1. Observatu dignum est his, qui libros antiquos tractant, ex eodem fonte ortam lectionem *via*, quam supra notavimus, e qua *omnia*, quod legitur in prima omnium editione Lucretii A. 1486. Nimirum primam literam libri cum miniculatori relinqueret librarius pingendam elegantius, relictum est *via:* hoc arripuit aliquis Fabii emendator imperitus. Porro *via* illud cum non placeret alii, qui laborare versum sentiret, fecit *ōia*, h. e. *omnia*. Alii, quos Regius secutus est, *invia* conjecerunt, non male illi quidem, sed *avia* verum esse, vel inde patet, quod unam tantum literam ab initiis relinquere miniculatori, quem diximus, descriptores solebant.

45. *Virgilius*] Georg. 2, 541. *in Bucolicis* 9, 7.

45. *fumantia colla*] Solenniter hæc duo *fumans* et *spumans* misceri a librariis, observatum a Drakenb. ad Sil. 2, 163. Nec sane *spumantia* damnare ausim: videmus enim in exercitis vehementius equis non in *fumum* modo facile, imprimis si frigidior tempestas sit, sed in *spumam* etiam sudorem colligi.

48. *Equidem ceteras*] Pro Milon. 2.

eſſet allegoria: nunc eam miſcuit. Quo in genere et
ſpecies ex arceſſitis verbis venit, et intellectus ex pro-
49 priis. Illud vero longe ſpecioſiſſimum genus orationis,
in quo trium permixta eſt gratia, ſimilitudinis, allegoriæ,
et tranſlationis: *Quod fretum, quem Euripum, tot motus,
tantas, tam varias habere creditis agitationes, commutationes,
fluctus, quantas perturbationes, et quantos æſtus habet ratio co-
mitiorum* [m] *? Dies intermiſſus unus, aut nox interpoſita ſæpe
et perturbat omnia, et totam opinionem parva nonnumquam
50 commutat* [n] *aura rumoris.* Nam id quoque in primis eſt
cuſtodiendum, ut, quo [o] ex genere cœperis tranſlationis,
hoc deſinas. Multi enim, cum initium a tempeſtate ſum-
ſerunt, incendio aut ruina finiunt: quæ eſt inconſequentia
51 rerum fœdiſſima. Ceterum allegoria parvis quoque inge-
niis, et quotidiano ſermoni frequentiſſime ſervit: nam illa
in agendis cauſſis jam detrita, *Pedem conferre*, et *Jugulum
petere*, et *Sanguinem mittere*, inde ſunt [p]: nec offendunt
tamen. Eſt enim grata in eloquendo novitas, et commu-
tatio [q]: et magis inopinata delectant. Ideoque jam in
his amiſimus modum, et gratiam rei nimia captatione [r]
52 conſumſimus. Eſt in *exemplis* allegoria, ſi non [s] prædicta
ratione ponantur. Nam, ut [t] *Dionyſium* [u] *Corinthi eſſe*,
quo Græci omnes utuntur, ita plura ſimilia dici poſſunt.
Hæc allegoria, quæ eſt obſcurior, *ænigma* dicitur: vi-
tium meo quidem judicio, (ſi quidem dicere dilucide vir-
tus) quo tamen et poetæ utuntur,

Dic, quibus in terris, et eris mihi magnus Apollo,
Tres [x] *pateat cœli ſpatium non amplius ulnas?*

53 Et oratores nonnumquam: ut Cœlius [z], *quadrantariam* [a]

[m] comicorum G. *male.* [n] committat G. [o] quo—initium a *om.* Jenſ. *verſum nempe unum præterviderunt operæ.* [p] fit G. Jenſ. [q] emutatio Jenſ. [r] cooptatione *id.* [s] *om.* G. [t] et Jenſ. [u] Dionyſum G. [x] Tris G. Jenſ. [z] Cæcilius *iid.* [a] quadratoriam G.

49. *Quod fretum*] Pro Muræn. 17.

51. *Sanguinem mittere*] Ubi hoc in agendis cauſis locum habeat, quæri poteſt; de aliis enim apparet. Adhuc adnotati ſunt duo loci ad Att. 1, 16, *miſſus eſt ſanguis*, i. e. materia ſubtracta, *invidiæ ſine dolore*: et Att. 6, 1, ubi Appius ἐξ ἀφαιρέσεως *curaſſe provinciam, ſanguinem ei miſiſſe* dicitur.

52. *Dic, quibus*] Ecl. 3, 104.

53. *Cœlius*] Sic legendum, cum notum ſit dixiſſe pro ſe ipſum M. Cœlium accuſante Clodia: ad hunc itaque referenda, quæ hic dicuntur omnia, non ad Cæcilium Comicum: præſertim cum *oratores* laudet hic Fabius. Hæc notanda contra Ramireſium ad Mart. 3, 30. Nimirum ut breviter dicamus, quæ maxime videntur probabilia, *Clytæmneſtra* dicta propter ſuſpicionem interfecti mariti Metelli: *quadran-*

Clytæmneſtram, in[b] *triclinio choam,* [c] *in cubiculo nolam.* Namque et nunc quædam ſolvuntur, et tum erant notiora, cum dicerentur, et [d] *ænigmata* ſunt tamen, nec ea [e], niſi quis interpretetur, intelligas. In eo vero genere, quo 54
contraria oſtenduntur, *ironia* eſt: *illuſionem* vocant: quæ aut pronuntiatione intelligitur, aut perſona, aut rei natura: nam, ſi qua earum verbis diſſentit, apparet diverſam eſſe orationi voluntatem: quamquam [f] in plurimis id 55
tropis accidit, ut interſit, quid [g] de quo dicatur: quia (quod dicitur alibi) verum eſt, aut [h] laudis ſimulatione detrahere, aut vituperationis [i] laudare [l], conceſſum eſſe [m]: quale eſt, quod *C. Verres, prætor urbanus, homo ſanctus et diligens, ſubſortitionem ejus in eo codice* [n] *non haberet.* Et contra, *Oratores viſi ſumus, et populo impoſuimus.* Ali- 56
quando cum riſu quodam contraria dicuntur iis [o], quæ intelligi volunt: quemadmodum in [p] Clodium, *Integritas tua te purgavit, mihi crede, pudor eripuit, vita anteacta ſervavit.* Præter hæc uſus eſt allegoriæ, ut triſtia dica- 57
mus melioribus [q] verbis, aut bonæ rei gratia quædam con-

[b] interclinio G. et in tricl. Jenſ. [c] et *inſ.* Jenſ. [d] *om.* G. [e] eas G. [f] inquam G. [g] *om.* Jenſ. [h] et laudi aut G. Jenſ. et laudis aut Kapp. *Almel.* aut laudi *rel.* [i] *Sic* Kapp. *Almel.* vituperatione G. vituperationi *rel.* [l] *Sic* Jenſ. Kapp. laude *rel.* [m] eſt G. Kapp. Jenſ. [n] *om.* G. die Jenſ. *Sed* codice *eſt ap. Ciceronem, et neceſſario.* [o] iis *om.* Jenſ. uſuque G. [p] ad G. Jenſ. [q] mollioribus *vid. leg. Werlhofio et mihi.*

taria, quod, Plutarcho teſte in vita Ciceron. p. 1604, Steph. τῶν ἐραστῶν τις αὐτῇ χαλκοῦς ἐμβαλὼν εἰς βαλάντιον, ὡς ἀργύριον εἰσέπεμψε· τὸ δὲ λεπτότατον τοῦ χαλκοῦ νομίσματος κουαδράντην ἐκάλουν. *Quadrantaria* igitur eſt, cum in æreo puſillo numiſmate, quadrantibus, ſatis fieri poteſt. De reliquis forte minus inepta eſt interpretatio Alciati Parerg. jur. 2, 12, probata etiam Voſſio Orat. 4, 11, 1, 5, p. 206, procacem laſcivamque in triclinio, et ad *coitum* ultro allicientem, *nolendo* deinde, ubi in cubiculum atque ad rem ventum eſſet, amatores luſiſſe. Aliquando etiam *Coam* dici cogitabam, quæ Cois veſtibus induta in conviviis nihil corporis ſui ſatis bona fide tectum haberet. Sed metuo, ne hæ ſint difficiles et nugæ tamen.

55. *aut laudis ſimulatione*] Videmur huic loco lucem et elegantiam reddidiſſe. Nihil eſt ſolennius (an conceſſum ſit, non diſputo) quam *laudis ſimulatione detrahere*; nec alterum inauditum, licitum quidem et jucundum, *vituperationis* ſimulatione *laudare.* Utrumque junxit Oſſunæ dux ille, qui Neapolitanum regnum pro Rege gubernavit, qui interrogatis compeditis quibuſdam remigibus, cum omnes innocentes videri vellent, unus autem ſceleratum ſe hominem et majora commeritum fateretur, *Quin tu,* inquit, *furcifer, ſtatim exis navi regia ante, quam bonos illos tot viros mihi contagione ipſa corrumpas.* Add. ad 9, 2, 27.

55. *quod C. Verres*] Ex Orat. pro Cluent. c. 33. Alterum *Oratores viſi* jam laudaverat ſupra ſ. 20, ubi vid. not.

trariis ſignificemus, aliud textu [r]: quæ et enumeravimus. Hæc, ſi quis profecto [s] ignorat, quibus Græci nominibus appellent, *σαρκασμὸν* [t], *ἀστεϊσμὸν, ἀντίφρασιν* [u], *παροιμίαν* [x] dici
58 ſciat. Sunt etiam, qui hæc non ſpecies allegoriæ, ſed ipſa tropos dicunt [z]: acri quidem ratione, quod illa obſcurior ſit, et in his omnibus aperte appareat, quid [a] velimus. Cui accedit [b] hoc [c] quoque, quod genus, cum dividitur [d] in ſpecies, nihil habeat [e] proprium, ut *arbor pinus*, et *olea*, et *cupreſſus*, et ipſius per ſe nulla proprietas: *Allegoria* vero habeat aliquid proprium: quod [f] quo modo

[r] textum ſpectato et adnum. Kapp. textum ſpecta quæ et annum.—appellant G. 2. [s] *om.* Kapp. Jenſ. Profeſſor *conj.* Werlh. [t] *καρκαῖσμὸν* G. [u] *ἀντιγραφὴν* G. [x] *προοιμίαν* G. [z] dicant G. [a] quod G. Jenſ. [b] accidit *id.* [c] hæc G. [d] dividatur G. [e] habet G. Jenſ. [f] quoquo *iid.*

57. *aliud textu: quæ et*] Locus, niſi me omnia fallunt, lacuna corruptus. Enumeravit Fabius ſpecies, quas quidam conſtituunt *Allegoriæ*, egitque hactenus de ea, quæ *metaphoram* continuat, certe *ſimilitudine* quadam conſtat, a ſ. 44—51: tum de ea, quæ in *exemplo* ineſt, ſ. 52: de *ænigmate* ibid. et ſ. 53: de *ironia* ſ. 54—56. Jam reliquas commemoraturus, *Præter hæc*, inquit, *uſus eſt Allegoriæ, ut triſtia dicamus melioribus* (mollioribus) *verbis*. Quis non videt, εὐφημισμὸν hic deſcribi? Pergit, *aut bonæ rei gratia quædam contrariis ſignificemus*. Pro *aut bonæ rei* vellem eſſet in bono libro *urbanitatis:* ſic enim ἀστεϊσμὸς ſignificari poſſet. Quæ jam ſequuntur, ſunt corruptiſſima. Verba *aliud textu*, vel, ut eſt in Cl. Kappii libro, *aliud textum ſpectato* e margine huc puto irruiſſe, cum aliquis animadverſa lacuna adſcripſiſſet *aliud textum* ſ. aliud exemplum emendatius et incorruptius exſpectandum eſſe et inſpiciendum de hoc loco. In eaſdem cogitationes etiam doctiſſimum Heuſingerum impulit ſimilis Gothani ſecundi lectio. Poſt verba igitur, quæ jam deſiderantur, definitiones nempe earum figurarum, quæ ad *Allegoriam* referebantur ætate Fabii, Græca earumdem nomina nos docere voluit. *Quæ enumeravimus*, inquit, *hæc ſi quis ignorat* &c. Quæ porro nomina hic poſuerit, non magis apertum eſt, quam quas definitiones temporum injuria interceperit. Εὐφημισμὸν (de quo præclare Voſſ. 4, 10, 9. p. 187.) deſiderari, non facile mihi aliquis eripiet. De reliquis exiſtimari utcunque poteſt ex enumeratione Chariſii L. 4. p. 247. Putſch. qui *Allegoriæ*, quam inter tropos ponit, ſeptem facit ſpecies, *Ironiam, Antiphraſin, Ænigma, Charientiſmon, Parœmiam, Sarcaſmon, Aſteiſmon*. Eaſdem ſpecies, iiſdem fere exemplis illuſtratas ponunt Diomedes L. 2. p. 457. ſq. et Donatus p. 1777. ſq. Putſch. Παροιμία quidem ſine dubio allegoriæ ſpecies etiam Noſtro 5, 11, 21. Werlhofius meus ad παροιμίαν refert, *cum triſtia dicimus melioribus, aut bonæ rei* &c. eſſe enim generatim παροιμίαν, cum de via deflectitur; ſed optem, probari poſſet etiam aliunde hæc ratio: Grammatici quidem, quos laudavi, et plures apud Stephanum in Theſauro aliter.

58. *nihil habeat proprium*] Quod non idem in ſpeciebus omnibus deprehendatur.

fieri poteſt, niſi [g] ipſa ſpecies eſt? Sed ad utendum nihil
refert. Adjicitur his μυκτηρισμὸς [h], ſimulatus quidem, ſed 59
non latens deriſus. Pluribus autem verbis cum id, quod
uno aut paucioribus certe dici poteſt, explicatur, περίφρασιν
vocant, *circuitum loquendi* [i], qui [l] nonnumquam neceſſita-
tem habet, quoties dictu deformia operit: [m] Salluſtius,
Ad requiſita [n] *naturæ* [o]. Interim [p] ornatum petit ſolum, 60
qui eſt apud poetas frequentiſſimus: ut,

Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris
Incipit, et dono divum gratiſſima ſerpit.

Et apud oratores non rarus, ſemper [q] tamen adſtrictior.
Quidquid enim ſignificari [r] brevius poteſt, et cum ornatu 61
latius oſtenditur, περίφρασις eſt: cui nomen Latine datum
eſt, non ſane orationis aptum virtuti, *circumlocutio*. Ve-
rum hæc ut, cum decorum [s] habet, *periphraſis*; ita, cum
in vitium incidit, περισσολογία dicitur. OBSTAT enim,
quidquid [t] non adjuvat. *Hyperbaton* quoque, id eſt, *verbi* 62
tranſgreſſionem, quam [u] frequenter ratio comparationis et
decor poſcit, non immerito inter virtutes habemus. Fit
enim frequentiſſime aſpera et dura, et diſſoluta et hians
oratio, ſi [x] ad neceſſitatem ordinis ſui verba redigantur,
et, ut quodque oritur, ita proximis, etiamſi vinciri non
poteſt, alligetur. Differenda [z] igitur quædam, et præſu- 63
menda, atque, ut in ſtructuris lapidum impolitiorum [a],
loco, quo convenit, quidque ponendum. Non enim reci-
dere ea, nec polire poſſumus, quo [b] coagmentata ſe magis

[g] in G *forte* ni. [h] myſteriis G. Jenſ. [i] eloqu. G. Jenſ. [l] quod G. [m] ut *inſ.* G. Jenſ. [n] reliqua G. [o] ſunt *inſ.* G. [p] intima G. [q] *om.* G. [r] ſignari Jenſ. [s] decorem G. Jenſ. [t] quod G. inquit Jenſ. [u] quoniam *id.* [x] ſed G. [z] deferenda Jenſ. [a] impolitior —quiſque ponendus G. Jenſ. [b] quæ G.

59. *Salluſtius*] Laudavit, Almeloveenio jam obſervante, Carrio ad fragm. hiſtor. p. 489, (edit. Grut. 1607, 8.) ex Flodegarii cujuſdam commentario MS. ad Barbariſmos Donati, hæc paullo plenius, *profectus quidam Ligus ad requiſita naturæ*. Vix mihi dubium eſt, quin reſpiciatur ad hiſtoriam, quam narrat Criſpus Jug. 93, 2. *Forte quidam Ligus ex cohortibus auxiliariis miles gregarius, caſtris* aquatum *egreſſus, haud procul ab latere caſtelli* &c. Utrum igitur Salluſtius mutavit in altera editione ſtilum? an aliquid paſſus eſt a mala manu? an *aquatum* eunt etiam ſoli? an *aquatum ire* dicuntur etiam, qui *ad requiſita naturæ* ſecedunt, et aquam deinde ſumunt? Quæſtiones valde magiſteriales. Sed nihil contemnendum neque in bello, neque ubi de integritate veterum librorum agitur.

60. *Tempus erat*] Æn. 2, 268.

jungant; ſed utendum his, qualia ſunt, eligendæque ſedes.
64 Nec aliud poteſt ſermonem facere numeroſum, quam opportuna ordinis mutatio. Neque alio in [c] ceris Platonis inventa ſunt quatuor illa verba, quibus in illo pulcherrimo operum *in* [d] *Piræeum ſe* [e] *deſcendiſſe* ſignificat, plurimis modis ſcripta, quod eum quoque maxime [f] facere ex-
65 periretur. Verum id, cum duobus verbis fit, ἀναςροφὴ dicitur, *reverſio* quædam; qualia ſunt vulgo, *Mecum, ſecum:* apud oratores et hiſtoricos, *Quibus de rebus.* At [g], cum decoris gratia contrahitur longius [h] verbum, proprie *hyperbati* tenet nomen: ut [i], *Animadverti, judices, omnem*
66 *accuſatoris orationem in duas diviſam eſſe partes* [l]. Nam *in duas partes* [l] *diviſam eſſe*, rectum erat, ſed durum et incomtum. Poetæ quidem etiam verborum diviſionem faciunt, et tranſgreſſionem,

——*Hyperboreo ſeptem ſubjecta trioni:*

quod oratio nequaquam recipiet. At id quidem [m] eſt, propter quod, cum [n] dicitur [o], *tropus* fit; quia componendus

[c] *om.* G. [d] imperii ſedes condidiſſe G. *it.* Voſſ. 2. [e] *om.* Jenſ. [f] *Sic V. C. Almelov.* maximi *al.* [g] Et G. [h] longis verbis G. [i] *om.* G. Jenſ. [l] partis Jenſ. *bis.* [m] quod *id.* [n] *om.* G. Jenſ. [o] dicit *iid.*

64. *in Piræeum ſe deſcendiſſe*] Narrat Halicarnaſſenſis Dionyſius περὶ συνθέσ. ſ. 25, p. 242, Upton. Digna ſunt verba, quæ hic legantur. Dixerat de Iſocratis diligentia; pergit, Ὁ δὲ Πλάτων, τὲς ἑαυτῦ διαλόγες κτενίζων καὶ βοςρυχίζων, καὶ πάντα τρόπον ἀναπλέκων, οὐ διέλιπεν ὀγδοήκοντα γεγονὼς ἔτη. Πᾶσι γὰρ δήπε τοῖς φιλολόγοις γνώριμα—τὰ περὶ τὴν δέλτον, ἣν τελευτήσαντος αὐτῦ λέγουσιν εὑρεθῆναι, ποικίλως μετακειμένην τὴν ἀρχὴν τῆς Πολιτέιας ἔχεσαν, τήνδε,

Κατέβην χθὲς ἐις Πειραῖα μετὰ Γλαύκωνος τῦ Ἀρίςωνος.

Memorantur eadem a Phalereo Demetrio ſ. 21. itemque a Diogene Laertio 3, 37. ubi Euphorion et Panætius auctores citantur. Habuit hoc Piræeus, ut magni homines de eo vehementer eſſent ſoliciti. Scripſerat ad Atticum Cicero 6, 9, *In Piræea cum exiſſem.* Ea de re ita diſputatum, ut tandem ſcriberet ad amicum ſuum 7, 3, *Quoniam Grammaticus es, ſi hoc mihi* ζήτημα *perſolveris, magna me moleſtia liberaris.*

64. *quod eum quoque*] *Eum,* h. e. *numeroſum ſermonem facere* quod *maxime experiretur* ſ. tentaret, ſtuderet, Plato, ideo ſæpe verba tranſpoſuit.

66. *Hyperboreo*] Virg. Georg. 3, 381.

66. *At id quidem eſt*] Non auſim confirmare ita dediſſe Fabium. Sententiam quidem, poſtquam illud *intellectibus* ſyllaba una minui, adſequi mihi videor. *Id,* h. e. illa verborum diviſio et tranſgreſſio eſt hoc, quod tropum facit; in eo ineſt tropus, quia *intellectus componendus eſt ex duobus* verbis unus. An hoc ſatis ſit ad *tropum?* non dixerim: mihi ſatis fuit ſententiam Fabii utcunque declarare.

eſt e duobus intellectus[p]. Alioqui[q], ubi nihil ex ſignifi- 67
catione mutatum eſt, et ſtructura ſola variatur, *figura*[r] potius *verborum* dici poteſt: ſicut multi[s] narrationem longis mutant hyperbatis. Ex confuſis quæ vitia accidunt, ſuo loco diximus. *Hyperbolen* audacioris ornatus ſummo loco poſui. Eſt hæc *ementiens*[t] *ſuperjectio*. Virtus ejus
ex diverſo par augendi atque minuendi. Fit pluribus 68
modis. Aut enim plus facto dicimus: [u] *Vomens fruſtis eſculentis gremium ſuum et totum tribunal implevit.*

—— *Geminique minantur In cœlum ſcopuli.*

Aut res per ſimilitudinem attollimus:

—— *Credas innare*[x] *revulſas Cycladas.*

Aut per comparationem: ut[z], 69

—— *Fulminis ocior alis.*

Aut ſignis quaſi quibuſdam,

Illa vel intactæ ſegetis per ſumma volaret
Gramina, nec teneras curſu læſiſſet ariſtas.

Vel tranſlatione, ut ipſum illud *volaret*. Creſcit interim[a] 70
hyperbole, alia inſuper addita: ut Cicero in Antonium dicit, *Quæ Charybdis tam vorax? Charybdin dico? quæ, ſi fuit, fuit animal unum: Oceanus, medius fidius, vix videtur tot res, tam diſſipatas, tam diſtantibus in locis poſitas, tam*
cito abſorbere potuiſſe. Exquiſitam vero figuram hujus rei 71
deprehendiſſe apud principem Lyricorum Pindarum videor in libro, quem inſcripſit ὕμνος. Is namque *Herculis impetum adverſus Meropas*, qui in inſula Co dicuntur habitaſſe, non igni, nec ventis, nec mari, ſed *fulmini dicit ſi-*
milem fuiſſe: ut illa minora, hoc par eſſet. Quod imitatus 72
Cicero, illa compoſuit in Verrem, *Verſabatur in Sicilia longo intervallo non Dionyſius ille, nec Phalaris, (tulit enim illa quondam inſula multos et crudeles tyrannos) ſed novum*

[p] *Sic* Jenſ. intellectibus *al.* [q] Aliquando *id.* [r] ſigna G. [s] ex his *inſ.* G. Jenſ. [t] de menſuris Jenſ. *An ſomniavit librarius aliquid de Italico* ſmiſurato *aut Gallico* démeſuré? [u] ſicut *inſ.* G. [x] in mare G. *vitioſe.* [z] et G. [a] interdum G..

68. *Geminique*] Æn. 1, 162. *Credas* Æn. 8, 691. *Fulminis* Æn. 5, 319. *Illa vel* Æn. 7, 808. *Cicero in Anton.* Phil. 2. 27.

71. *Herculis—Meropas*] Reſpicere Pindarum ad hanc Herculis expeditionem, monet Burmannus, Nem. 4, 41, et Iſthm. 6, 46; ſed nihil eſſe ibi hujus hyperboles.

72. *in Verrem*] 5, 56. *Vix oſſibus* Virg. Ecl. 3, 103.

quoddam monſtrum ex vetere illa immanitate, quæ in iiſdem
verſata locis dicitur. Non enim Charybdin tam infeſtam ne-
que Scyllam navibus, quam iſtum in eodem freto fuiſſe arbi-
73 *tror.* Nec pauciora ſunt genera minuendi.

——— *Vix oſſibus hærent.*

Et quod Cicero in quodam joculari libello,

Fundum Varro[b] *vocat, quem poſſim mittere funda:*
Ni tamen exciderit, qua[c] *cava funda patet.*

Sed hujus[d] quoque rei ſervetur menſura quædam. Quam-
vis enim eſt omnis *hyperbole* ultra fidem: non tamen eſſe
debet ultra modum: nec alia via magis in κακοζηλίαν itur.
74 Piget referre plurima hinc orta vitia, cum præſertim mi-
nime ſint ignota et obſcura. Monere ſatis eſt, mentiri
hyperbolen, nec ita, ut mendacio fallere velit. Quo magis
intuendum eſt, quouſque deceat extollere, quod nobis
non creditur. Pervenit hæc res frequentiſſime ad riſum:
qui ſi aptus eſt, *urbanitatis,* ſin aliter, *ſtultitiæ* nomen aſſe-
75 quitur. Eſt autem in uſu, vulgo quoque et inter erudi-
tos[e], et apud ruſticos, videlicet quod a[f] natura eſt omni-
bus *augendi res* vel *minuendi* cupiditas inſita, nec quiſquam
vero contentus eſt. Sed ignoſcitur, quia non affirmamus.
76 Tum eſt *hyperbole* virtus, cum res ipſa, de qua loquendum
eſt, naturalem modum exceſſit. Conceditur enim amplius
dicere, quia dici, quantum eſt, non poteſt: meliuſque
ultra, quam citra, ſtat oratio. Sed de hoc[g] ſatis, quia
eumdem locum plenius in eo libro, quo *cauſſas corruptæ*
eloquentiæ reddebamus, tractavimus.

[b] Vecto G. Vero Jenſ. [c] quod *id.* [d] huic—ſervatur G. [e] ine-ruditos Jenſ. [f] *om.* G. Jenſ. [g] his Jenſ.

76. *cauſſas corruptæ eloquentiæ*] Nihil ejus reperimus in dialogo, qui exſtat hodie: ut generatim nihil technicum.

M. FABII QUINCTILIANI

DE

INSTITUTIONE ORATORIA

LIBER NONUS.

CUM ſit proximo libro *de tropis* dictum, ſequitur pertinens ad figuras, quæ σχήματα Græce vocantur, locus, ipſa rei natura conjunctus ſuperiori. Nam plerique has *tropos* eſſe exiſtimarunt, quia ſive ex hoc duxerint[a] nomen, quod ſint formati quodam modo; ſive ex eo, quod vertant orationem, unde et *motus* dicuntur: fatendum
2 erit, eſſe utrumque eorum etiam in figuris. Uſus quoque eſt idem: nam et vim rebus adjiciunt, et gratiam præſtant. Nec deſunt, qui tropis *figuræ*[b] nomen imponant, quorum eſt C. Artorius[c] Proculus. Quin[d] adeo ſimilitudo manifeſta eſt, ut eam diſcernere non ſit in promtu.
3 Nam, quo modo quædam in[e] his ſpecies plane diſtant, manente tamen generali[f] illa ſocietate, quod utraque res a[g] recta et ſimplici ratione cum aliqua dicendi virtute deflectitur: ita quædam perquam tenui limite dividuntur: ut[h], cum *ironia* tam inter figuras ſententiæ, quam inter *tropos* reperiatur: περίφρασιν autem, et ὑπέρβατον, et ὀνοματοποιΐαν, et[i] ἐπίθετον, clari quoque auctores *figuras* verbo-
4 rum potius, quam *tropos*, dixerunt. Quo magis ſignanda eſt utriuſque rei differentia. Eſt igitur *tropus*, *ſermo a naturali et principali ſignificatione tranſlatus ad aliam ornandæ orationis gratia*: vel, (ut plerique Grammatici finiunt)

[a] dixerint G. [b] figurarum G. [c] Ariſtarchus Jenſ. *et MSS. plur. ap. Bur.* [d] quoniam G. [e] in ſpecie Jenſ. [f] generaliter ſoc. *id.* [g] de *id.* [h] et *id.* [i] et ἐπίθετον *om.* G.

I, 1. *motus dicuntur*] 8, 5. extr.
3. *ironia—inter fig. ſententiæ*] Vid. mox ſ. 29.

dictio ab eo loco, in quo propria eſt, tranſlata in eum, in quo
propria non eſt. *Figura,* (ſicut nomine ipſo patet) *eſt con-*
formatio quædam orationis, remota a communi et primum ſe
offerente ratione. Quare in tropis ponuntur [l] verba alia 5
pro aliis, ut in *μεταφορᾷ, μετωνυμίᾳ, ἀντονομασίᾳ, μεταλήψει,*
συνεκδοχῇ, καταχρήσει, ἀλληγορίᾳ plerumque, *ὑπερβολῇ.* Ἀλ-
ληγορία [m] namque et rebus fit, et verbis: *ὀνοματοποιΐα* fictio
eſt nominis: ergo hoc quoque pro aliis ponitur, quibus
uſuri fuimus, ſi illud non fingeremus: *περίφρασις* etiamſi 6
frequenter et id ipſum, in cujus locum aſſumitur, nomen
complecti ſolet, utitur tamen pluribus pro uno: *ἐπίθετον,*
quoniam plerumque [n] habet *antonomaſiæ* partem, con-
junctione ejus fit *tropus.* In *hyperbato* commutatio eſt or-
dinis: ideoque multi tropis hoc genus eximunt. Tranſ-
fert tamen verbum aut partem ejus a ſuo loco in alienum.
Horum nihil in figuras cadit. Nam et propriis verbis, et 7
ordine collocatis figura fieri poteſt. Quo modo autem
ironia alia ſit tropi, alia ſchematis, ſuo loco reddam.
Nomine [o] enim fateor eſſe communia [p] hæc, et ſcio, quam
multiplicem habeant, quamque [q] ſcrupuloſam, diſputatio-
nem: ſed ea non pertinet ad præſens meum propoſitum.
Nihil enim refert, quo modo appelletur utrumlibet eo-
rum, ſi, quid orationi proſit, apparet [r]. Nec mutatur vo-
cabulis vis rerum. Et, ſicut homines, ſi aliud acceperunt, 8
quam quod habuerant, nomen, iidem ſunt tamen: ita
hæc, de quibus loquimur, ſive *tropi,* ſive *figuræ* dicentur [s],
idem efficient. Non enim nominibus proſunt, ſed effec-
tibus: ut, *ſtatum conjecturalem,* an *infitialem,* an *facti,* an [t]
ſubſtantiæ, an *de ſubſtantia* nominemus, nihil intereſt,
dum idem quæri ſciamus. Optimum ergo in his ſequi 9
maxime recepta, et rem ipſam, quocumque appellabitur
modo, intelligi [u]. Illud tamen notandum, coire frequen-
ter in eaſdem ſententias et *τρόπον* et *figuram.* Tam enim
tranſlatis verbis, quam propriis, figuratur oratio. Eſt au- 10
tem non mediocris inter auctores diſſenſio, et quæ vis
nominis ejus, et quot genera, et quæ, quam multæque
ſint ſpecies. Quare primum intuendum eſt, quid accipere
debeamus *figuram.* Nam duobus modis dicitur: uno,

[l] ponantur Jenſ. [m] *om.* G. [n] pler. ant. pars eſt G. [o] Nomen G. Non Jenſ. [p] commune hæc ſcio G. [q] quamquam *al.* [r] appareat G. [s] dicuntur Jenſ. [t] an ſubſt. *om.* G. an ſubſtantialem Jenſ. [u] intelligere G. *recte, puto.*

7. *ſuo loco reddam*] 9, 2, 44.

qualiſcumque *forma* ſententiæ, ſicut in corporibus, in quibus, quoquo modo ſint compoſita, utique habîtus eſt ali-
11 quis: altero, quod proprie *ſchema* dicitur, in ſenſu vel ſermone aliqua a vulgari et ſimplici ſpecie cum ratione mutatio: ſicut nos *ſedemus, incumbimus, reſpicimus.* Itaque, cum in eoſdem caſus, aut tempora, aut numeros, aut etiam pedes continue quis, aut certe nimium frequenter incurrit, præcipere ſolemus *variandas figuras* eſſe vi-
12 tandæ ſimilitudinis gratia. In quo ita loquimur, tamquam omnis ſermo habeat figuram. Itemque *eadem figura* dicimus [x] *curſitare*, qua *lectitare*, id eſt, eadem ratione declinari. Quare illo intellectu priore et communi nihil non figuratum eſt. Quo ſi contenti ſumus, non immerito Apollodorus, ſi tradenti Cæcilio credimus, incom-
13 prehenſibilia partis hujus præcepta exiſtimavit [y]. Sed, ſi habitus quidam, et quaſi geſtus ſic appellandi ſunt, id demum hoc loco accipi [z] *ſchema* oportebit, quod ſit [a] a ſimplici atque in promtu poſito dicendi modo poetice vel oratorie mutatum [b]. Sic enim verum erit, aliam eſſe orationem *ἀσχημάτιστον*, id eſt, carentem figuris, quod vitium non inter minima eſt: aliam *ἐσχηματισμένην*, id eſt, *figu-*
14 *ratam*. Verum id ipſum anguſte [c] Zoilus [d] terminavit, qui id ſolum putaverit *ſchema*, quo aliud ſimulatur dici, quam dicitur: quod ſane vulgo quoque ſic accipi ſcio: unde et *figuratæ controverſiæ* quædam, de quibus paullo poſt dicam, vocantur. Ergo figura ſit *arte aliqua novata*
15 *forma dicendi*. Genus ejus unum quidam putaverunt, in hoc ipſo diverſas opiniones ſecuti. Nam hi, quia verborum mutatio ſenſus quoque verteret, omnes figuras in verbis eſſe dixerunt: illi, quia verba rebus accommodarentur [e], omnes in ſenſibus. Quorum [f] utraque manifeſta ca-
16 villatio eſt. Nam, ut [g] eadem dici [h] ſolent aliter atque aliter, manetque ſenſus elocutione mutata: ita [i] et figura ſententiæ plures habere verborum figuras poteſt. Illa eſt

[x] dici G. *Forte* dicimus dici. [y] exiſtimarit G. Jenſ. [z] dici Jenſ. [a] ſi G. [b] imitatum Jenſ. [c] tamen *inf.* Jenſ. [d] *Sic* G. Jenſ. *et probat ex Phœbammone Capperon.* Cælius *conj. Regii.* Cæcilius *rel.* [e] accommodarent Jenſ. [f] *Sic* G. Jenſ. Quarum *al.* [g] et G. Jenſ. [h] loci G. [i] *om.* G.

14. *figuratæ controverſiæ*] De quibus 5, 10, 70. et mox 9, 2, 65.

16. *figura ſententiæ*] Itane Fabius, *Figura ſententiæ poteſt habere plures figuras verborum?* Si ita, hoc voluit, v. g. in *interrogatione*, quæ ſententiæ figura eſt, po-

enim posita in concipienda cogitatione, hæc in enuntianda: sed frequentissime coeunt: ut in hoc, [l] *Jam jam, Dolabella, neque tui* [m], *neque tuorum liberûm.* Nam oratio a judice aversa, in sententia; *jam jam* et *liberûm*, in verbis sunt schemata. Inter plurimos enim, quod sciam, con- 17
sensum est, duas ejus esse partes, *διανοίας*, id est, *mentis*, vel *sensus*, vel *sententiarum*; nam iis omnibus modis dictum est; et λέξεως, id est, *verborum*, vel *dictionis*, vel *elocutionis*, vel *sermonis*, vel *orationis*; nam et variatur, et nihil refert. Cornelius tamen Celsus adjicit verbis et sen- 18
tentiis *figuras colorum*: nimia profecto novitatis cupiditate ductus. Nam quis ignorasse eruditum alioqui virum credat, colores et sententias sensuum esse? Quare, sicut omnem orationem, ita figuras quoque versari necesse est in sensu, et in verbis. Ut vero natura prius est, concipere 19
animo res, quam enuntiare: ita de iis figuris ante loquendum est, quæ ad mentem pertinent: quarum quidem utilitas cum magna, tum multiplex, in nullo non orationis opere [n] clarissime elucet. Nam, etsi minime videtur pertinere ad *probationem*, qua figura quidque dicatur, facit tamen credibilia, quæ dicimus, et in animos judicum, qua non observatur, irrepit. Namque, UT in armorum cer- 20
tamine [o] adversos ictus, et rectas ac simplices manus cum videre, tum etiam cavere ac propulsare facile est; aversæ tectæque minus sunt observabiles, et aliud ostendisse, quam petas, artis est: sic oratio, quæ astu caret, pondere, mole [p], et impulsu præliatur; simulanti, variantique conatus, in latera [q] atque in terga incurrere [r] datur, et arma avocare [s], et velut nutu fallere. Jam vero affectus nihil

[l] *Sic* G. Jens. *et plur. ap. Bur.* Nemo *inf. al.* [m] Metium Jens. metu tuo G. [n] vel *inf.* G. Jens. [o] et *inf. iid.* [p] modo G. [q] latus G. [r] incutere Jens. [s] advocare G. Jens. *male.*

test esse *anaphora*, potest *asyndeton* vel *polysyndeton* &c. Sed potest etiam his carere, et tamen esse figura sententiæ.

16. *Jam jam, Dolabella*] Ex Verr. 1, 30. ubi ita ex MSS. tum Ciceronis tum Fabii, Gruterus, *Jam jam, Dolabella, neque* (*me* recte ex MSS. etiam Fabii inserit Grævius) *tui neque tuorum liberûm, quos tu miseros in egestate atque in solitudine reliquisti, misereri potest.*

20. *rectas—manus*] Vid. 5, 13, 54. add. 6. 4, 8. Vide, quam eleganter hic non describat, sed quasi ipso gestu signet eas, quas *fictiones*, *fintes* vocant nostri lanistæ: quibus *avocantur arma*, h. e. inducitur adversarius, ut, dum alteri parti, quam designari putat ab adversario, cavere vult, aperiat eam, quæ tecta adhuc fuerat, quæque mutata subito manu petitur. Docuerat ista olim Salmasius ad Spartian. Adrian. c. 26. Burmanno laudatus.

21 magis ducit. Nam ſi frons, oculi, manus multum ad motum animorum valent, quanto plus orationis ipſius vultus ad id, quod intendimus efficere, compoſitus? Plurimum tamen ad commendationem facit, ſive in conciliandis agentis moribus, ſive ad promerendum actioni favorem, ſive ad levandum varietate faſtidium, ſive ad quæ-
22 dam vel decentius indicanda[t] vel tutius. Sed antequam, quæ cuique rei figura conveniat, oſtendam[u], dicendum, nequaquam eas eſſe tam multas, quam ſunt a quibuſdam conſtitutæ. Neque enim me movent nomina illa, quæ
23 fingere utique Græcis promtiſſimum eſt. Ante omnia igitur illi, qui totidem *figuras* putant, quot *affectus*, repudiandi: non quia *affectus* non ſit quædam qualitas mentis; ſed quia *figura*, quam non communiter, ſed proprie nominamus, non ſit ſimplex rei cujuſque enuntiatio. Quapropter in dicendo *iraſci, dolere, miſereri, timere, confidere, contemnere*, non ſunt figuræ, non magis quam *ſuadere, mi-*
24 *nari, rogare, excuſare.* Sed fallit parum diligenter intuentes, quod inveniunt in omnibus his locis figuras, et earum[x] exempla ex orationibus excerpunt. Neque enim pars ulla dicendi eſt, quæ non recipere eas poſſit. Sed aliud eſt admittere *figuram*, aliud *figuram* eſſe. Neque enim verebor explicandæ rei gratia frequentiorem ejuſ-
25 dem nominis repetitionem. Quare dabunt mihi aliquam in *iraſcente, deprecante, miſerante* figuram, ſcio: ſed non ideo *iraſci, miſereri, deprecari*, figura erit. Cicero quidem omnia orationis lumina in hunc locum congerit, mediam quamdam (ut arbitror) ſecutus viam: ut nec omnis ſermo *ſchema* judicaretur, nec ea ſola, quæ haberent aliquam remotam ab uſu communi fictionem: ſed quæ eſſent clariſſima, et ad movendum auditorem valerent plurimum: quem duobus ab eo libris tractatum locum ad literam ſubjeci, ne fraudarem legentes judicio maximi auctoris.
26 In tertio de *Oratore* ita ſcriptum eſt: *In perpetua autem oratione, cum et conjunctionis lenitatem, et numerorum, quam*

[t] judicanda G. [u] oſtendo Jenſ. [x] eorum Jenſ.

26. *in tertio de Oratore*] C. 52. ſqq. Convenit autem lectio, quam e Burmanniana damus, cum ea, quam propoſuit vir doctiſſimus Zach. Pearce, pauciſſimis, quæ notamus, exceptis. Cæterum explicare figuras omnes adſcriptis nominibus aliis, Græcis præſertim, et exemplis, non nimis difficile; ſed non neceſſarium, præſertim cum deinde de omnibus fere diligenter ipſe Fabius præcipiat, nos vero huic, non Tullio, jam navemus operam.

dixi, rationem tenuerimus, tum est quasi luminibus distinguen-
da et frequentanda omnis oratio sententiarum atque verbo-
rum. Nam et commoratio *una in re permultum movet, et* 27
illustris explanatio, *rerumque, quasi gerantur, sub adspectum*
pene subjectio: quæ et in exponenda re plurimum valet, et ad
illustrandum id, quod exponitur, et ad amplificandum: ut
iis, qui audient, illud, quod augebimus, quantum efficere ora-
tio poterit[z], *tantum esse videatur: et huic contraria sæpe*
præcisio[a] *est: et ad plus intelligendum, quam dixeris,* signi-
ficatio: *et distincte*[b] *concisa brevitas, et* extenuatio: *et huic* 28
adjuncta illusio, *a præceptis Cæsaris non abhorrens: et ab*
re digressio, *in qua cum fuerit delectatio, tum* reditus *ad rem*
aptus et concinnus esse debebit: propositioque, *quid sis dic-*
turus: et ab eo, quod est dictum, sejunctio: *et* reditus *ad*
propositum, et iteratio: *et rationis apta* conclusio: *tum au-* 29
gendi minuendive caussa veritatis superlatio, *atque* tra-
jectio[c]: *et* rogatio, *atque huic finitima quasi* percontatio:
expositioque *sententiæ suæ: tum illa, quæ maxime quasi*
irrepit in hominum mentes, alia dicentis ac significantis dis-
simulatio, *quæ est perjucunda, cum in oratione, non conten-*
tione, sed sermone tractatur: deinde dubitatio, *tum* distribu- 30
tio, *tum* correctio, *vel ante, vel postquam dixeris, vel cum*
aliquid a te ipso rejicias: præmunitio *etiam est ad id, quod*
aggrediare: et rejectio[d] *in alium:* communicatio, *quæ est*
quasi cum iis ipsis, apud quos dicas, deliberatio: morum ac
vitæ imitatio, *vel in personis, vel sine illis, magnum quod-*
dam ornamentum orationis, et aptum ad animos conciliandos
vel maxime, sæpe autem etiam ad commovendos: [e]*persona-* 31
rum[f] ficta inductio, *vel gravissimum lumen augendi:* de-
scriptio, *erroris* inductio, *ad hilaritatem* impulsio, anteoc-
cupatio[g]: *tum duo illa, quæ maxime movent,* similitudo, *et*

[z] possit G. [a] percussio G. [b] districte Jens. *bene, puto.* [c] translatio G. [d] trajectio *Pearce ex MSS.* [e] orationis *inf.* Jens. [f] animos *inf.* G. Jens. [g] aut occup. *iid.*

28. *a præceptis Cæsaris*] Illius, quem unum collocutorum in his libris introducit Tullius.

29. *rogatio—percontatio*] Differunt enim hæc duo. Vid. 9, 2, 6. Doctissimus Pearce *percunctationem expositionemque sententiæ suæ* conjungit, et intelligit, cum ad interrogata sibi sua ipse Orator respondet, (quod ex Oratore deinde videbimus s. 42,) eamque *Subjectionem* vocari a Fabio aliisque ait. Sed aliter certe ad Her. 4, 23. *Subjectio est, cum interrogamus adversarios—deinde subjicimus* &c. *Sibi ipsi responsio* deinde ponitur s. 35. Add. 9, 2, 15.

29. *dissimulatio*] Ironia: vid. 9, 2, 44.

exemplum: digeſtio, interpellatio, contentio, reticentia,
32 commendatio. *Vox quædam libera, atque etiam effrenatior*[h], *augendi cauſſa*: iracundia, objurgatio, promiſſio, deprecatio, obſecratio: declinatio *brevis a propoſito, non ut ſuperior illa* digreſſio, purgatio, conciliatio, læſio, optatio,
33 *atque* execratio. *His fere luminibus illuſtrant orationem ſententiæ. Orationis autem ipſius, tamquam armorum, eſt vel ad uſum* comminatio *et quaſi* petitio, *vel ad venuſtatem ipſa* tractatio. *Nam et* geminatio *verborum habet interdum vim, leporem alias: et paullulum immutatum verbum atque deflexum: et ejuſdem verbi crebra tum a primo* repetitio, *tum in extremum* converſio, *et in eadem verba* impetus, *et* concurſio, *et* adjunctio, *et* progreſſio: *et ejuſdem verbi crebrius poſiti quædam* diſtinctio, *et* revocatio *verbi: et illa, quæ* ſimiliter deſinunt[i], *aut quæ* cadunt ſimiliter, *aut quæ*
34 paribus paria *referuntur*[l], *aut quæ ſunt inter ſe* ſimilia. *Eſt etiam* gradatio *quædam, et* converſio, *et verborum concinna* tranſgreſſio: *et* contrarium, *et* diſſolutum, *et* declinatio[m], *et* reprehenſio, *et* exclamatio, *et* imminutio: *et quod* in multis caſibus *ponitur, et quod de ſingulis rebus propoſitis ductum* refertur ad ſingula, *et ad propoſitum* ſubjecta ratio,
35 *et item in diſtributis* ſuppoſita ratio: *et* permiſſio, *et rurſus alia* dubitatio, *et* improviſum *quiddam: et* dinumeratio, *et alia* correctio, *et* diſſipatio[n], *et quod*[o] continuatum, *et* interruptum, *et* imago, *et ſibi ipſi* reſponſio, *et* immutatio, *et* disjunctio, *et* ordo, *et* relatio, *et* digreſſio[p], *et* circum-
36 ſcriptio. *Hæc enim ſunt fere, atque horum ſimilia, vel plura etiam eſſe poſſunt*[pp], *quæ ſententiis orationem verbo-*

[h] effrenatio *Pearce, qui provocat etiam ad MSS. Fabii.* [i] deſinent Jenſ. [l] referent *id.* [m] dedignatio G. [n] *Sic* G. *et optimi quique MSS. it. Pearce, Capp.* diſputatio *al.* [o] *om.* G. Jenſ. [p] degr. *Pearce.* [pp] putant Jenſ.

31. *digeſtio*] Intelligo cum Turnebiano interprete μερισμὸν, quo nempe in partes ſuas totum *digeritur: contentio* autem eſt δείνωσις, vehementia.

33. *tamquam armorum*] Cicero paullo ante hunc locum c. 52. *Tum denique nobis hic orator ita conformandus eſt et verbis et ſententiis, ut, quemadmodum qui utuntur armis aut palæſtra, non ſolum ſibi vitandi aut feriendi rationem eſſe habendam putant, ſed etiam ut cum venuſtate moveantur; ſic verbis quidem ad aptam compoſitionem et decentiam, ſententiis vero ad gravitatem orationis utatur, ut ii, qui in armorum tractatione verſantur. Tractatio* igitur *armorum* hic eſt commoda, ſpecioſa, magnifica vibratio.

35. *et diſſipatio*] Quam interpretatur Noſter 9, 3, 39.

rumque conformationibus illuminent. Eadem ſunt in Ora-
tore plurima, non omnia tamen, et paullo magis diſtincta:
quia poſt orationis et ſententiarum figuras tertium quem-
dam ſubjecit locum, ad alias (ut ipſe ait) quaſi virtutes
dicendi pertinentem. *Et reliqua,* [q] *ex collocatione verbo-* 37
rum quæ ſumuntur quaſi lumina, magnum afferunt ornatum
orationi. Sunt enim ſimilia illis, quæ in amplo ornatu ſcenæ
aut fori appellantur inſignia, *non quod ſola ornent, ſed quod*
excellant. Eadem ratio eſt horum, quæ ſunt orationis lu- 38
mina, *et quodammodo* inſignia: *cum aut duplicantur ite-*
ranturque verba, aut breviter commutata ponuntur: aut ab
eodem verbo ducitur ſæpius oratio, aut in idem conjicitur,
aut [r] *utrumque: aut adjungitur idem iteratum, aut idem ad*
extremum refertur: aut continenter unum verbum non in ea-
dem ſententia ponitur: aut cum ſimiliter vel cadunt verba,
vel deſinunt: aut [s] *multis modis contrariis relata contraria:* 39
aut cum gradatim ſurſum verſus reditur: aut cum demtis [t]
conjunctionibus diſſolute plura dicuntur: aut cum aliquid
prætereuntes, cur id faciamus oſtendimus: aut cum corrigi-
mus noſmet ipſos, quaſi reprehendentes: aut ſi eſt aliqua ex-
clamatio vel admirationis vel conqueſtionis [u]*: aut cum ejuſ-*
dem nominis caſus ſæpius commutantur. [v] *Sententiarum or-* 40
namenta majora ſunt: quibus quia frequentiſſime Demoſthe-
nes utitur, ſunt qui putent, idcirco ejus eloquentiam maxime
eſſe laudabilem. Enimvero [x] *nullus fere ab eo locus ſine*
quadam conformatione [y] *ſententiæ dicitur* [z]*: nec aliud quid-*
quam eſt dicere, niſi omnes aut certe pleraſque aliqua ſpecie
illuminare ſententias. Quas cum tu optime, Brute, teneas, 41
quid attinet nominibus uti, aut exemplis? tantummodo note-
tur locus. Sic igitur dicet ille, quem expetimus, ut verſet
ſæpe multis modis eamdem [a] *et unam rem, et hæreat in eadem*
commoreturque ſententia. Sæpe etiam ut extenuet aliquid: 42
ſæpe ut irrideat: ut declinet a propoſito, deflectatque ſenten-
tiam: ut proponat, quid dicturus ſit: ut, cum tranſegerit
jam aliquid, definiat: ut ſe ipſe revocet: ut, quod dixit [b],

[q] quæ ex collatione verb. ſumuntur G. Jenſ. [r] *Sic MSS. Alm. et Voſſ.* 1 *et* 2. in *inſ. al.* [s] aut cum contr. G. [t] decaptis G. *ex* demptis. [u] queſtionis G. [v] Sed *inſ. Grut.* [x] Et vere Jenſ. Et vero *Grut.* [y] *Sic* Jenſ. *it. Grut.* confirm. *ſphalma videtur.* [z] edicitur *Grut.* [a] eadem et in una re hæreat, in eademque commoretur ſent. G. Jenſ. [b] dixerit *iid.*

36. *in Oratore*] C. 39. ſq. in quo Gruterianam lectionem, ſi qua a noſtra diſcedit, ſupra notamus.

38. *breviter commutata*] *Breviter*ne idem eſt quod brevi intervallo? an legendum *leviter?*

iteret: ut argumentum ratione concludat: ut interrogando
urgeat: ut rurſus quaſi ad interrogata ſibi ipſe reſpondeat:
43 *ut contra, ac dicat, accipi et ſentiri velit: ut addubitet, quid*
potius, aut quo modo dicat: ut dividat in partes: ut aliquid
relinquat, ac [c] *negligat: ut ante præmuniat: ut in eo ipſo,*
in quo reprehendatur [d]*, culpam in adverſarium conferat: ut*
ſæpe cum iis, qui audiunt [e]*, nonnumquam etiam cum adver-*
ſario quaſi deliberet: ut hominum mores [f] *ſermoneſque deſcri-*
44 *bat: ut muta quædam loquentia inducat: ut ab eo, quod* [g]
agitur, avertat animos: ut ſæpe in hilaritatem riſumve con-
vertat: ut ante occupet, quod videat [h] *opponi: ut comparet ſi-*
militudines, ut [i] *utatur* [l] *exemplis: ut aliud alii tribuens diſ-*
pertiat: ut interpellatorem coerceat: ut aliquid reticere ſe
dicat: ut denuntiet, quid caveat [m]*: ut liberius quid audeat:*
ut iraſcatur etiam: ut objurget aliquando: ut deprecetur: ut
ſupplicet: ut medeatur: ut a propoſito declinet aliquantu-
lum: ut optet: ut execretur: ut fiat iis, apud quos dicet, fa-
45 *miliaris. Atque alias etiam dicendi quaſi* [n] *virtutes ſequa-*
tur: brevitatem, ſi res petet: ſæpe etiam rem dicendo ſubji-
ciet oculis, ſæpe ſupra feret [o]*, quam fieri poſſit: ſignificatio*
ſæpe erit major, quam oratio: ſæpe hilaritas [p]*, ſæpe vitæ*
naturarumque imitatio [q]*. Hoc in genere (nam quaſi ſilvam*
vides) omnis eluceat oportet eloquentiæ magnitudo.

II. Ergo cui latius complecti conformationes verborum
ac ſententiarum placuerit, habet, quod ſequatur: nec af-
firmare auſim, quidquam eſſe melius; ſed hæc ad propo-
ſiti mei rationem legat. Nam mihi de his ſententiarum
figuris dicere in animo eſt, quæ ab illo ſimplici modo in-
dicandi recedunt: quod idem multis doctiſſimis viris vi-
2 deo placuiſſe. Omnia tamen illa, etiam quæ ſunt alterius
modi lumina, adeo ſunt virtutes orationis, ut ſine his
nulla intelligi vere poſſit oratio. Nam quo modo judex
doceri poteſt, ſi deſit illuſtris *explanatio*, *propoſitio*, *pro-*
miſſio, *finitio*, *ſejunctio* [r], *expoſitio ſententiæ ſuæ*, *rationis* [s] *apta*
concluſio, *præmunitio*, *ſimilitudo*, *exemplum*, *digeſtio*, *diſtri-*
butio, *interpellatio*, *interpellantis coercitio* [t], *contentio*, *purga-*
3 *tio*, *læſio?* Quid vero agit omnino eloquentia detractis
amplificandi minuendique [u] rationibus? Quarum prior
deſiderat illam *plus quam dixeris ſignificationem*, id eſt,

[c] ut *iid.* [d] reprehendantur Jenſ. [e] audient *id.* [f] ſermones moreſque *Grut.* [g] quo Jenſ. [h] putet G. putat Jenſ. [i] *om.* G. Jenſ. [l] utantur Jenſ. [m] caveant *Grut.* [n] *om.* G. [o] fiet Jenſ. [p] hilaritatis *id.* [q] mutatio G. [r] ejunctio G. [s] orationis G. Jenſ. [t] coërtio *iid.* [u] muniendi Jenſ.

ἔμφασιν, et *ſuperlationem veritatis*, et *trajectionem*[x]: hæc altera *extenuationem, deprecationemque.* Qui affectus erunt vel concitati detracta *voce libera, effrenatiore*[z] *iracundia, objurgatione, optatione, execratione?* vel illi mitiores, niſi adjuvantur *commendatione, conciliatione, ad hilaritatem impulſione?* Quæ delectatio, aut quod mediocriter ſaltem 4
docti hominis indicium[a]? niſi alia *repetitione*, alia *commoratione* inſigere: *digredi a re*, et *redire ad propoſitum* ſuum ſcierit: *removere a ſe, in alium trajicere:* quæ *relinquenda*, quæ *contemnenda* ſint, judicare? Motus eſt in his orationis atque actus: quibus detractis jacet, et velut agitante corpus ſpiritu caret. Quæ cum adeſſe debent, tum diſpo- 5
nenda atque varianda ſunt, ut auditorem, quod in fidibus fieri videmus, omni ſono permulceant[b]. Verum ea plerumque recta ſunt, nec ſe fingunt, ſed confitentur. Admittunt autem (ut dixi) *figuras:* quod vel ex proximo[c] doceri poteſt. Quid enim tam commune, quam *interro-* 6
gare, vel *percontari?* Nam utroque utimur indifferenter, cum alterum noſcendi, alterum arguendi gratia videatur[d] adhiberi. At[e] ea res, utrocumque[f] modo dicatur, etiam multiplex habet ſchema. Incipiamus enim ab iis, quibus acrior ac vehementior fit probatio, quod primo loco poſuimus. Simplex eſt ſic rogare, 7

Sed vos qui tandem? quibus aut veniſtis ab oris?

Figuratum autem, quoties non ſciſcitandi gratia aſſumitur, ſed inſtandi: *Quid enim*[g] *tuus ille, Tubero, deſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat?* et, *Quouſque tandem abutere, Catilina, patientia noſtra?* et, *Patere tua conſilia non ſentis?* et totus denique hic locus. Quanto enim 8

[x] rejectionem G. *male. notat enim* ὑπερβολήν. [z] *Forte leg.* effrenatione, *vid.* 9, 1, 32. [a] judicium G. Jenſ. [b] mulceant G. [c] proxima Jenſ. [d] videtur G. Jenſ. [e] ut Jenſ. *Quid ſi fuit* Utro ea res cunque modo? [f] utracunque *id.* [g] *om. id.*

3. ἔμφασιν] De qua 9, 2, 64.
6. *interrogare, vel percontari*] Vid. 9, 1, 29. Prius illud *alterum noſcendi* pertinere ad poſterius verbum *percontari*, poſterius vero *alterum arguendi* referri ad prius verbum *interrogare*; poſt Buchneri in Theſauro Fabriano obſervationem Popmæ errori oppoſitam, paſſim monuerunt alii. *Utrocunque* autem *modo dicatur*, ſive *percontandi* ſive *interrogandi* verbo utamur, multiplex ea in re ſchema occurrit.
7. *Sed vos*] Æn. 1, 369. *Quid enim tuus* Cic. pro Lig. 3. *Quouſque tandem* Catil. 1, pr. *Dixitne tandem* pro Cluent. 37. *Medea apud Senecam* 453. *Sinon* Æn. 2, 69. *Et quiſquam* Æn. 1, 48. *Quid non* Æn. 3, 56. *Non arma* Æn. 4, 590. *Terentianum* Eun. 1, 1, 1.

magis ardet, quam ſi diceretur, *Diu abuteris patientia noſtra:* et, *Patent tua conſilia.* Interrogamus etiam, quod negari non poſſit: *Dixitne tandem cauſſam C. Fidiculanius Falcula?* Aut ubi reſpondendi difficilis eſt ratio, ut vulgo uti ſolemus, *Quo modo? qui fieri poteſt?* Aut invidiæ gra-
9 tia, ut Medea apud Senecam, *Quas peti terras jubes?* Aut miſerationis, ut Sinon apud Virgilium,

Heu quæ me tellus, inquit, quæ me æquora poſſunt
Accipere?

Aut inſtandi, et auferendæ diſſimulationis: ut Aſinius, *Audiſne? furioſum, inquam, non inofficioſum teſtamentum*[h]
10 *reprehendimus.* Totum hoc plenum eſt varietatis: nam et indignationi convenit,

—— *Et quiſquam numen Junonis adoret?*

Et admirationi,

—— *Quid non mortalia pectora cogis,*
Auri ſacra fames?——

11 Eſt interim acrius imperandi genus,

Non arma expedient, totaque ex urbe ſequentur?

Et ipſi noſmet rogamus: quale eſt illud[i] Terentianum,

Quid igitur faciam?

12 Eſt aliqua etiam in reſpondendo figura, cum aliud interroganti ad aliud, quia ſic[l] utilius ſit[m], occurritur, tum augendi criminis gratia, ut teſtis in reum rogatus, *An ab reo fuſtibus vapulaſſet? Et*[n] *innocens,* inquit; tum declinandi, quod eſt frequentiſſimum: *Quæro, an occideris hominem?* reſpondetur, *Latronem. An fundum occupaveris?*
13 reſpondetur, *Meum.* Ut confeſſionem præcedat defenſio: ut apud Virgilium in Bucolicis dicenti,

Non ego te vidi Damonis, peſſime, caprum
Excipere inſidiis?——

occurritur,

An mihi cantando victus non redderet ille?

[h] teſtimonium G. *male.* [i] id Jenſ. [l] *om. id.* [m] ſic G. [n] *om.* G.

13. *apud Virgilium*] Ecl. 3, 17.

Cui [o] est confinis *dissimulatio*, non alibi quam in risu po- 14
sita, ideoque tractata suo loco. Nam serio si fiat, pro confessione est. Ceterum et *interrogandi se ipsum* [p], et *respondendi sibi*, solent esse non ingratæ vices: ut Cicero pro Ligario, *Apud quem igitur hoc* [q] *dico? nempe apud eum, qui, cum hoc sciret, tamen me antequam vidit, reipublicæ reddidit.* Aliter pro Cœlio ficta interrogatio est [r]: *Dicet* 15
aliquis, Hæc igitur est tua disciplina? sic tu instituis adolescentes? et totus locus. Deinde, *Ego, si quis, judices, hoc robore animi, atque hac indole virtutis ac continentiæ fuit*, et cetera. Cui diversum est, cum alium rogaveris, non exspectare responsum, et statim subjicere: *Domus tibi deerat? at habebas: pecunia superabat? at egebas* [s]. Quod schema quidam [t] per *subjectionem* vocant. Fit et compa- 16
ratione: *Uter* [u] *igitur facilius suæ sententiæ rationem redderet?* Et aliis modis tum brevius, tum latius, tum de una re, tum de pluribus. Mire vero in caussis valet *præsumtio*, quæ πρόληψις dicitur, cum id, quod objici potest, occupamus. Id neque in aliis partibus parum [x] est, et præcipue procemio convenit. Sed, quamquam generis 17
unius, diversas tamen species habet. Est [y] enim quædam *præmunitio*, qualis Ciceronis contra Q. Cæcilium, *quod ad accusandum descendat, qui semper defenderit* [z]: quædam *confessio*, ut pro Rabirio Posthumo, quem sua quoque sententia reprehendendum fatetur [a], *quod pecuniam regi crediderit*: quædam *prædictio*, ut, *Dicam enim non augendi criminis gratia*: quædam *emendatio*, ut, *Rogo ignoscatis mihi, si longius sum evectus*: frequentissima *præparatio*, cum pluribus verbis, vel quare facturi quid simus, vel quare fecerimus, dici solet. Verborum quoque vis ac proprie- 18
tas confirmatur vel *præsumtione*, *Quamquam illa non pœna, sed prohibitio sceleris fuit*: aut *reprehensione*, *Cives, cives* [b], *inquam, si hoc eos appellari nomine fas est.* Affert aliquam 19
fidem veritatis et *dubitatio*, cum simulamus quærere nos, unde incipiendum, ubi desinendum, quid potissimum di-

[o] cujus G. Jens. [p] se ipsos Jens. [q] hæc G. Jens. [r] interrogatione *iid. recte, puto.* [s] agebas Jens. [t] quidem G. [u] Utrum Jens. [x] *Vid. leg.* rarum: r *et* p *sexcenties miscentur.* [y] Etenim *id.* [z] defenderat *id.* [a] fateretur *id.* [b] *om.* G. Jens.

14. *suo loco*] 6, 3, 68. *Cic. pro Lig.* c. 3. *pro Cælio* c. 17. *Domus tibi* Cic. Orat. c. 67. *contra Cæcil.* Div. in Verr. 1. *pro Rabirio Post.* in ipso principio et c. 9. *Dicam enim non augendi.* Nescio ubi hoc; sed simillimum pro Milon. 10. *Dicam enim non derivandi criminis caussa.*

cendum ſit? cujuſmodi exemplis plena ſunt omnia: ſed unum interim ſufficit, *Equidem, quod ad me attinet, quo me vertam, neſcio. Negem fuiſſe infamiam judicii corrupti? &c.* Hoc etiam in præteritum valet: nam et dubitaſſe
20 nos fingimus. A quo ſchemate non procul abeſt illa, quæ dicitur *communicatio*, cum aut [c] ipſos adverſarios conſulimus, ut Domitius Afer pro Cloantilla [d], *At illa neſcit trepida [e], quid liceat feminæ, quid conjugem deceat: forte vos in illa ſolitudine [f] obvios caſus miſeræ mulieri obtulit: tu, frater, vos, paterni amici, quod conſilium*
21 *datis?* Aut cum judicibus quaſi deliberamus, quod eſt frequentiſſimum, *Quid ſuadetis?* et, *Vos interrogo, quid tandem fieri oportuit?* ut Cato: *Cedo, ſi vos in eo loco eſſetis, quid aliud feciſſetis?* Et alibi, *Communem rem agi puta-*
22 *tote, ac vos huic rei præpoſitos eſſe.* Sed nonnumquam communicantes aliquid inexſpectatum ſubjungimus, quod et per ſe ſchema eſt: ut in Verrem Cicero, *Quid deinde? quid cenſetis? furtum fortaſſe, aut prædam aliquam?* Deinde, cum diu ſuſpendiſſet judicum animos, ſubjecit,
23 quod multo eſſet improbius. Hoc Celſus *ſuſtentationem* vocat. Eſt autem duplex: nam contra frequenter, cum exſpectationem graviſſimorum fecimus, ad aliquid, quod ſit leve, aut nullo [g] modo criminoſum, deſcendimus. Sed, quia non tantum per communicationem fieri ſolet, παρά-
24 δοξον alii nominaverunt, id eſt, *inopinatum.* Illis non accedo, qui ſchema eſſe exiſtimant, etiam ſi quid nobis ipſis dicamus inexſpectatum accidiſſe: ut Pollio, *Numquam fore credidi, judices, ut, reo Scauro, ne quid in ejus judicio*
25 *gratia valeret, precarer.* Pene [h] idem fons eſt illius, quam *permiſſionem* vocant, qui communicationis: cum aliqua ipſis judicibus relinquimus æſtimanda [i], aliqua nonnumquam adverſariis quoque: ut Calvus Vatinio, *Perfrica frontem, et dic te digniorem, qui prætor fieres, quam Cato-*
26 *nem.* Quæ vero ſunt augendis affectibus accommodatæ figuræ, conſtant maxime *ſimulatione.* Namque et iraſci nos, et gaudere, et timere, et admirari, et dolere, et indignari, et optare, quæque ſunt ſimilia his, fingimus. Inde ſunt illa, *Liberatus ſum. Reſpiravi:* et, *Bene habet:*

[c] apud Jenſ. [d] Cloatilla neſcit G. Jenſ. *vicinia ſoni eliſit tres ſyllabas.* [e] trepidat *iid.* [f] ſolicitudine G. *recte, arbitror.* [g] ullo G. *male.* [h] Eſt pene idem fons Jenſ. [i] exiſtim. *id.*

19. *Equidem, quod*] Pro Cluent. c. 18. *O tempora* Catil. 1, 1. *Miſerum me* Phil. 2, 26. c. 1. *In Verrem* 5, 5, pr.
26. *Liberatus ſum*] Pro Milon.

et, *Quæ amentia eſt hæc?* [k] *O tempora, o mores!* et, [l] *Miſerum me! conſumtis enim lacrimis infixus tamen pectori* [m] *hæret dolor*: et,

——— *Magnæ nunc hiſcite terræ.*

Quod *exclamationem* quidam vocant, ponuntque inter fi- 27
guras orationis. Hæc quoties vera ſunt, non ſunt in ea
forma, de qua nunc loquimur. Sed [n] aſſimulata, et arte
compoſita, procul dubio *ſchemata* ſunt exiſtimanda. Quod
idem dictum ſit de oratione libera, quam Cornificius *li-
centiam* vocat, Græci *παῤῥησίαν*. Quid enim minus figu-
ratum, quam vera libertas? Sed frequenter ſub hac facie 28
latet adulatio. Nam Cicero cum dicit pro Ligario, *Suſ-
cepto bello, Cæſar, geſto jam etiam* [o] *ex parte magna, nulla
vi coactus* [p], *conſilio ac voluntate mea ad ea arma profectus
ſum, quæ erant contra te ſumta*: non ſolum ad utilitatem
Ligarii reſpicit, ſed magis laudare victoris clementiam
non poteſt. In illa vero ſententia, *Quid autem aliud egi-* 29
mus, Tubero, niſi ut [q], *quod hic poteſt, nos poſſemus?* admi-
rabiliter utriuſque partis facit bonam cauſſam: ſed hoc
eum [r] demeretur, cujus [s] mala fuerat. Illa adhuc auda-
ciora [t], et majorum (ut Cicero exiſtimat) laterum, fictio-
nes perſonarum, quæ *προσωποποιΐαι* dicuntur. Mire nam-
que cum variant orationem, tum excitant. His et [u] ad- 30
verſariorum cogitationes, velut ſecum loquentium, pro-
trahimus: quæ tamen ita demum a fide non abhorrent, ſi
ea locutos finxerimus, quæ cogitaſſe [x] eos non ſit abſur-
dum: et noſtros cum aliis ſermones, et aliorum inter ſe
credibiliter introducimus: et *ſuadendo, objurgando, que-
rendo, laudando, miſerando*, perſonas idoneas damus. Quin 31

[k] et *inſ.* G. [l] *Sic Voſſ. pr. et ſic ap. Cic.* o miſerum *al.* [m] pectoris Jenſ. [n] *om.* G. [o] *om.* G. Jenſ. [p] *om.* G. [q] *om.* G. [r] cum G. [s] et c. G. [t] audentiora Jenſ. [u] etiam *id.* [x] coegiſſe *id.*

27. *ſub hac facie latet adul.*] Diximus aliquid ad 8, 6, 55. Hic Plutarchum advocemus, et exemplum unum hujus torvæ adulationis pulcherrimum. De diſcr. adulat. p. 104. H. Steph. Τιβερίου Καίσαρος εἰς τὴν σύγκλητόν ποτε παρελθόντος, εἷς τῶν κολάκων ἀναστὰς ἔφη, Δεῖν ἐλευθέρους ὄντας παῤῥησιάζεσθαι καὶ μηδὲν ὑποστέλλεσθαι μηδ' ἀποσιωπᾷν τῶν συμφερόντων. Ἀνατείνας δὲ πάντας οὕτως, γενομένης αὐτῷ σιωπῆς, καὶ τοῦ Τιβερίου προσέχοντος, Ἄκουσον, ἔφη, Καῖσαρ, ἃ σοι πάντες ἐγκαλοῦμεν, οὐδεὶς δὲ τολμᾷ φανερῶς λέγειν· ἀμελεῖς σεαυτοῦ, καὶ προΐεσαι τὸ σῶμα, καὶ κατατρύχεις ἀεὶ φροντίσι καὶ πόνοις ὑπὲρ ἡμῶν, οὔτε μεθ' ἡμέραν οὔτε νύκτωρ ἀναπαυόμενος. Πολλὰ δὲ αὐτοῦ τοιαῦτα συνείροντος, εἰπεῖν φασι τὸν ῥήτορα Κάσσιον Σευῆρον, Αὕτη τοῦτον ἡ παῤῥησία τὸν ἄνθρωπον ἀποκτενεῖ.

30. *perſonas idoneas*] Admirabiliter hoc obſervavit in Oratione pro Cœlio Tullius, c. 14, 15, 16.

deducere deos in hoc genere dicendi, et inferos excitare, conceſſum eſt. Urbes etiam populique vocem [z] accipiunt. Ac ſunt quidam, qui has demum προσωποποιΐας dicant, in quibus et corpora et verba fingimus. Sermones hominum aſſimulatos [a] dicere διαλόγους malunt, quam [b], quod
32 Latinorum quidam dixerunt, *ſermocinationem*. Ego, jam recepto more, utrumque eodem modo appellavi. Nam certe ſermo fingi non poteſt, ut non perſonæ ſermo fingatur. Sed in his, quæ natura non permittit, hoc modo mollior fit figura: *Etenim ſi mecum patria, quæ mihi vita mea multo eſt carior, ſi cuncta Italia, ſi omnis reſpublica ſic loquatur, M. Tulli, quid agis?* Illud audacius genus: *Quæ* [c] *tecum, Catilina, ſic agit* [d], *et quodammodo tacita loquitur, Nullum jam aliquot annis facinus exſtitit, niſi per te.*
33 Commode etiam aut [e] nobis aliquas ante oculos eſſe rerum perſonarumve [f] imagines fingimus, aut eadem adverſariis aut judicibus [g] non accidere miramur: qualia ſunt, *Videtur mihi*, et, *Nonne videtur tibi?* Sed magna quædam vis eloquentiæ deſideratur. Falſa enim et incredibilia natura neceſſe eſt aut magis moveant [h], quia ſupra vera
34 ſunt: aut pro vanis accipiantur, quia vera non ſunt. Ut dicta autem quædam, ita ſcripta quoque fingi ſolent: quod facit Aſinius pro Liburnia, *Mater mea, quæ mihi tum cariſſima, tum dulciſſima fuit, quæque mihi vixit, biſque eadem die mihi* [i] *vitam dedit*, et reliqua: deinde, *exheres eſto*. Hæc cum per ſe figura eſt, tum duplicatur, quoties, ſicut in hac cauſſa, ad imitationem alterius ſcripturæ
35 componitur. Nam contra recitabatur teſtamentum, *P. Novanius Gallio, cui ego omnia meritiſſimo volo et debeo, pro ejus animi in me ſumma voluntate*, et adjectis deinceps aliis, *heres eſto*. Incipit eſſe quodammodo παρῳδή, quod nomen ductum a canticis ad aliorum ſimilitudinem modulatis, abuſive etiam in verſificationis ac ſermonum imi-
36 tatione ſervatur. Sed formas quoque fingimus ſæpe, ut

[z] voces G. Jenſ. [a] aſſimilatos Jenſ. [b] *om. id.* [c] qui Jenſ. [d] ait G. [e] apud nos Jenſ. [f] perſonarum, vocum im. G. [g] judiciis G. [h] moveat Jenſ. [i] *om.* G. Jenſ.

31. *Latinorum quidam*] V. g. Auctor ad Her. 4, 43 et 52. ſq. Idem *conformationem* dicit, *cum aliqua, quæ non adeſt, perſona confingitur—aut cum res muta aut informis fit eloquens et formata, et ei oratio tribuitur ad dignitatem accommodata, aut actio quædam* &c.

32. *Etenim ſi*] Catil. 1, 11. *Quæ tecum* Catil. 1, 7.

34. *biſque eadem die mihi vitam dedit*] Quomodo *bis?* an quod liberum peperit vel nobilem?

Famam Virgilius, ut[l] *Voluptatem ac Virtutem* (quemadmodum a Xenophonte traditur) Prodicus, ut *Mortem ac Vitam*, quas contendentes in Satyra tradit Ennius. Eſt 37
et incertæ[m] perſonæ ficta oratio: *Hic aliquis*, et, *Dicat aliquis*. Eſt et jactus ſine perſona ſermo, *Hic Dolopum manus, hic ſævus tendebat Achilles*. Quod fit mixtura figurarum, cum προσωποποιΐα accedit illa, quæ eſt orationis per detractionem[n]: detractum eſt enim, *quis diceret?* Vertitur enim interim προσωποποιΐα in ſpeciem narrandi. Unde et apud hiſtoricos reperiuntur obliquæ allocutiones: ut in T. Livii primo ſtatim libro, *Urbes quoque, ut cetera, ex infimo naſci: deinde, quas*[o] *ſua virtus ac dii juvent, magnas opes ſibi magnumque*[p] *nomen facere*. Averſus 38
quoque a judice ſermo, qui dicitur ἀποστροφὴ, mire movet, ſive adverſarios invadimus[q], *Quid enim tuus ille, Tubero, in acie Pharſalica gladius agebat?* ſive ad invocationem aliquam convertimur, *Vos enim jam ego, Albani tumuli atque luci:* ſive ad invidioſam implorationem, *O leges*[r] *Porciæ, legeſque Semproniæ!* Sed illa quoque vocatur *averſio*, 39
quæ a propoſita quæſtione abducit audientem,

Non ego cum Danais Trojanam exſcindere[s] *gentem*
Aulide juravi. ———

Quod fit et multis et variis figuris, cum aut aliud ex-

[l] et Jenſ. [m] incerta perſona *id.* [n] detractationem G. [o] quos G. [p] magnum Jenſ. [q] invaſimus G. Jenſ. [r] lex Porcia G. [s] excidere G.

36. *Famam Virgilius*] Æn. 4, 174. *A Xenophonte* Ἀπομνημον. 2, 1. *Hic Dolopum* Virg. Æn. 2, 29.

37. *illa, quæ eſt*] *Illa* figura, *quæ eſt per detractionem orationis*. Sic utcunque intelligitur. Sed Gothanus monet, ut ſuſpicer, latere hic aliquid de abſtruſiore illa notione verbi *tractare* et *tractatio*, quam ex quarto ad Heren. 42, proponam breviter, ſi quis forte felicior verum videat. *Commutabimus* (expoliendæ orationis cauſa eandem rem) *tripliciter, verbis, pronuntiando,* tractando—tractando, ſi *ſententiam trajiciemus aut ad* ſermocinationem, *aut ad* exſuſcitationem &c. Illam *tractationem* non intellectam, puto, corrumpendo gloſſis et mutationibus huic loco occaſionem dediſſe.

37. *in T. Livii*] 1, 9. ubi tamen obſcurum non eſt, quis loquatur. Præcedit enim, *Tum ex conſilio patrum Romulus legatos circa vicinas gentes miſit, qui ſocietatem connubiumque novo populo peterent: Urbes quoque* &c. intellige *dicerentque*, vel ſimile quiddam.

38. *Quid enim tuus*] Pro Ligario c. 3. *Quid enim, Tubero, deſtrictus ille tuus in acie Pharſalica gladius agebat?* Alterum, *Vos enim jam*, eſt ex Miloniana c. 31. Tertium in Verr. 5, 63. *O Lex Porcia, legeſque Semproniæ!* illud autem, *Non ego cum Danais*, eſt Æn. 4, 426. Denique quod *proximo libro* dixit, eſt 8, 3, 68.

ſpectaſſe nos, aut majus aliquid timuiſſe ſimulamus, aut plus videri poſſe ignorantibus, quale eſt procœmium pro
40 Cœlio. Illa vero (ut ait Cicero) ſub *oculos ſubjectio* tum fieri ſolet, cum res non geſta indicatur, ſed, ut ſit geſta, oſtenditur: nec univerſa, ſed per partes: quem locum proximo libro ſubjecimus *evidentiæ:* et Celſus hoc nomen iſti figuræ dedit: ab aliis ὑποτύπωσις dicitur propoſita quædam forma rerum ita expreſſa verbis, ut cerni potius videatur, quam audiri: *Ipſe, inflammatus ſcelere ac furore, in forum venit: ardebant oculi: toto ex ore crudelitas emica-*
41 *bat*[t]. Nec ſolum, quæ facta ſint aut fiant, ſed etiam, quæ futura ſint aut futura fuerint, imaginamur. Mire tractat hæc Cicero pro Milone, quæ facturus fuerit Clodius, ſi præturam invaſiſſet. Sed hæc quidem tranſlatio temporum, quæ proprie μετάστασις dicitur, in διατυπώσει verecundior apud priores fuit. Proponebant[u] enim talia, *Credite vos intueri:* ut Cicero, *Hæc, quæ non vidiſtis oculis,*
42 *animis cernere poteſtis.* Novi vero, et præcipue declamatores, audacius, nec mehercule ſine motu quodam imaginantur: ut Seneca in controverſia, cujus ſumma eſt, quod pater filium et novercam, inducente[x] altero filio, in adulterio deprehenſos occidit, *Duc, ſequor: accipe hanc ſenilem*
43 *manum, et quocumque vis imprime.* Et paullo poſt, *Aſpice,* inquit, *quod diu non credidiſti. Ego vero non video, nox oboritur, et craſſa caligo.* Habet hæc figura[z] manifeſtius
44 aliquid. Non enim narrari res, ſed agi videtur. Locorum quoque dilucida et ſignificans deſcriptio eidem[a] virtuti aſſignatur a quibuſdam, alii τοπογραφίαν dicunt. Εἰρωνείαν, inveni, qui *diſſimulationem* vocarent: quo nomine, quia parum totius hujus figuræ videntur vires oſtendi, nimirum ſicut in pleriſque, Græca erimus appellatione contenti. Igitur εἰρωνεία, quæ eſt *ſchema*, ab illa, quæ eſt tropus, genere ipſo nihil admodum diſtat: (in utroque enim *contrarium ei, quod dicitur*, intelligendum eſt) ſpecies vero prudentius intuenti diverſas eſſe facile eſt deprehen-
45 dere[b]. Primum, quod tropus apertior eſt: et, quam-

[t] eminebat G. *et Cic. ap. Grut. et Gron.* emanabat *Gell. Grutero laudatus.* [u] Proponebat Jenſ. [x] indicante G. [z] *om.* G. [a] ejuſdem virtutis G. Jenſ. [b] repreh. Jenſ.

40. *Ipſe inflammatus*] Verr. 4, 62. *pro Milone* c. 32. ſq. Sed quam *Senecæ* laudat *controverſiam*, ea hodie non exſtat.

44. *qui diſſimulationem vocarent*] Ipſe quoque Cicero, cujus verba ſunt 9, 1, 29. Adde de re ipſa 9, 1, 7. *Illud in Catilinam* eſt 1, 8.

quam aliud dicit ac ſentit, non tamen aliud ſimulat.
Nam et omnia circa fere recta ſunt: ut illud in Catilinam, *A quo repudiatus, ad ſodalem tuum, virum optimum, M.* [c] *Marcellum demigraſti.* In duobus demum verbis eſt
ironia, ergo etiam brevior eſt tropus. At in [d] figura to- 46
tius voluntatis fictio eſt, apparens magis, quam confeſſa:
ut illic verba ſint verbis diverſa, hic ſermoni [e] ſenſus, loci [f], et tota interim cauſſæ conformatio [g]: tum etiam vita
univerſa ironiam habere videtur [h], qualis eſt viſa Socratis.
Nam ideo dictus εἴρων, id eſt, agens imperitum, et admirator aliorum tamquam ſapientium: ut, quemadmodum
ἀλληγορίαν facit continua μεταφορὰ, ſic hoc [i] ſchema faciat
troporum [l] ille contextus. Quædam vero genera hujus 47
figuræ nullam cum tropis habent ſocietatem: ut illa ſtatim prima, quæ dicitur a negando, quam nonnulli vocant
ἀπόφασιν [m], *Non agam tecum jure ſummo, non dicam, quod forſitan obtinerem:* et, *Quid ego iſtius decreta, quid rapinas, quid hereditatum poſſeſſiones datas, quid ereptas proferam?* et, *Mitto* [n] *illam primam libidinis injuriam:* et, *Ne illa quidem teſtimonia recito, quæ dicta ſunt de ſeſtertiorum* [o] *ſeptingentis millibus:* et, *Poſſum dicere.* Quibus generibus per 48
totas interim quæſtiones decurrimus, ut Cicero, *Hoc ego ſi ſic agerem, tamquam mihi crimen eſſet diluendum, hæc* [p] *pluribus dicerem.* Εἰρωνεία eſt et, cum ſimiles imperantibus vel permittentibus [q] ſumus,

[c] Metellum G. Jenſ. [d] *om.* G. [e] ſermonis Jenſ. [f] *Sic* G. *it. Colb. et Vallæ ap. Bur.* joci *al.* [g] *Sic* Jenſ. *it. Almel.* confirm. *al.* [h] videatur G. Jenſ. [i] hæc G. [l] tropus G. tropos ille conteſtus Jenſ. [m] ἀντίφρασιν G. [n] Mitte G. [o] *Sic* G. *et Voſſ.* 2. ſeſtertiis *rel.* [p] hoc G. Jenſ. [q] prætermitt. Jenſ.

46. *agens imperitum*] Suaviſſima eſt illa de Socrate Alcibiadis ebrii oratio in Sympoſio Platonis, de qua apponam paucula, ut ante Plutarchi narrationem, ne tædeat tamdiu in rhetoricis ſpinis verſari. Eſt autem p. 333, A. Læmar. Φημὶ ὁμοιότατον αὐτὸν εἶναι τοῖς Σειληνοῖς τούτοις, τοῖς ἐν τοῖς Ἑρμογλυφείοις κειμένοις· ὅστινας ἐργάζονται οἱ δημιουργοὶ σύριγγας ἢ αὐλοὺς ἔχοντας· οἱ δὲ διχάδε διοιχθέντες φαίνονται ἔνδοθεν ἀγάλματα ἔχοντες θεῶν κ. τ. λ. nimirum hæc deinde tum ad formam corporis, quod pulchræ adeo animæ hoſpitium præbeat, tum ad perpetuam viri ironiam refert.

47. *Non agam tecum*] Verr. 5, 2, ubi ita editur, *Non agam ſummo jure tecum; non dicam id, quod debeam forſitan obtinere.* Nimirum ex memoria laudavit Fabius. *Quid ego iſtius* Phil. 2, 25.

47. *ſeſtertiorum ſeptingentis millibus*] Prætuli lectionem, quæ conveniret rationi ſeſtertiariæ, ut a Gronovio demonſtrata eſt; ac pœnitet fere non idem me auſum in Columella 3, 3, 13, ubi tamen cauſam ejus timiditatis dixi. Adjiciendus interim hic locus illis, quos emendari jubet vir ſummus de Pec. Vet. 1, 4, p. 22.

I, ſequere Italiam ventis. ——

49 Et, cum ea, quæ nolumus videri adverſariis eſſe, concedimus eis [r]. Id acrius fit, cum eadem in nobis ſunt, et in adverſario non ſunt :

—— Meque timoris
Argue tu, Drance, quando tot cædis acervos
Teucrorum tua dextra dedit.

Quod idem contra valet, cum aut ea, quæ a nobis abſunt, aut etiam, quæ in adverſarios recidunt, quaſi fateamur [s] :

Me duce Dardanius Spartam expugnavit adulter.

50 Nec in perſonis tantum, ſed et in rebus verſatur hæc contraria dicendi, quam quæ intelligi velis, ratio, ut totum pro Quincto Ligario procemium, et illæ elevationes, *Videlicet, O dii boni!*

Scilicet is ſuperis labor eſt.

51 Et ille pro Oppio locus, *O amorem mirum! O benevolentiam* [t] *ſingularem!* Non procul autem abſunt ab hac ſimulatione tres [u] inter ſe ſimiles, *Confeſſio nihil nocitura*, qualis eſt, *Habes igitur, Tubero, quod eſt accuſatori maxime optandum, confitentem reum :* et *Conceſſio*, cum aliquid etiam iniquum videmur cauſſæ fiducia pati, *Metum* [x] *virgarum navarchus* [y] *nobiliſſimæ civitatis pretio* [z] *redemit : humanum eſt* [a] : et pro Cluentio de invidia, *Dominetur in concionibus, jaceat in judiciis :* tertia *Conſenſio*, ut pro eodem, *judicium*
52 *eſſe corruptum.* Hæc evidentior figura eſt, cum alicui rei aſſentimur, quæ eſt futura pro nobis : verum id accidere ſine adverſarii vitio non poteſt. Quædam etiam velut [b] laudamus, ut Cicero in Verrem circa crimen Apollonii [c] Drepanitani, *Gaudeo etiam, ſi quid ab eo abſtuliſti : et abs*
53 *te nihil rectius factum eſſe dico.* Interim augemus crimina,

[r] hic *id.* [s] fatemur G. Jenſ. [t] benivol. *iid.* [u] res *Voſſ.* 1. *quod probo.* [x] metu Jenſ. [y] nobilis *inſ.* G. Jenſ. [z] ſe *inſ.* Jenſ. [a] humatum G. [b] vel Jenſ. [c] Apollinis G. Jenſ.

48. *I, ſequere Italiam*] Æn. 4, 381. *Meque timoris* Æn. 11, 384. *Me duce* 10, 92. *Scilicet is ſuperis* Æn. 4, 379.

51. *Habes igitur*] Pro Ligar. 1. *Metum virgarum* Verr. 5, 44. *pro Cluent.* c. 2. In eadem oratione in pr. c. 23, convenit inter partes, *judicium*, quo damnatus eſt Oppianicus, *fuiſſe corruptum* ; a quo corruptum fuerit, quæritur. Illud de *Apollonio Drepanitano* eſt in Verr. 4, 17. *pro Roſcio* immanitas parricidii exaggeratur c. 22. ſq.

quæ ex facili aut diluere poſſumus, aut negare, quod eſt
frequentius, quam ut exemplum deſideret. Interim hoc
ipſo fidem detrahimus illis, quod ſint tam gravia: ut pro
Roſcio Cicero, cum immanitatem parricidii, quamquam
per ſe manifeſtam, tamen etiam vi orationis exaggerat.
Ἀποσιώπησις, quam idem Cicero *reticentiam*, Celſus *obticen-* 54
tiam, nonnulli *interruptionem* appellant, et ipſa oſtendit
aliquid affectus vel [d] iræ, ut,

Quos ego: ſed motos præſtat componere fluctus:

vel [d] ſolicitudinis, et quaſi religionis, *An hujus* [e] *ille legis,*
quam Clodius a ſe inventam gloriatur, mentionem facere au-
ſus eſſet vivo Milone, ne [f] *dicam conſule? de noſtrum enim*
omnium: non audeo totum dicere: cui ſimile eſt in procemio 55
pro Cteſiphonte Demoſthenis: vel alio tranſeundi gratia,
Communis autem, tametſi [g] *ignoſcite mihi, judices.* In quo
eſt et illa (ſi tamen inter ſchemata numerari debet, cum
aliis etiam pars cauſſæ videatur) *digreſſio:* abit enim cauſſa
in laudes Cn. Pompeii. Id quod fieri etiam ſine ἀποσιω-
πήσει potuit. Nam brevior illa, ut ait Cicero, a re di- 56
greſſio plurimis fit modis. Sed hæc exempli gratia ſuffi-
cient: *Tum* [h] *Caius Varenus, is qui a familia Anchariana*
occiſus eſt: hoc, quæſo, judices, diligenter attendite: et pro
Milone, *Et aſpexit me* [i] *illis quidem oculis, quibus tum ſole-*
bat, cum omnibus omnia minabatur. Eſt alia non quidem 57
reticentia, quæ fit imperfecti ſermonis, ſed tamen præciſa,
velut ante legitimum finem, oratio: ut illud [k], *Nimis ur-*
geo, commoveri videtur adoleſcens: et, *Quid plura? ipſum*
adoleſcentem dicere audiſtis. Imitatio morum alienorum, 58
quæ ἠθοποιΐα, vel, ut alii malunt, μίμησις dicitur, jam inter
leniores affectus numerari poteſt. Eſt [l] enim poſita fere
in eludendo: ſed verſatur et in *factis*, et in *dictis*. In
factis, quod [m] eſt ὑποτυπώσει vicinum: in dictis, quale eſt
apud Terentium,

[d] ut G. *bis.* [e] hoc G. [f] non Jenſ. [g] temeſi Jenſ. [h] Cum G.
[i] tum *inſ.* Jenſ. [k] illa *id.* [l] Etenim *id.* [m] quidem ὑπ. in dictis G.

54. *Quos ego*] Virg. Æn. 1, 135. Iſta, *An hujus ille legis*, videntur petita ex illa Tullii pro Milone oratione, quam in ipſo judicio habuit: quam lectam Fabio aliunde conſtat.

55. *pro Cteſiphonte Demoſthenis*] S. 2. Ἀλλ' ἐμοὶ μὲν—poſtulabat ſententia eum dicere, quid futurum de ſe eſſet, ſi benevolentia populi excideret; id quod reticet, et ſubjungit, Οὐ βούλομαι δὲ δυσχερὲς εἰπεῖν οὐδὲν ἀρχόμενος τοῦ λόγου.

56. *Tum C. Varenus*] Adfuit 4, 1, 74. Pro Milone c. 12.

58. *apud Terentium*] Eunuch.

At ego neſciebam, quorſum tu ires. Parvula
Hinc eſt abrepta, eduxit mater pro ſua,
Soror dicta eſt: cupio abducere, ut reddam ſuis.

59 Sed noſtrorum quoque dictorum factorumque ſimilis imitatio eſt per *relationem,* niſi quod frequentius aſſeverat, quam eludit: *Dicebam habere eos actorem Q. Cæcilium.* Sunt et illa jucunda, et ad commendationem cum varietate, tum etiam ipſa natura plurimum proſunt, quæ ſimplicem quamdam, et non præparatam oſtendendo oratio-
60 nem, minus nos ſuſpectos judici faciunt. Hinc eſt quaſi *pœnitentia dicti:* ut pro Cœlio, *Sed quid ego ita gravem perſonam induxi* [n] *?* Et quibus utimur vulgo, *Imprudens incidi.* Vel cum quærere nos, quid dicamus, fingimus, *Quid reliquum eſt?* et, *Num quid omiſi?* et cum ibidem in Verrem ait Cicero, *Unum etiam mihi reliquum hujuſmodi crimen eſt:* et,
61 *Aliud ex alio ſuccurrit mihi.* Unde etiam venuſti tranſitus fiunt; non, quia tranſitus ipſe ſit ſchema: ut Cicero, narrato Piſonis exemplo, qui annulum ſibi cudi [o] ab aurifice in tribunali ſuo juſſerat, velut hoc [p] in memoriam adductus [q] adjecit, *Hic* [r] *modo me commonuit Piſonis annulus, quod* [s] *totum effluxerat. Quam multis iſtum putatis hominibus honeſtis de digitis annulos aureos abſtuliſſe?* Et cum aliqua velut ignoramus, *Sed earum rerum artificem, quem? quemnam?*
62 *recte admones, Polycletum eſſe dicebant.* Quod quidem non in hoc tantum valet. Quibuſdam enim, dum aliud agere videmur, aliud efficimus: ſicut hic Cicero conſequitur, ne, cum morbum in ſignis atque tabulis objiciat Verri, ipſe quoque earum rerum ſtudioſus eſſe credatur. Et Demoſthenes jurando per interfectos in Marathone et Salamine id agit, ut minore invidia cladis apud Chæroneam

[n] introduxit G. Jenſ. [o] eludi G. [p] hic Jenſ. [q] inductus G.
[r] hoc Jenſ. [s] qui totus G.

1, 2, 75. *Dicebam habere* Divin. in Cæcil. c. 2. *pro Cœlio* c. 15. *Imprudens incidi,* in Verrem 4, 20.
61. *Hic modo me*] Verr. 4, 26. *Sed earum rerum* in Verr. 4, 3. Laudat etiam Plin. 1, 20, 5. Extemporalitatem fingit Cicero et actionis ſimilitudinem in oratione, quam nunquam habuit; quærit nomen artificis, fingit illud ſibi ſubjici ab ſuæ partis hominum aliquo.
62. *Demoſthenes jurando*] Pro corona ſ. 60. Οὐ μὰ τοὺς ἐν Μαραθῶνι προκινδυνεύσαντας τῶν προγόνων, ϗ τοὺς ἐν Πλαταιαῖς παραταξαμένους, καὶ τοὺς ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχήσαντας, ϗ τοὺς ἐπ' Ἀρτεμισίῳ, ϗ πολλοὺς ἑτέρους τοὺς ἐν τοῖς δημοσίοις μνήμασι κειμένους ἀγαθοὺς ἄνδρας κ. τ. λ. Conſiderat hoc jusjurandum, et quantum in eo ὕψος inſit, ſuo more h. e. eruditiſſime diſputat Longinus ſ. 16, ubi multa etiam de antiquorum aliorum judiciis viri docti. Meminit Noſter iterum 12, 10, 24.

acceptæ laboret. Faciunt illa quoque jucundam oratio- 63
nem, aliqua mentione habita *differre* et deponere apud memoriam judicis, et *repofcere* quæ depofueris, et *feparare* quædam fchemate aliquo, (non enim eft[t] ipfa per fe iteratio fchema,) et *excipere* aliqua, et dare actioni varios velut vultus. Gaudet[u] enim res varietate: et SICUT oculi diverfarum afpectu rerum magis detinentur; ita femper animis[x] præftat[z], in quod fe velut novum intendant. Eft *emphafis* etiam inter figuras, cum ex aliquo 64
dicto latens aliquid eruitur: ut apud Virgilium,

Non licuit thalami expertem fine crimine vitam
Degere more feræ?———

Quamquam enim de matrimonio queritur Dido, tamen huc erupit ejus affectus, ut fine thalamis vitam non hominum putet, fed ferarum. Aliud apud Ovidium genus, apud quem et Myrrha nutrici amorem patris fic confitetur,

——— *O, dixit, felicem conjuge matrem!*

Huic vel confinis, vel eadem eft, qua nunc utimur pluri- 65
mum. Jam enim ad id genus, quod et frequentiffimum eft, et exfpectari maxime credo, veniendum eft: in quo per quamdam fufpicionem, quod non dicimus, accipi volumus: non utique contrarium, ut in εἰρωνείᾳ, fed aliud latens, et auditori quafi inveniendum: quod, ut fupra oftendi, jam fere folum *fchema* a noftris vocatur, et unde controverfiæ *figuratæ* dicuntur. Ejus triplex ufus eft, 66
unus[a], fi dicere palam parum tutum eft; alter, fi non decet; tertius, qui venuftatis modo gratia adhibetur, et ipfa novitate ac varietate magis, quam fi relatio fit recta,

[t] ifta *inf.* G. Jenf. [u] *Sic* G. *et Alm. it. Voff. omnes ap. Bur.* gaudent *al.* [x] animus Jenf. [z] *Sic* G. Jenf. *et plur. ap. Bur.* præftant *al.* [a] unum Jenf.

63. *Gaudet enim res*] Hæc *res*, nimirum *actio*, de qua fermo eft, *gaudet*, lætius efflorefcit, jucundiorque fit *varietate*—et *femper præftat animis* auditorum aliquid, *in quod fe velut novum intendant*, cum eadem actio diverfos quafi vultus oftendat.

64. *emphafis*] De qua 8, 2, 11. 8, 3, 83. 9, 2, 11. Auctor ad Her. 4, 53. Significatio *eft, quæ plus in fufpicione relinquit, quam eft in oratione: ea fit per exuberationem, ambiguum, confequentiam, abfciffionem, fimilitudinem:* quæ deinde fingula exemplis declarantur. Virgilii locus eft 4, 550. Ovidii autem Met. 10, 422.

65. *ut fupra oftendi*] 9, 1, 14. Add. 5, 10, 70. 7, 4, 28.

delectat. Ex his, quod eſt primum, frequens in ſcholis
67 eſt. Nam et pactiones[b] deponentium imperium tyranno-
rum, et poſt civile bellum ſenatuſconſulta finguntur, et
capitale eſt objicere anteacta: ut, quod in foro non expe-
dit, illic nec liceat. Sed ſchematum conditio non eadem
eſt. Quamlibet enim apertum, quod modo et aliter in-
telligi poſſit[c], in illos tyrannos bene dixeris, quia pericu-
68 lum tantum, non etiam offenſa vitatur. Quod ſi ambi-
guitate ſententiæ poſſit[d] eludi, nemo non illi furto favet.
Vera negotia numquam adhuc habuerunt hanc ſilentii
neceſſitatem; ſed aliam huic ſimilem, verum multo ad
agendum difficiliorem, cum perſonæ potentes obſtant, ſine
69 quarum reprehenſione teneri[e] cauſſa non poſſit. Ideoque
hoc parcius et circumſpectius faciendum[f]: quia nihil in-
tereſt, quo modo offendas: et aperta figura perdit hoc
ipſum, quod figura eſt. Ideoque a quibuſdam tota res
repudiatur, ſive intelligatur, ſive non[g]. Sed licet modum
adhibere. In primis, ne ſint manifeſtæ. Non erunt au-
tem, ſi non ex verbis dubiis et[h] quaſi duplicibus peten-
tur: qualis[i] eſt in ſuſpecta nuru, *Duxi uxorem, quæ patri*
70 *placuit:* aut, quod eſt multo ineptius, compoſitionibus
ambiguis: ut illa controverſia, in qua infamis amore vir-
ginis filiæ pater raptam eam interrogat, a quo vitiata ſit,
71 *Quis te,* inquit, *rapuit? tu, pater, neſcis?* Res ipſæ per-
ducant judicem ad ſuſpicionem, et amoliamur cetera, ut
hoc ſolum ſuperſit; in quo multum etiam affectus juvant,
et interrupta ſilentio dictio, et cunctationes. Sic enim
fiet, ut judex quærat illud neſcio quid, quod ipſe fortaſſe
non crederet, ſi audiret: et ei, quod a ſe inventum exiſti-
72 mat, credat. Sed ne ſi optimæ quidem ſint, eſſe debent

[b] actiones *id.* [c] poteſt G. Jenſ. [d] poſſet G. [e] tueri G. [f] eſt *inſ.* G. Jenſ. [g] intelligatur G. *et plur. ap. Bur. Vid. not.* [h] vel Jenſ. [i] quales G.

67. *pactiones—tyrannorum*] Legem illam ἀμνηστίας ſ. oblivionis intelligi, bene obſervarunt viri eruditi. Vid. infra ſ. 97 quos laudat Boſius ad Nep. 8, 3, 2. et ex declamatoribus Fabium 267. it. Sen. Exc. Contr. 5, 8. *Objicere anteacta*, Græcis eſſe μνησικακεῖν, Boſius l. c. oſtendit.

69. *ſive intelligatur, ſive non*] Non plane inauditum eſt *non* in fine ſententiæ poſitum: jam ad Fabrum laudavimus, præter Senecam, ipſum Cic. ad Att. 8, 3, p. 761. Græv. *Eam ſi nunc ſequor, quonam? cum illo non.* Et 14, 12, p. 551. *Octavium ſui Cæſarem ſalutabant, Philippum non.* Interim non diſſimulo, facilitati minime abruptæ Fabii magis videri convenire repetitionem verbi, quod omitti facile fuit bis poſitum; inferendi, ſi non adfuit, librarius quam cauſam habuerit, non ita expeditum eſt.

frequentes. Nam densitate ipsa figuræ aperiuntur, nec offensæ minus habent, sed auctoritatis. Nec pudor videtur, quod non palam objicias, sed diffidentia. In summa, sic maxime judex credit figuris, si nos putat nolle dicere.
Equidem [l] (quandoque [m]) et in personas incidi tales, et in 73
rem quoque, (quod est magis rarum) quæ [n] obtineri nisi hac arte non posset. Ream tuebar, quæ subjecisse dicebatur marito [o] testamentum, et dicebantur chirographum
marito exspiranti [p] heredes [q] dedisse: et verum erat. Nam, 74
quia per leges institui uxor non poterat heres, id fuerat actum, ut ad eam bona per hoc tacitum fideicommissum pervenirent. Et caput quidem tueri [r] facile erat, si hoc diceremus palam: sed [s] peribat hereditas. Ita ergo fuit nobis agendum, ut judices illud intelligerent factum, delatores non possent apprehendere ut dictum: et contigit [t] utrumque. Quod non inseruissem, veritus opinionem jactantiæ, nisi probare voluissem, in foro quoque esse his
figuris locum. Quædam etiam, quæ probare non possis, 75
figura potius spargenda sunt. Hæret enim nonnumquam telum istud [u] occultum, et hoc ipso, quod non apparet,

[l] Etiam G. [m] *om. Voss.* 1 *et* 3 *ap. Bur.* quando etiam Jens. [n] quod obt. nisi arte non possit G. [o] mariti G. [p] *Sic* G. *et V. C. Almel.* exspirante *al.* [q] heredibus G. Jens. [r] veti G. queri Jens. tueri *restituisse videtur Obr.* [s] sed per se deper. G. Jens. [t] conjungit Jens. [u] illud G.

73. *Equidem (quandoque*] Non indignus Quinctiliani ævo usus adverbii *quandoque* pro *interdum*, quod ad Fabrum ostensum est; sed cum satis sit hoc semel iterumque contigisse, nec adeo necessaria sit vis verbi *interdum*, et absit in quibusdam codicibus: includendum certe putavi.

73. *marito exspiranti*] Sic legendum omnino videtur. Mulier accusatur *testamentum subjecisse marito*; igitur ignoranti, et vel intestato, vel qui aliud testamentum fecisset. Accusatur ergo criminis falsi, et commisisse dicitur lege Cornelia, cujus *pœna est deportatio et omnium bonorum publicatio* l. 1. π'. de lege Cornel. de falsis §. 13. coll. l. 2. eod. Jam porro *dicebantur heredes marito exspiranti*, sed viventi tamen adhuc, et conscio, *chirographum dedisse*, quo promitterent scilicet, se bona sibi relicta testamento, tanquam fidei suæ commissa, reddituros mulieri. Hæc res si plana facta esset judicibus, a falsi certe pœna liberabat mulierem, *caput* illius *tuebatur*, quo minus deportaretur: sed eadem etiam illi *peribat hereditas*, cum in fraudem legis illud tacitum fideicommissum intercessisset. Quinctilianus, patronus mulieris, illud factum per figuram significat judicibus, ut ipsi intelligerent eo argumento, testamentum non esse subjectum; uti eo non possent adversarii, contra voluntatem defuncti. Nimirum judices non excedunt formulam: satis ipsis est ad absolvendam mulierem a crimine falsi, scire testamentum esse a marito: si quis deinde alia lege experiri velit, hoc ipsi, in hac quidem caussa, non laborant.

76 eximi non poteſt. At ſi idem dicas palam, et defenditur, et probandum eſt. Cum autem obſtat nobis *perſonæ reverentia*, (quod ſecundum poſuimus genus) tanto cautius dicendum eſt, quanto validius bonos inhibet pudor quam metus. Hic vero tegere nos judex, quod ſciamus, et verba vi [v] quadam veritatis erumpentia credat coercere. Nam quanto [x] minus aut ipſi, in quos dicimus, aut judices, aut aſſiſtentes oderint [y] hanc maledicendi laſciviam, ſi velle [z]
77 nos credant? Aut quid intereſt, quo modo dicatur, cum et res et [a] animus intelligitur? Quid dicendo denique proficimus, niſi ut palam ſit, nos facere, quod ipſi ſciamus non eſſe faciendum? Atqui præcipue prima, quibus præcipere cœperam, tempora hoc vitio laborarunt. Dicebant enim libenter tales controverſias, quæ difficultatis gratia
78 placent, cum [b] ſint multo faciliores. Nam rectum genus approbari niſi maximis viribus non poteſt: hæc deverticula et anfractus ſuffugia ſunt infirmitatis [c]: UT qui curſu parum valent, flexu eludunt: cum hæc, quæ affectatur, ratio ſententiarum non procul a ratione jocandi abhorreat. Adjuvat etiam, quod auditor gaudet intelligere, et
79 favet ingenio ſuo, et alio dicente ſe laudat. Itaque non ſolum, ſi perſona obſtaret rectæ orationi, (quo in genere ſæpius modo quam figuris opus eſt) decurrebant ad ſche-

[v] in G. *ſolenni obſcuritate literarum ſolis perpendicularibus conſtantium lineis.* [x] quo G. Jenſ. [y] oderit Jenſ. [z] *ita* Jenſ. *et plur. ap. Burm.* nolle *eſt a criticis.* [a] *om.* Jenſ. [b] ut G. *non male, pro* licet. [c] infirmitati Jenſ. *recte.*

76. *ſecundum poſuimus genus*] Supra ſ. 66.

76. *ſi velle nos credant*] Reſtitui lectionem, quæ intempeſtivis correctionibus cedere coacta fuerat, cum ſententiam hujus loci non ſatis homines adſequerentur, quam immutatis etiam verbis efferemus, ſi qua fieri poſſit clarior. Figura utimur reverentia quadam perſonæ, contra quam dicimus. Hic faciendum eſt nempe, ut nolle dicere videamur, quod tamen ſcire judicem noſtra intereſt. Si enim credant adverſarius, judex, auditor, nos omnino *velle* dicere id, quod figura male tegitur: ingenioſius tantum nos maledicos putabunt; non ideo minus habebunt odio. Contra ea ſe res habet, ubi ipſa quaſi vi ſua erumpere veritas, invitis nobis et reprimentibus, videtur. Hinc, credo, apparet, *nolle* contrarium eſſe, *velle* unice verum.

78. *rectum genus*] *Rectum* et *ſimplex genus figuræ* univerſim opponit noſter, v. g. 9, 1, 3, et 13. 9, 2, 103. 9, 3, 3.

78. *a ratione jocandi*] In quo regnat *ambiguum*, *emphaſis*, et id genus furtorum.

79. *ſæpius modo*] H. e. moderatione, modeſtia, pudore, pietatis ſignificatione aut honoris, ut Servium et ipſum Catonem Cicero tractat in oratione pro Muræna.

mata, ſed faciebant illis locum etiam, ubi [d] inutiles ac
nefariæ eſſent: ut [e] ſi pater, qui infamem in matrem fi-
lium ſecreto occidiſſet, reus malæ tractationis, jacularetur
in uxorem obliquis ſententiis. Nam quid impurius, quam 80
retinuiſſe talem? Quid porro tam contrarium, quam
eum [f], qui accuſetur, quia ſummum nefas ſuſpicatus de
uxore videatur, confirmare id ipſa defenſione, quod di-
luendum eſt? At, ſi judicum ſumerent animum, ſcirent,
quam ejuſmodi actionem laturi non fuiſſent: multoque
etiam minus, cum in parentes abominanda crimina ſpar-
gerentur. Et quatenus huc incidimus, paullo plus ſcho- 81
lis demus. Nam et in his educatur orator: et IN eo,
quo modo declametur, poſitum eſt etiam, quo modo aga-
tur. Dicendum ergo de iis quoque, in quibus non aſpe-
ras figuras, ſed palam [g] contrarias cauſſæ plerique fece-
runt. *Tyrannidis affectatæ damnatus torqueatur, ut con-
ſcios indicet: accuſator ejus optet, quod volet. Patrem qui
accuſavit, optat, ne is torqueatur: pater ei contradicit.* Ne- 82
mo ſe tenuit agens pro patre, quin figuras in filium face-
ret, tamquam illum conſcium pater in tormentis eſſet no-
minaturus. Quo quid ſtultius? Nam cum hoc [h] judices
intellexerint, aut non torquebitur, cum ideo [i] torqueri
velit: aut torto non credetur. *At credibile eſt, hoc eum* 83

[d] perſonæ *inſ. editt. a Regio inde plures.* [e] *om.* G. ut is G. Jenſ. [f] enim Jenſ. [g] parum Jenſ. [h] hæc G. [i] omnino G.

79. *ubi inutiles ac nefariæ eſſent*] *Perſonæ* illud, quod Regii, optime alioqui de Fabio meriti, auctoritas commendavit reliquis, non tantum abeſt a libris optimis, non ſolum neceſſarium non eſt, ſed plane alienum. Adjectiva *inutiles* et *nefariæ* referuntur ad ſynonymum nominis *ſchemata*, h. e. ad *figuras*. Hæ enim profecto *inutiles* et *nefariæ* ſunt in ſpeciebus, quas ſtatim exempli cauſſa ſubjicit. Neque vero offendere aliquem debet iſtud loquendi genus, cum non ad ipſum aliquod verbum, ſed ad illius ſynonymum refertur oratio: quam *Syneſin* exemplis aliquam multis Varronis et Columellæ duobus illuſtratam videre poteſt lector in Lexico noſtro Ruſtico h. v. Longe plura dabunt quos ibi laudavimus viri docti, quibus addere jam licet Longolium ad Plin. Epiſt. 10, 99, 1. Uno hic exemplo contenti erimus, in quod forte modo incidimus, ex ipſo principio Paradoxων Ciceronis, *Animadverti — Catonem —* LOCOS GRAVES *ex philoſophia tractare, abhorrentes — ſed dicendo conſequi tamen, ut* ILLA *etiam populo probabilia viderentur.*

79. *infamem in matrem*] Tractatur hæc ſpecies in declamatione 18 et 19, quæ Fabio tribuuntur.

81. *de iis quoque*] Puto intelligendum *ſcholis;* niſi quis malit *cauſſis.*

velle? Fortaſſe: diſſimulet ergo, ut efficiat. *Sed nobis* (declamatoribus dico) *quid proderit hoc intellexiſſe, niſi dixerimus?* Ergo ſi vere ageretur, ſimiliter conſilium illud latens prodidiſſemus? Quid ſi neque utique verum eſt, et habere alias hic damnatus contradicendi cauſſas poteſt, vel quod legem conſervandam putet, vel quod nolit accuſatori debere beneficium, vel (quod ego maxime ſequerer)
84 ut ſe innocentem in tormentis eſſe pertendat [k]? Quare ne illud quidem ſemper ſuccurret [l] ſic dicentibus, *Patrocinium hoc voluit, qui controverſiam finxit.* Fortaſſe enim noluit: ſed eſto, voluerit [m]: continuone, ſi ille ſtulte cogitavit, nobis quoque ſtulte dicendum eſt? At ego in cauſſis agendis frequenter non puto intuendum, quid liti-
85 gator velit. Eſt et ille in hoc genere frequens error, ut putent aliud quoſdam dicere, aliud velle: præcipue cum in themate eſt, aliquem, ut ſibi mori liceat, poſtulare: ut in illa controverſia, *Qui aliquando fortiter fecerat, et alio bello petierat, ut militia vacaret ex lege, quod quinquagenarius eſſet, adverſante filio ire in aciem coactus, deſeruit. Filius, qui fortiter eodem prælio fecerat, incolumitatem ejus optat: contradicit pater. Non enim,* inquiunt, *mori vult, ſed*
86 *invidiam filio facere.* Equidem rideo, quod illi ſic timent, tamquam ipſi morituri, et in conſilium ſuos metus ferunt, obliti tot exemplorum circa voluntariam mortem, cauſſarum quoque, quas habet [n] factus ex viro forti deſertor.
87 Sed de [o] una controverſia loqui [p] ſupervacuum eſt. Ego in univerſum neque oratoris puto eſſe umquam prævaricari, neque litem intelligo, in qua pars utraque idem ve-

[k] *Sic* Jenſ. *et optimi quique ap. Bur.* prætendat *rel.* [l] ſuccurreret G. [m] noluerit Jenſ. [n] habent Jenſ. *forte* habeat. [o] *om. id.* [p] ſequi *id.*

83. *pertendat*] Verbo paullum rariori, ſed optimæ tamen notæ et ad hunc locum aptiſſimo, prætulerunt quidam notius ſibi, et barbarorum uſu frequentatum, ſed minime huc conveniens. Nimirum *prætendere* idem eſt barbaris (abeſſe contumeliam huic verbo et notum eſt, et ego quidem volo) quod adſeverare, pro jure ſuo poſtulare, contendere. Sed hic opus eſt verbo vehementiore, quod perſeverantiam et contentionem ad finem durantem notet, ut noſtrum, *auf der tortur erhaerten.* Rarior hujus verbi uſus illud etiam loco moverat Ter. Eun. 1, 1, 6, ubi ex Gloſſa *perficies* ſubſtitutum. Sed recte e Bembi membranis et veteribus grammaticis repoſuit Bentleius, *Verum ſi incipies, neque pertendes naviter.*

86. *cauſſarum—quas habet deſertor*] E. g. non vult ſupervivere pudori ſuo et ignominiæ: vult oſtendere ſe non mortem fugiſſe, cum ſigna deſereret, ſed ingratæ patriæ operam navare noluiſſe, &c.

lit: neque tam ſtultum quemquam, qui, ſi vivere velit[q],
mortem potius male petat, quam omnino non petat. Non 88
tamen nego, eſſe controverſias hujuſmodi figuratas: ut
eſt illa, *Reus parricidii, quod fratrem occidiſſet, damnatum
iri videbatur: pater pro teſtimonio dixit, eum ſe jubente fe-
ciſſe: abſolutum abdicat.* Nam neque in totum filio par-
cit, nec, quod priore judicio affirmavit, mutare palam po-
teſt, et ut non durat ultra pœnam abdicationis, ita[r] abdi-
cat tamen: et alioqui figura in patre plus facit, quam li-
cet, in filio minus. Ut autem nemo contra id, quod vult, 89
dicit, ita poteſt melius aliquid velle, quam dicit: quo-
modo ille *abdicatus, qui a patre, ut filium expoſitum et ab
eo educatum ſolutis alimentis recipiat, poſtulat*, revocari for-
taſſe mavult: non tamen, quod petit, non vult. Eſt la- 90
tens et illa ſignificatio, qua, cum jus aſperius petitur a
judice, fit ei tamen ſpes aliqua clementiæ, non palam, ne
paciſcamur, ſed per quamdam credibilem ſuſpicionem, ut
in multis controverſiis, ſed in hac quoque: *Raptor, niſi
intra trigeſimum diem et raptæ patrem, et ſuum exoraverit*[s],
*pereat: qui exorato raptæ patre ſuum non exorat, agit cum
eo dementiæ.* Nam ſi permittat hic pater, lis tollitur: ſi 91
nullam ſpem faciat, ut non demens, crudelis certe videa-
tur, et a ſe judicem avertat. Latro igitur optime, *Occides*[t]
ergo? ſi potero. Remiſſius, et pro ſuo ingenio, pater

[q] vult *id.* [r] ira *id.* [s] exornaverit *id. male: ſed bene ita collocat,* exor. et ſuum. [t] occidet *id.*

88. *Reus—damnatum iri videbatur*] Ratio poſtulabat legi *Reum.* Neque enim dicere licet *itur reus damnatum:* ſed *itur* vel eunt judices *damnatum reum.* Verum indulſiſſe ſibi aliquid hic etiam uſus tyrannidem contra veram rationem, oſtendit poſt Voſſium Perizonius ad Sanctii Min. 3, 9, 3. p. 474. ubi nec ipſe hic Fabii locus prætermittitur.

88. *non durat ultra pœnam*] Non obdurat animum, non poteſt imperare ſibi vel ab animo paterno impetrare graviorem pœnam, ut deinde ſ. 91 *Dura, anime.* Sed quid ſibi velint quæ ſequuntur, non plane intelligo. *Figura in patre plus facit, quam licet, in filio minus.* An hoc, Reſpectu patris figura in abdicationis cauſa nimium probat? Si enim, ut nunc innuit figura, ſuo dolo interfecit fratrem; quid eum pater tantum abdicat? Filii reſpectu minus. Si enim, quod in ſpeciem dicitur, cædis innocens eſt, quid abdicatur? Sed ſic Quinctilianus ſua ipſe vineta videtur cædere: conceſſerat enim eſſe hic controverſiam figuratam.

91. *Occides ergo?*] Patronus filii, vel ipſe adeo filius patrem nondum exoratum rogat, *Occides ergo* illa tua duritie filium? Reſpondet ille, *ſi potero:* quod hanc etiam poteſt vim habere, ſi potero expugnare animum paternum, et vincere pietatem, juſtitiæ et ſeveritatis cogitatione. Illa verba, *Dura, anime,* pater eloquitur apud Gallionem

Gallio, *Dura, anime, hodie* [u], *dura: heri fortior fuiſti.*
92 Confinia ſunt his celebrata apud Græcos ſchemata, per quæ res aſperas mollius ſignificant. Nam Themiſtocles ſuaſiſſe exiſtimatur Athenienſibus, ut *urbem apud deos deponerent:* quia durum erat dicere, *ut relinquerent:* et, qui Victorias aureas in uſum belli conflari volebat, ita declinavit, *victoriis utendum eſſe.* Totum autem allegoriæ ſi-
93 mile eſt, aliud dicere, aliud intelligi velle. Quæſitum etiam eſt, quomodo reſponderi contra figuras oporteret [x]. Et quidam ſemper ex diverſo aperiendas putaverunt, ſicut latentia vitia reſcinduntur. Idque ſane frequentiſſime faciendum eſt: aliter enim dilui objecta non poſſunt, utique cum quæſtio in eo conſiſtit, quod figuræ petunt. At cum maledicta ſunt tantum, et non intelligere interim
94 bonæ conſcientiæ eſt. Atque etiam cum [z] fuerint crebriores figuræ, quam ut diſſimulari poſſint, poſtulandum eſt, ut illud neſcio quid, quod adverſarii obliquis ſententiis ſignificare voluerint, ſi fiducia ſit, objiciant palam: aut certe non exigant, ut [a], quod ipſi non audent dicere,
95 id judices non modo intelligant, ſed etiam credant. Utilis etiam aliquando diſſimulatio eſt, ut in eo, (nota enim fabula eſt) qui, cum eſſet contra eum dictum, *Jura per patroni* [b] *tui cineres*, paratum ſe eſſe reſpondit: et judex

[u] *om.* G. [x] oportet Jenſ. [z] ſi G. Jenſ. [a] ut—credant *om.* G.
[b] patris *ap. Senecam, et ſic Obr.*

rhetora, iiſque ipſis vacillare ſe et labare ſignificat. Cæterum hæc ſpecies tractatur in Senecæ Contr. 2, 11. et Exc. Contr. 2, 3.

92. *victoriis utendum*] Simile Chriſtiani Brunſvicenſis dicto, qui argenteas Apoſtolorum, quas Paderbornæ nactus erat, ſtatuas cum in monetam ferri juberet, rationem ſubjecit, *ire juſſos a magiſtro ſuo Apoſtolos per terrarum orbem.* In verbo itaque *declinavit* intelligo *orationem rectam et ſimplicem*, ut figura fieret.

95. *nota enim fabula eſt*] Tum erat. Nos eam ignoraremus, abſque Seneca ſi eſſet. Apponemus verba, ne opus ſit Fabium interim deponere: Controv. 3. præf. p. 171 Elzev. narrat de Albutio, *In quodam judicio centumvirali*—Placet *inquit*, tibi rem jurejurando tranſigi? jura, ſed ego jusjurandum dabo: jura per patris cineres, qui inconditi ſunt: jura per patris memoriam. *Et exſecutus eſt locum: quo perfecto ſurrexit Arruntius ex diverſo et ait*, Accipimus conditionem, jurabit. *Clamabat Albutius:* Non detuli conditionem, ſchema dixi. *Arruntius inſtabat, Albutius clamabat:* Iſta ratione ſchemata de rerum natura tolluntur. *Arruntius aiebat*, Tollantur, poterimus ſine illis vivere. *Summa rei hæc fuit: Centumviri dixerunt*, dare ipſos ſecundum adverſarium Albutii, ſi juraret ille. *Juravit. Albutius non tulit hanc contumeliam —nunquam amplius in foro dixit.— Hoc delectabat ipſum in declamationibus, quod ſchemata ſine periculo dicebantur.*

conditione ufus eft, clamante multum advocato, fchemata
de rerum natura tolli : ut protinus etiam præceptum fit,
ejufmodi figuris utendum temere non effe. Tertium eft 96
genus, in quo fola melius dicendi petitur occafio : ideoque
id Cicero non putat effe pofitum in contentione [c]. Tale
eft illud, quo idem utitur in Clodium, *Quibus ifte, qui
omnia facrificia noffet* [d], *facile ab fe deos placari poffe arbi-
trabatur.* Ironia quoque in hoc genere materiæ [e] fre- 97
quentiffima eft. Sed eruditiffimum longe, fi per aliam
rem alia inducatur [f] : ut cum adverfus tyrannum, qui fub
pacto abolitionis dominationem depofuerat [g], ait competi-
tor, *Mihi in te dicere non licet, tu in me dic, et potes : Nu-
per te volui occidere.* Frequens illud [h] eft, nec magnopere 98
captandum, quod petitur a [i] jurejurando : ut [l] pro exhe-
redato, *Ita mihi contingat herede filio mori.* Nam et in to-
tum jurare, nifi ubi neceffe eft, gravi viro parum convenit :
et eft a Seneca dictum eleganter, *non patronorum hoc effe,
fed teftium.* Nec meretur fidem, qui fententiolæ gratia
jurat : nifi fi poteft tam bene, quam Demofthenes, ut fu-
pra dixi. Leviffimum [m] autem longe genus ex verbo, 99
etiamfi [n] eft apud Ciceronem in Clodiam, *Præfertim quam
omnes amicam omnium potius quam cujufquam* [o] *inimicam
putaverunt.* *Comparationem* equidem video figuram non 100
effe, cum fit interim probationis, interim etiam cauffæ
genus : et fit talis ejus forma, qualis eft pro Murena, *Vi-
gilas tu de nocte, ut tuis confultoribus refpondeas : ille, ut* [p],
quo intendit [q], *mature cum exercitu perveniat : te Gallorum,
illum buccinarum cantus excitat* [r], et cetera. Nefcio an
orationis potius quam fententiæ fit. Id enim folum mu- 101
tatur, quod non univerfa univerfis, fed fingula fingulis op-
ponuntur. Et Celfus tamen, et non negligens auctor
Vifellius in hac eam parte pofuerunt. Rutilius quidem

[c] concione Jenf. [d] nofcet *id.* [e] naturæ *id.* [f] indicetur G. inducetur Jenf. [g] fepof. Jenf. [h] *om. id.* [i] *om. id.* [l] eft *inf.* G. Jenf. [m] Lætiff. Jenf. [n] etiam ficut Jenf. [o] cujufcunque *id.* [p] eo *inf.* G. Jenf. [q] tendit G. contendit Jenf. [r] exufcitat G. Jenf.

96. *Tertium eft genus*] Refpicit ad divifionem f. 66 propofitam.

96. *qui omnia facrificia noffet*] Etiam Bonæ Deæ, in cujus operto fuerat.

97. *fub pacto abolitionis*] Sive oblivionis, ἀμνηςίας· vid. f. 67. *Abolitionis* nomen hac in re etiam eft ap. Senec. Exc. Contr. 5, 8. *Nuper te volui occidere :* licebat enim tyrannum, et legibus præmium ftatutum interfectoribus.

98. *ut fupra dixi*] f. 62. Ciceronis jocus in Clodiam eft pro Cœlio c. 13. *pro Murena* c. 9.

102 Lupus [s] in utroque genere, idque ἀντίθετον vocat. Præter
illa vero [t], quæ Cicero inter lumina poſuit ſententiarum,
multa alia et idem Rutilius, Gorgiam ſecutus, non illum
Leontinum, ſed alium ſui temporis, cujus quatuor libros
in unum ſuum tranſtulit, et Celſus, videlicet Rutilio acce-
103 dens, poſuerunt *ſchemata*. *Conſummationem*, quam Græ-
cus [u] διαλλαγὴν vocat, cum plura argumenta ad unum
effectum deducuntur. *Conſequens*, ille ἐπακολούθησιν, de
quo nos in argumentis diximus. *Collectionem*, qui apud
illum eſt συλλογισμός. *Minas*, id eſt [x], κατάπληξιν. *Ex-
hortationem*, παραινετικόν. Quorum nihil non [z] rectum eſt,
niſi cum aliquam ex his, de quibus locuti ſumus, figuram
104 accipit [a]. Præter hæc Celſus, *excludere*, *aſſeverare*, *de-
trectare* [b], *excitare judicem*, *proverbiis uti*, *et verſibus*, *et joco*,
et invidia, *et invocatione*, *intendere crimen*, quod eſt δείνωσις,
adulari, *ignoſcere*, *faſtidire*, *admonere*, *ſatisfacere*, *precari*,
105 *corripere*, figuras putat. *Partitionem* quoque, et *propoſi-
tionem*, et *diviſionem*, et *rerum duarum cognationem*, (quod
eſt, ut idem valeant, quæ videntur eſſe diverſa, ut non is [c]
demum ſit veneficus, qui vitam abſtulit data potione, ſed
106 etiam, qui mentem) quod eſt in parte finitionis. Rutilius,
ſive Gorgias, ἀναγκαῖον, ἀνάμνησιν, ἀνθυποφορὰν, ἀντίῤῥησιν,
παραύξησιν, προέκθεσιν, quod eſt dicere, quid fieri oportue-
rit, deinde quid factum ſit: ἐναντιότητα, unde ſint enthy-
memata κατ᾽ αἰτίασιν [d]: μετάληψιν etiam, quo ſtatu Herma-
107 goras utitur. Viſellius, quamquam pauciſſimas facit [e] fi-
guras, facit [f] ἐνθύμημα tamen, quod *commentum* vocat, et
rationem [g], appellans ἐπιχείρημα, inter eas habet: quod qui-
dem recipit quodammodo et Celſus: nam, *conſequens* an
epicherema ſit, dubitat. Viſellius adjicit et *ſententiam*.
Invenio [h], qui aggregent [i] his διασκευὰς [l], ἀπαγορεύσεις, πα-
ραδιηγήσεις. Sed ut hæc non ſunt ſchemata: ſic alia vel
ſint forſitan, ac [m] nos fugerint; vel etiam nova fieri adhuc
poſſint, ejuſdem tamen naturæ, cujus ſunt ea, de quibus
dictum eſt.

III. Verborum vero figuræ et mutatæ ſunt ſemper, et,
utcumque valuit conſuetudo, mutantur. Itaque ſi anti-

[s] Rufus G. [t] *om.* G. Jenſ. [u] Græci—vocant *iid.* [x] idem G. *ſæpius.* [z] *om.* Jenſ. [a] accepit G. [b] detract. Jenſ. [c] in his *id.* [d] ἔκτασιν G. [e] faciat G. Jenſ. [f] *om.* G. [g] ratione Jenſ. [h] Inveni *id.* [i] aggerent G. [l] *om. ſigno lacunæ appoſito* G. [m] magis vetuſta fug. *id.*

103. διάλλαγὴν] Vid. 9, 3, 49. De *Conſequente* 5, 14, 1.

103. *rectum eſt*] *Rectum figuræ* opponitur: vid. ad ſ. 78.

quum sermonem nostro comparemus, pene jam, quidquid loquimur, figura est: ut, *hac*[n] *re invidere*, non, ut omnes veteres, et Cicero præcipue, *hanc*[o] *rem*: et, *incumbere illi*, non *in illum*: et, *plenum vino*, [p]non *vini*: et, *huic*, non *hunc adulari*, jam dicitur, et mille alia: utinamque[q] non pejora vincant. Verum schemata λέξεως duorum sunt ge- 2
nerum: alterum loquendi rationem vocant, alterum[r] quod ad collocationem maxime exquisitum est. Quorum tametsi utrumque convenit orationi, tamen possis[s] illud *grammaticum*, hoc *rhetoricum* magis dicere. Prius fit iisdem generibus, quibus vitia. Esset enim omne[t] *schema* vitium, si non peteretur, sed accideret. Verum auctori- 3

[n] hanc rem Jens. hac re *Almel. et Voss.* 1 *et* 3, *ac probat Burmannus. Vid. not.* [o] huic rei Jens. [p] et *ins.* Jens. [q] uterque G. [r] alterum collocatione G. Jens. [s] posses G. [t] *om.* G.

1. *ut, hac re invidere*] Non dubitavi recipere lectionem bonorum librorum, quam firmant loca plura Plinii ex Mediceo codice laudata hic a Burmanno, et a Cortio ad ipsius Plinii epist. 1, 10. extr. Notabilis præsertim 2, 10, 1, *Quousque et tibi et nobis invidebis, tibi maxima laude, nobis voluptate.* Sed Plinii loca vulgo corrupta fuerant: in Poetam non tantum licuit. Lucanus 7, 798, *Invidet igne rogi miseris.* Add. Plin. major 8, 32, s. 50. *Sed et hi* (cervi) *bono suo invident*: quod recte interpretatur Harduinus, *bonum suum nobis invident.* Confirmat porro lectionem quam dedimus Fl. Caper pr. libelli de Orthogr. p. 2239 Putsch. ubi veteres dixisse ait, *Invideo tibi divitias, non divitiis.* Indicat nempe, posterius sua ætate usitatum fuisse. Cæterum etiam Genitivo rei, qui adfinis admodum ablativo est, jungi hoc verbum, ostendit Horatii locus, mox laudandus s. 17. Quod autem est de versiculo Accii, quem profert Cic. Tusc. 3, 9, *Quisnam florem liberûm invidit meûm?* ubi diserte subjicit, *ut* videre, *sic* invidere florem *rectius, quam* flori; *nos consuetudine prohibemur*; *poeta jus suum tenuit, et dixit audacius*: vereor, ut optimum Grammaticum hic egerit Tullius. Potuit quidem dixisse Accius, *Quis invidit florem liberûm meorum*; et tamen intelligere *mihi*. Sed suspicor tamen Accium hic posuisse *invidere* pro intuendo et oculorum conjectu diro fascinare. *Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos* &c. Quantum quidem exemplis certis constat, hoc verbum, cum angi alienis malis significat, dativum personæ, cujus bona alium angunt, semper habet; res, cujus causa, propter quam, vel de qua invident alii, obliquis reliquis exprimitur; dativo tum demum, cum pro persona adjunctum illius ponitur, ea ratione, qua *gratulari alterius felicitati* dicimus, *pro alteri felicitatem.* Ita commodissime componi nobis videbantur, quæ moventur a Vossio de Constr. c. 34, a Scioppio et Perizonio ad Sanctii Minerv. 3, 3, 8, atque a Gronovio ad Taciti Ann. 1, 22, ubi legendum ex veteri libro jam Gruterus censuit; ne hostes quidem *sepultura invident.*

1. *plenum vino, non vini*] Non omni exceptione hanc quasi regulam superiorem esse, Lexica nostro quoque studio polita satis ostendunt: in quibus etiam de verbo *adulari* dictum.

tate, vetuſtate, conſuetudine plerumque defenditur, ſæpe
etiam ratione quadam. Ideoque, cum ſit a ſimplici rec-
toque loquendi genere deflexa, virtus eſt, ſi habet proba-
bile aliquid [u], quod ſequatur.* Una tamen in re maxime
utilis, ut [x] quotidiani et ſemper eodem modo formati ſer-
monis faſtidium levet, et nos a vulgari dicendi genere de-
4 fendat. Quo [z] ſi quis parce, et, cum res poſcet, utetur,
velut aſperſo quodam condimento jucundior erit: at qui
nimium affectaverit, ipſam illam gratiam varietatis [a] amit-
tet. Quamquam ſunt quædam figuræ ita receptæ, ut pe-
ne jam hoc ipſum nomen effugerint; quæ etiamſi fuerint
5 crebriores, aures conſuetas minus ferient. Nam [b] ſecre-
tæ, et extra vulgarem uſum poſitæ, ideoque magis nobi-
les, ut novitate aurem [c] excitant, ita copia ſatiant: nec ſe
obvias fuiſſe dicenti, ſed conquiſitas, et ex omnibus late-
6 bris extractas congeſtaſque declarant. Fiunt ergo et circa
genus figuræ in nominibus: nam et *oculis capti talpæ, et
timidi damæ* dicuntur a Virgilio: ſed ſubeſt ratio, quia
ſexus [d] uterque altero ſignificatur: tam [e] enim mares eſſe
*talpas damaſ*que quam feminas, certum eſt: et in verbis,
7 ut, *fabricatus eſt gladium*, et, *inimicos punitus eſt*. Quod
mirum minus eſt, quod in natura verborum eſt, et, quæ
facimus, patiendi modo ſæpe dicere, ut *arbitror, ſuſpicor*;
et contra faciendi, quæ patimur, ut *vapulo*: ideoque fre-
quens permutatio eſt, et pleraque [f] utroque modo efferun-
tur, *luxuriatur* [g], *luxuriat*; *fluctuatur* [h], *fluctuat*; *aſſentior*,
8 *aſſentio*; *revertor* [i], *reverto*. Eſt figura et in numero, vel
cum ſingulari pluralis [l] ſubjungitur, *Gladio pugnaciſſima
gens Romani: gens* enim ex multis: vel e diverſo,

——— *Qui* [m] *non riſere parentes,*
Nec deus hunc menſa, dea nec dignata cubili eſt.

[u] *om.* Jenſ. [x] et *id.* [z] Qua G. [a] veritatis G. [b] et *inſ.* Jenſ. [c] *om.* G. [d] *om.* G. [e] nam mares G. Jenſ. [f] plerumque G. [g] luxuriatus G. Jenſ. [h] et fluctuatus *iid.* [i] revertor, reverto *om. iid. et plur. ap. Bur.* [l] numerus G. Jenſ. [m] Cui *inſ.* Jenſ.

6. *talpæ*] Virg. Georg. 1, 183. *timidi damæ* Ecl. 8, 28. *fabricatus eſt gladium* Cic. pro Rabir. Poſt. 3. *Punitus eſt inimicos* id. pro Milon. c. 13. Magnam vim talium verborum congeſſere Dan. Vechnerus in Hellenol. 1, 1, 8, et ad eum diligentiſſimus amicus noſter Heuſingerus.

8. *ſingulari pluralis*] *Numeri ſyntheſin* vocant, cujus plurima exempla dant viri modo laudati 1, 2, 15.

8. *Qui non riſere*] Illud apertum in loco alioquin vexatiſſimo, Fabium pronomen *qui* accepiſſe nominativo plurali, *qui pueri non riſere* (ad) *parentes*, non arriſerunt pa-

Ex illis enim, *qui* non risere, *hunc*[n] non dignatus[o] deus, 9
nec dea dignata. Et mutatione[p] partium, ut in Satyra,

——— *Et nostrum istud vivere triste Aspexi,*

cum infinito verbo sit usus pro appellatione: *nostram* enim *vitam* vult intelligi. Utimur et verbo pro participio, ut,

Magnum dat ferre talentum,

tamquam *ferendum:* et participio pro verbo, *Volo datum.*
Interim etiam dubitari potest, cui simile vitio[q] sit schema, 10
ut in hoc,

Virtus est vitium fugere:———

aut enim partes orationis mutat, ex illo, *Virtus est fuga vitiorum*; aut casus, ex illo, *Virtutis*[r] *est vitium fugere:* multo[s] tamen hoc[t] utroque excitatius. Junguntur interim schemata, *Sthenelus sciens pugnæ:* est enim, *scitus*[u]

[n] hic Jens. quem *ins.* G. Jens. [o] dignatus—dea *om. iid.* [p] mutatione partium ut *om. iid. et plur. ap. Bur. et videntur esse e conj. Regii.* [q] vitium G. [r] virtus est G. virtutem vit. Jens. [s] Multa, *puto, omnes.* [t] quoque *ins.* G. Kapp. [u] *Sic* Jens. *et plur.* species scitus G. sciens scitus *Voss.* 2.

rentibus: nec video, cur illam Quinctiliani et Scaligeri interpretationem, a Cerda etiam probatam confirmatamque, Vossianæ, ad Catull. p. 146 propositæ, præferam, qui vult *cui* dativo casu intelligi hoc sensu, Incipe puer risu tuo provocare risum matris: cui enim parentes non risere &c. Ænigmata locutus est, si hoc voluit Virgilius. Multo simplicius quid est, *risu cognoscere matrem.* Vid. La Cerda.

9. *in Satyra*] Pers. 1, 8. Comparat Burmannus Petron. 44, *Illud erat vivere.*

9. *Magnum dat*] Est Æn. 5, 248. Illi, *volo datum,* simile Terentianum Andr. 1, 1, 2, *dictum puta.* Illud, *Virtus est,* Hor. Epist. 1, 1, 41.

10. *multo tamen hoc utroque*] Horatianum illud, *Virtus est vitium fugere,* multo excitatius est et splendidius utroque s. utraque formula, tum illa, *Virtus est fuga vitiorum,* tum altera, *Virtutis est fugere vitium.* Hanc esse bonam sententiam, et dignam Fabio, nemo, spero, dubitabit. Si quis tamen audax nimis esse putet *a* in *o* mutatum sine librorum auctoritate, ille ocius per nos reponat receptam lectionem, *Multa tamen hoc utroque excitatius junguntur interim schemata.*

10. *Sthenelus sciens*] Ex Hor. Od. 1, 15, 24. Ut autem jungantur hic schemata, non potest dedisse Fabius *Est enim sciens Sthenelus*; sic enim in solo verbo *pugnandi* pro appellatione *pugnæ* posito schema fuerit. Sed *scitus pugnandi* scripsit videlicet. Quam bene, non disputo: at illud video, *scitum* vel *peritum, cautum,* poni satis frequenter active pro eo qui scit, ut Ovid. Fast. 5, 54, *Curvæ scita Thalia lyræ,* et Met. 9, 108, *Scitus vadorum.* Duplex igitur figura in hoc inest, quod *sciens participium* ponitur pro nomine *scitus,* quod *pugnæ* contra nomen pro participio *pugnandi* sumitur.

11 *Sthenelus pugnandi.* Transferuntur etiam tempora, *Timarchides negat esse ei periculum a securi.* Præsens enim pro præterito [x] positum est: et [z] futurum pro præsenti,

Hoc Ithacus velit:

et, ne morer, per omnia fit genera, per quæ fit *solœcismus.*
12 Hæc est quoque, quam [a] ἑτέρωσιν [b] vocant: cum [c] dissimilis est, *Zeugma* [d] dicitur: ut apud Sallustium, *Neque ea res falsum me habuit:* et, *Duci* [e] *probare.* Ex quibus fere præter novitatem brevitas etiam peti solet. Unde eousque processum est [f], ut *non pœniturum,* pro non acturo pœnitentiam: et *visuros,* ad videndum missos idem auctor
13 dixerit. Quæ ille quidem fecerit *schemata,* an idem vocari possint, videndum, quia recepta sint. Nam receptis etiam vulgo auctore contenti sumus. Ut [g] nunc evaluit,

[x] futuro *Basil. ap. Bur.* [z] Et Virgilius Hoc Jens. Et status Hoc G. *et* G. 2. Ut Virg. Hoc *Bass.* [a] et *ins.* Kapp. [b] ἑτεροίωσιν G. *Ald.* [c] cui Jens. cui similis est *Ald. et Bass.* [d] cum *ins.* G. *et Bass.* tum *ins.* Jens. *pro* Zeugma, amat enim Kapp. *et* G. 2. Zeuma Jens. [e] Ducit G. [f] *Sic* G. Jens. esse *al.* [g] Utrum natura evaluit ag. Jens. utinam velut rebus G. Kapp.

11. *et futurum pro præsenti*] In his verbis Æn. 2, 104, *Hoc Ithacus velit,* futurum pro præsenti positum, nemo, puto, videt: et dixit nuper Cl. Cannegieter ad Avian. fab. 14, p. 101, *nihil esse ineptius quam ita putare.* Adjungit, neque tamen has Quinctiliani ineptias; sed aliquid excidisse. Et est sane hoc præsertim caput misere habitum, credo, ea causa, quod tractatum de figuris passim prælegerent magistri, quæ frequentius describendi corrumpendique occasio. Tum multo difficilius retinentur verba scriptorum, quæ non una serie inter se connexa intelligentiam juvant mutuo, alterumque adeo ut in cratibus, ut in fornicibus, ut in acie bene instituta, ab altero servatur. Igitur corruptissimum hoc caput esse, magna cum molestia intelligo. Sed quid si hic non tam truncatum aliquid, quam insititium esse dicamus; nempe verba *futurum pro præsenti,* quæ abesse in bonis libris supra ostendimus. Si adsint, monet Werlhofius, post locum Virgilii demum ponenda: qua ratione *Hoc Ithacus velit* exemplum sit præsentis positi pro præterito imperfecto, *vellet.*

12. *Hæc est quoque*] Ἑτέρωσιν vulgo vocant, cum tempus pro tempore, numerus pro numero ponitur. Itaque hoc comma refero ad præcedentia. Sed quid sibi velint, quæ jam sequuntur, non intelligere me fateor. Werlhofius meus legit ex Basil. *Cui similis est Zeugma, cum dicitur, ut apud Sallustium,* Neque ea res &c. Locus Sallustii est Jug. 10. Sed nescio, ne de auctoritate librorum dicam, an Zeugma ita acceperit aliquis, ut significet unum verbum pluribus redditum, *falsum habuit* pro *fefellit:* neque video, qua in re *Zeugma* hoc *heterosi* vel *simile* dicatur vel *dissimile.* Breviter, nihil hic video, Bonam copiam ejuro. Quin ita mihi Suffenus sum in hac ignorantia, ut ipsum Fabium, si videat, non agniturum putem, quid sibi sui corruptores voluerint.

rebus agentibus, quod Pollio in Labieno damnat: et, *contumeliam fecit*, quod a Cicerone reprehendi notum eſt: *affici* enim *contumelia* dicebant. Alia commendatio ve- 14
tuſtatis, cujus amator unice Virgilius fuit,

Vel cum ſe pavidum contra mea jurgia jactat[h]:
Progeniem ſed enim Trojano a ſanguine duci
Audierat.———

Quorum ſimilia apud veteres tragicos comicoſque ſunt plurima. Illud etiam in conſuetudine remanſit, *Enimvero.*
His amplius apud eumdem: 15

Nam quis te juvenum confidentiſſime:———

cum[i] *quis* ſermonis initium ſit. [k] Et,

Tam magis illa tremens, et triſtibus effera flammis,
Quam[l] *magis effuſo crudeſcunt ſanguine pugnæ.*

Quod eſt verſum ex illo, *Quam magis ærumna urget*[m], *tam*

[h] jactet G. fingit *legitur ap. Virgil.* [i] quo ſerm. G. Jenſ. [k] *Hic inſeram illa* [Pleni-leno] [l] quo G. *vid. leg.* quo ſermonis initium ſit. [m] *Sic* G. Jenſ. *et al. in pr. Muret. V. L.* 19, 2. viget—urget *al.*

13. *rebus agentibus*] Etiam hic aqua mihi hæret. Somniabam aliquid de *agentibus in rebus:* ſed mox vidi, ad hanc eos ætatem non adſcendere.

13. *contumeliam fecit*] Locus eſt Phil. 3, 9. Scripſerat Antonius, *Nulla contumelia eſt, quam facit dignus:* interrogat Cicero, *quid eſt porro* Facere contumeliam? *quis ſic loquitur?* De hoc loco XVI virorum eruditorum ſententias collegit Gronovius Obſ. 3, 8. qui ipſe eo tandem evadit, non ſolœciſmum objici Antonio, ſed obſcuritatem. Mihi videbatur Quinctilianus quidem ita cepiſſe, ut ceperunt Camerarius, Muretus, Schottus, Scioppius, Salmaſius, nempe dictum ab Antonio *facere contumeliam* ut *facere damnum, jacturam, detrimentum, naufragium, ruinam, vitium,* h. e. pati.

14. *Vel cum ſe*] Æn. 11, 406. *Vel* hic ſine dubio ſignificat *etiam, adeo,* cum vi exaggerandi. Sed neque in hoc, neque in proximo *Progeniem,* ſumto ex Æn. 1, 19, *commendationem vetuſtatis* deprehendere facile eſt. Equidem in his, et aliquot, quæ ſequuntur, particularum uſum video non vulgarem, eoque vehementiam quandam orationi conciliari ſentio. Itaque ante verſum *Vel cum ſe pavidum* præcepti aliquid vel obſervationis, quod ad vetuſtum uſum *particularum* ſpeciatim pertineat, excidiſſe, certum habeo.

14. *Enimvero*] Quod verbum proprie excitantibus ſe vel alios ad affectum graviorem convenire, et ſic poni ab initiis, ubi proprie cauſſali particulæ locus non erat, inductione facile probari, ſi quis dubitaret, poſſet. Eadem eſt ratio τῆς *Nam* in verſu, quem ſtatim laudat e Georg. 4, 445: ubi Servius, *Hodie,* inquit, NAM *particula poſtponitur, antea præponebatur.* Et ſane ſæpe ita Terentius. In illo *Tam magis* ex Æn. 7, 787, itidem particula eſt, in qua a vulgari ratione diſceſſit Maro.

16 *magis ad malefaciendum viget.* [Pleni talibus antiqui: ſicut initio Eunuchi Terentius, *Quid igitur faciam?* inquit. *Alluſit tandem leno.*] Catullus in Epithalamio,

——— *Dum innupta* [n] *manet, dum chara ſuis eſt,*

17 cum prius *dum* ſignificet *quoad,* ſequens *uſque eo.* Ex Græco vero tranſlata vel Salluſtii plurima, quale eſt, *Vulgus amat fieri:* vel Horatii: nam id maxime probat hoc,

——— *Nec illi*
Sepoſiti ciceris, nec longæ invidit avenæ [o].

Et [p] Virgilii,

——— *Tyrrhenum navigat æquor.*

18 Et jam vulgatum actis quoque, *Saucius pectus.* Ex eadem parte figurarum [q] *additio* et *abjectio* eſt. Illaque [r] prior [s] videri poteſt ſupervacua, ſed non ſine gratia eſt:

[n] intacta *eſt ap. Catullum.* [o] harenæ Jenſ. heræmæ G. [p] vel G. [q] prior G. priore *inſ.* Jenſ. [r] Illa quæ G. [s] *om.* G. Jenſ.

16. *Pleni talibus*] Qualibus? Si exempla inſpicias, talibus ubi initia ſermonis particulas habent continuandæ orationi proprias. Hæc ergo quæ incluſimus trajecta puto, jungenda verbis, *Cum quis ſermonis initium ſit.* Deinde aptius etiam cohærebit proximum e Catullo exemplum, in quo *dum* repetitur &c.

16. *Alluſit tandem leno*] Undecunque ſumtum hoc ſit, illud *tandem* figuram hic facit, ab initio ſententiæ poſitum. Sed reſpiciunt nimirum talia, apud Comicos præſertim, non contextum orationis, ſed rerum ipſarum et cogitationum adeo ſeriem, in qua præceſſit, quod tali particula indicatur.

16. *Dum innupta*] Vulgo edideRant apud Catullum in Epithal. ſ. 62, 45, *Sic virgo dum intacta manet, tum cara ſuis eſt.* Sed eandem particulam repeti, docet hic Fabius, *dum,* ſignificatione duplici, ut et protaſi ſerviat, et apodoſi. Reſpondent huic puellarum carmini mox juvenes, *Sic virgo dum intacta manet, dum inculta ſeneſcit,* eadem plane conſtructione, ut fit in amœbæis. Tale etiam eſt illud Virg. Ecl. 8, 41. *Ut vidi, ut perii, ut me malus abſtulit error!*

17. *Vulgus amat fieri*] Vid. Ciaccon. et Cort. ad Sall. Jug. 38, 1. *Impetu atque aliis omnibus, quæ ira fieri amat:* ad quem locum a Quinctiliano hic reſpici putat Cortius, eumque e Græcis illuſtrat.

17. *Horatii*] Cujus plurimos omnium generum Græciſmos notant paſſim interpretes. Locum Fabio laudatum Sat. 2. 6, 83, non omiſit in Hellenolexia Vechnerus 1, 2, 24, 7 p. 332. ubi pulchre hanc conſtructionem cum Cæſaris illa voce comparat apud Plut. Caton. extr. p. 1456, Ὦ Κάτων, φθονῶ σοι τοῦ θανάτου· καὶ γὰρ ἐμοὶ σὺ τῆς σαυτοῦ σωτηρίας ἐφθόνησας.

17. *Tyrrhenum*] Ex Æn. 1, 67. Græciſmus eſt in ellipſi præpoſitionis.

18. *Et jam vulgatum actis*] Diviſi *etiam,* quod faciendum Burmannus viderat. De *actis diurnis,* quæ noſtris *Gazettis,* et *Novellis* ex aliqua parte reſpondent, copioſe Lipſ. Tac. Ann. 5. Exc. A.

Nam[t] *neque Parnaſi vobis juga, nam neque Pindi.*

Poteſt enim deeſſe alterum *nam*[u]. Et apud Horatium illud,

——— *Fabriciumque,*
Hunc, et intonſis[v] *Curium capillis.*

Et[x] detractiones, quæ in complexu ſermonis aut *vitium* habent, aut *figuram*. Figuram[y], ut, *Accede ad ignem hunc: jam caleſces plus ſatis: plus* enim *quam ſatis eſt.* [z]De altera, quæ *detractio*[a] *eſt*, pluribus dicendum[b] eſt. 19
Utimur vulgo et comparativis pro abſolutis, ut cum ſe quis *infirmiorem* eſſe dixerit[c]: duo inter ſe comparativa committimus, *Si te jam,*[d] *Catilina, comprehendi, ſi interfici juſſero, credo, erit verendum mihi, ne non hoc*[e] *potius omnes boni ſerius a me, quam quiſquam crudelius factum eſſe dicat.* Sunt illa non ſimilia ſolœciſmo quidem, ſed tamen[f] nu- 20
merum mutantia, quæ et tropis aſſignari ſolent, ut de uno pluraliter[g] dicamus,

Sed nos immenſum ſpatiis confecimus æquor:

et de pluribus ſingulariter,

Haud ſecus ac patriis acer Romanus in armis.

Specie diverſa, ſed genere eadem et hæc ſunt, 21

Neve tibi ad ſolem vergant vineta cadentem:
Nec[h] *mibi tum molles ſub dio*[i] *carpere ſomnos,*
Neu dorſo nemoris libeat jacuiſſe per herbas:

[t] Nam—juga *om.* G. Jenſ. *et paullo poſt inſ. poſt* alterum. [u] *om.* G. [v] incomtis *Horat.* [x] *Sic* G. Jenſ. *et plur. ap. Bur.* Eſt etiam adjectio—habet *al. vid. not.* [y] *om.* Jenſ. [z] Nam *inſ.* G. Jenſ. [a] detractioe quod legunt detractione Jenſ. *et al.* [b] adjiciendum G. Jenſ. *Fuit forte* o dicendum *h. e.* non dicendum. [c] dicit G. Jenſ. [d] *om. iid.* [e] *om. iid.* [f] numero tamen *iid.* [g] plura G. [h] Ne G. [i] divo G. Jenſ.

18. *Nam neque Parnaſi*] Virg. Ecl. 10, 11. *Fabriciumque* Hor. 1, 12, 40. Forte hoc vult, *Hunc* illud poſſe omitti.

18. *Et detractiones*] Cum exemplum, quod ſequitur ex Terentii Eun. 1, 2, 5, ad detractionem multo facilius referri poſſit; *plus ſatis* enim dictum eſt pro *plus quam ſatis eſt:* revocavi lectionem antiquam. Sed non ideo mutilum adhuc eſſe et lacerum crudeliter hunc locum, negaverim. Quid enim ſibi volunt iſta, *De altera, quæ detractio eſt, pluribus dicendum eſt?* et ſtatim tranſit ad *comparativa* pro abſolutis poſita. Sine dubio maleficium hic eſt, et immedicabile copiis quidem noſtris vulnus.

19. *Si te jam, Catilina*] Ex Cat. 1, 2. *Sed nos* Virg. Georg. 2, 541. *Haud ſecus* Georg. 3, 346. *Neve tibi* Georg. 2, 298. *Nec mibi* Georg. 3, 435. Illud *prius* Fabii pertinere ad locum Virgilii penultimum, *poſtea* vero ad ultimum, attendenti ſatis apparet.

non enim nescio, cui[k] alii prius, nec postea sibi uni, sed omnibus præcipit. Et de[l] nobis loquimur tamquam de
22 aliis, *Dicit Servius, Negat Tullius.* Et nostra persona utimur[m] pro aliena, et alios pro aliis fingimus. Utriusque rei exemplum pro Cæcina. Pisonem, adversæ partis advocatum, alloquens Cicero dicit, *Restituisse te dixti*[n], *Nego me*[o] *edicto prætoris restitutum esse:* verum enim[p] illud *restituisse* Æbutius dixit; Cæcina, *nego me*[q] *edicto prætoris restitutum esse.* Ubi[r] et ipsum *dixti*, extrita[s] syllaba, fi-
23 gura in verbo est. Illa quoque ex eodem genere possunt videri, quam[t] nos *interpositionem* vel *interclusionem* dicimus, Græci παρένθεσιν vocant, dum continuationi sermonis medius aliquis sensus intervenit, *Ego*[u] *cum te (mecum*
24 *enim sæpissime loquitur) patriæ reddidissem.* Cui adjiciunt *hyperbaton*, non[x] illud, quod inter tropos esse voluerunt: sed[z] alterum, quod est ejus[a] figuræ sententiarum, quæ ἀποστροφὴ dicitur, simile, cum[b] non sensus mutatur, verum forma eloquendi:

——— *Decios, Marios, magnosque Camillos,*
Scipiadas duros bello, et te, maxime Cæsar.

25 Acutius adhuc in Polydoro:

Fas omne abrumpit[c], *Polydorum obtruncat, et auro*
Vi potitur. Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?

[d] Qui tam parva momenta nominibus[e] discreverunt, μετάβασιν vocant, quam et aliter fieri putant:

Quid loquor[f]*? aut ubi sum?*

26 Conjunxit[g] autem παρένθεσιν et ἀποστροφὴν Virgilius in illo loco,

[k] an G. [l] omnibus *inf.* G. [m] *om.* G. [n] dixisti *est ap. Cic. male.* [o] ex *inf.* G. *et ita ap. Ciceronem.* [p] *om.* Jens. [q] ex *inf.* G. [r] *om.* G. Jens. [s] excussa *iid.* [t] unum quod int. *iid.* [u] enim *inf.* G. [x] non illud *om.* G. Jens. [z] *om. iid.* [a] ei G. [b] et non sensum mutat Jens. [c] abrupit G. [d] Ii *inf.* G. [e] nobis Jens. ex nōibus. [f] loquar Jens. [g] conj. autem *om.* G.

22. *pro Cæcina*] c. 29. Cæterum nemo, spero, reprehendet, nos levi trium vocum transpositione lucem huic loco reddidisse. Satis est ponere hic, quomodo editum fuerit, *Verum enim illud* restituisse *Æbutius dixit.* Nego me, Cæcina, edicto Prætoris restitutum esse. *Ubi et* &c. Ut nunc dedimus, aperte declarat Fabius, Advocatis tribui sive Patronis verba litigatorum.

23. *Ego cum te*] Pro Milon. c. 34. *Decios* Virg. Georg. 2, 169. *Fas omne* Æn. 3, 55. *Quid loquor* Æn. 4, 595. *Haud procul* Æn. 8, 642.

Haud[h] *procul inde citæ Metium in diversa quadrigæ*
Distulerant, (at tu dictis Albane maneres)
Raptabatque viri mendacis viscera Tullus.

Hæc *schemata*, et[i] his similia, quæ[l] erunt *per mutationem*, 27
adjectionem, detractionem, ordinem, et convertunt in se au-
ditorem, nec languere patiuntur subinde aliqua notabili
figura excitatum: et habent quamdam ex illa vitii simili-
tudine gratiam, ut in cibis interim acor ipse jucundus est.
Quod continget, si[m] neque supra modum multæ fuerint,
nec ejusdem generis aut junctæ aut frequentes: quia sa-
tietatem, ut varietas earum, ita raritas effugit. Illud est 28
acrius genus, quod non tantum in[n] ratione positum est
loquendi, sed ipsis sensibus cum gratiam, tum etiam vires
accommodat. E quibus primum sit, quod fit *per adjectio-
nem*: plura sunt genera: nam et verba geminantur, vel
amplificandi gratia: ut, *Occidi, occidi, non Sp. Melium*;
alterum est enim, quod indicat, alterum, quod affirmat:
vel miserandi, ut,

Ah Corydon, Corydon[o]:———

Quæ eadem figura nonnumquam per *ironiam* ad elevan- 29
dum convertitur. Similis geminationis[p] post aliquam[q]
interjectionem repetitio est, sed[r] paullo etiam vehemen-
tior, *Bona, miserum me! (consumtis enim lacrimis tamen in-
fixus animo hæret dolor) bona, inquam, Cn. Pompeii acer-
bissimæ voci subjecta præconis. Vivis, et vivis non ad depo-
nendam, sed ad confirmandam audaciam.* Et ab iisdem 30
verba plura acriter et[s] instanter incipiunt, *Nihilne te noc-
turnum præsidium palatii, nihil urbis vigiliæ, nihil timor po-
puli, nihil consensus bonorum omnium, nihil hic munitissimus*[t]
habendi senatus locus, nihil horum ora vultusque moverunt?
et iisdem desinunt, *Quis*[u] *eos postulavit? Appius: quis pro-* 31
duxit? Appius. Quamquam hoc exemplum ad aliud quo-
que schema pertinet, cujus initia inter se et fines iidem
sunt, *quis* et *quis*, *Appius* et *Appius*. Quale est, *Qui sunt,
qui fœdera sæpe ruperunt? Carthaginienses. Qui sunt, qui*

h At G. i aut G. Jens. l quærunt G. quærent Jens. m siveque Jens. n ratione inpositum *id.* o *om. id.* p sed *ins.* G. q quam Jens. r et G. s quam Jens. t inimicissimus *id.* u qui G.

28. *Occidi, occidi*] Pro Milon. c. 27. *Ah Corydon* Virg. Ecl. 2, 69. *Bona, miserum me* Cic. Phil. 2, 26. *Vivis, et vivis* Cat. 1, 2. *Nihilne* Cat. 1, 1. *Quis eos postulavit?* pro Milon. 22. *Qui sunt, qui fœdera* ad Her. 4, 14. *Vigilas tu* pro Muræn. c. 9.

crudele[x] *bellum in Italia gesserunt? Carthaginienses. Qui sunt, qui Italiam deformaverunt? Carthaginienses. Qui*
32 *sunt, qui sibi ignosci postulant? Carthaginienses.* Etiam in contrapositis vel comparativis solet respondere primorum[y] verborum alterna repetitio, quod[z] modo hujus esse loci potius dixi: *Vigilas tu de nocte, ut tuis consultoribus*[a] *respondeas; ille, ut eo, quo intendit, mature cum exercitu perveniat. Te gallorum; illum buccinarum cantus exsuscitat. Tu actionem instituis, ille aciem instruit. Tu caves, ne con-*
33 *sultores*[b] *tui; ille, ne urbes aut castra capiantur.* Sed hac gratia non fuit contentus orator, vertit in contrarium eamdem figuram: *Ille tenet et scit, ut hostium copiæ; tu, ut aquæ pluviæ arceantur. Ille exercitatus*[c] *est in propa-*
34 *gandis finibus, tu in regendis.* Possunt media quoque respondere vel primis, ut,

Te nemus Anguitiæ[d], *vitrea te Fucinus unda;*

vel ultimis, *Hæc navis onusta præda Siciliensi, cum ipsa quoque esset ex*[e] *præda.* Nec quisquam dubitabit[f], idem posse fieri iteratis utrimque mediis. Respondent primis et ultima, *Multi et graves dolores inventi parentibus, et*
35 *propinquis multi.* Est et illud repetendi genus, quod semel proposita iterat et dividit,

Iphitus et Pelias mecum, quorum Iphitus ævo
Jam gravior, Pelias et vulnere tardus Ulixi.

36 ἐπάνοδος dicitur Græce, nostri *regressionem* vocant. Nec solum in eodem sensu, sed etiam in diverso eadem verba contra sumuntur[g], *Principum dignitas erat pene par, non par fortasse eorum, qui sequebantur.* Interim[h] variatur[i] casibus hæc et generibus[l] iteratio[m], *Magnus est labor dicendi, magna res est*[n]*:* et apud Rutilium longiore περιόδῳ, et[o] hæc initia[p] sententiarum sunt, *Pater hic tuus? patrem hunc appellas? patris tu*[q] *hujus filius es?* Fit casibus modo
37 hoc schema, quod πολύπτωτον vocant. Constat et aliis

[x] bellum crudelissime gesserunt G. Jens. [y] primo Jens. [z] quod hujusmoi ee loci Jens. [a] cultoribus Jens. consultatoribus G. [b] consultatores G. Jens. [c] exercitatur *iid.* [d] Angitiæ *iid.* [e] etiam Jens. [f] *Sic* G. dubitavit *al.* [g] *om.* G. [h] Jam G. [i] variatis G. [l] fit *inf.* G. [m] retractatio Jens. [n] *om.* G. [o] sed *conj. Reg.* [p] vitia G. [q] tui filius est G. Jens.

34. *Te nemus*] Æn. 7, 759. *Hæc navis* Cic. Verr. 5, 17. *Multi et graves* Verr. 5, 45. *Iphitus* Æn. 2, 435. *Principum dignitas* pro Lig. c. 6. *Quod autem tempus* pro Cluent. c. 60.

etiam modis: ut pro Cluentio, *Quod autem tempus veneni dandi? illo*[r] *die? in illa frequentia? Per quem porro datum? unde ſumtum? quæ porro interceptio poculi? cur non de integro autem datum?*
Hanc rerum conjunctam diverſi- 38
tatem Cæcilius[s] μεταβολὴν vocat: qualis eſt pro Cluentio locus in Oppianicum, *Illum tabulas publicas violaſſe*[t], *Cenſorias corrupiſſe, decuriones univerſi judicarunt: cum illo jam*[u] *nemo rationem, nemo rem ullam contrahebat: nemo illum*[x] *ex tam multis cognatis et affinibus tutorem umquam*
liberis ſuis ſcripſit[z], et deinceps adhuc multa. Ut hæc in 39
unum congeruntur, ita contra illa diſperſa ſunt, quæ a Cicerone *diſſipata* dici puto,

Hic ſegetes, illic veniunt felicius uvæ,
Arborei fœtus alibi[a],

et deinceps. Illa[b] vero apud Ciceronem mira figurarum 40
mixtura deprehenditur, in qua et primo verbo longo[c] poſt intervallo redditum eſt ultimum, et media primis, et mediis ultima congruunt: *Veſtrum jam hic factum deprehenditur*[d], *Patres conſcripti, non meum: ac pulcherrimum quidem factum: verum, ut dixi, non meum, ſed veſtrum.*
Hanc frequentiorem repetitionem πλοκὴν vocant, quæ fit 41
ex permixtis figuris, ut ſupra dixi, utque ſe habet epiſtola ad Brutum, *Ego cum in gratiam redierim cum Appio Claudio, et redierim per Cn. Pompeium, te*[e] *ego ergo cum*[f] *redierim.*
Et in iiſdem ſententiis crebrioribus mutata declina- 42
tionibus iteratione verborum: ut apud Perſium,

——— *Uſque adeone*
Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter?

[r] unde illa *iid.* [s] Cælius G. [t] violari Jenſ. Larini *Cic. vid. not.* [u] *om.* G. Jenſ. [x] ullum Jenſ. [z] ſcripſiſſet G. [a] *om.* G. Jenſ. [b] Illa vero *om.* [c] et *inſ.* G. [d] *Vid. leg.* repreh. *et ſic Vidov.* [e] et Jenſ. [f] qd G. q Jenſ.

38. *Illum — violaſſe*] Sumamus hanc occaſionem diſcendi ingenia librariorum. Eſt apud Ciceronem pro Cluent. c. 14 *Illum tabulas publicas* Larini *cenſorias corrupiſſe.* Cum, qui deſcriberet iſta apud Fabium, quid ſibi vellet illud *Larini*, non comminiſceretur, et forte ultima ſyllaba non ſatis appareret, ſuſpicatus eſt, et poſuit *violari*, ut habet Jenſonii editio: illud porro in *violaſſe* mutavit Regius. Sed quod apud Ciceronem ita legi ait, neſcio quid ſit. Certe varietatis nullius mentionem faciunt editiones præſtantiſſimæ: et eſt penes me liber Ven. 1495, fol. editus, in quo ibidem ſic legitur. Neſcio igitur, utrum fides Regii an memoria vacillaverit.

39. *a Cicerone diſſipata*] de Orat. 3, 54. *vid. ſupra* 9, 1, 35. Locus Virgilii eſt Georg. 1, 54. Perſii autem 1, 27.

43 Et apud Ciceronem, *Neque enim poterat judicio ex his dam-
natis, qui judicabantur.* Sed ſenſus quoque toti, quem
ad modum cœperunt, deſinent: *Venit ex Aſia, hoc ipſum
quam*[g] *bonum? Trib. pleb. venit ex Aſia.* In eadem ta-
men periodo et verbum ultimum primo[h] refertur, ter-
tium jam[i] ſermone adjectum[k] eſt, *Verum tamen venit.*
Interim ſententia quidem repetitur, ſed[l] eodem verborum
ordine, *Quid Cleomenes facere potuit*[m]*? Non enim poſſum
quemquam inſimulare falſo. Quid, inquam*[n], *Cleomenes*
44 *magnopere facere potuit?* Prioris ſententiæ verbum ulti-
mum, ac ſequentis primum[o] frequenter eſt idem: quo
quidem ſchemate utuntur poetæ ſæpius,

Pierides, vos hæc facietis maxima Gallo,
Gallo[p], *cujus amor tantum mihi creſcit in horas.*

Sed[q] ne oratores quidem raro: *Hic tamen vivit: vivit?*
45 [r] *immo vero etiam in ſenatum venit.* Aliquando, ſicut in
geminatione verborum diximus, initia quoque et clauſulæ
ſententiarum aliis, ſed non alio tendentibus verbis, inter
ſe conſonant. Initia hoc modo, *Dederim periculis omnibus,
obtulerim inſidiis, objecerim invidiæ.* Rurſus clauſulæ:
ibidem ſtatim, *Vos enim ſtatuiſtis, vos ſententiam dixiſtis,
vos judicaſtis.* Hoc alii μετωνυμίαν[s], alii *disjunctionem* vo-
cant, utrumque (etiamſi eſt diverſum) recte. Nam eſt
nominum idem ſignificantium ſeparatio. Congregantur
quoque verba idem ſignificantia: *Quæ cum ita ſint, Cati-
lina, perge quo cœpiſti: egredere aliquando ex urbe: patent*
46 *portæ: proficiſcere.* Et[t] in eumdem alio libro, *Abiit, ex-
ceſſit, erupit, evaſit.* Hoc Cæcilio πλεονασμὸς videtur, id
eſt, abundans ſupra neceſſitatem oratio: ſicut illa, *Vidi
oculos*[u] *ante ipſe meos.* In illo enim *vidi* ineſt *ipſe.* Ve-
rum id, ut alio quoque loco dixi, cum ſupervacua onera-
tur adjectione, vitium dicitur[x]: cum autem auget mani-
feſtam ſententiam, ſicut hic, virtus. *Vidi, ipſe, ante ocu-*
47 *los,* quot[y] verba, totidem[z] ſunt affectus. Cur tamen
hæc proprie nomine tali notarit, non video. Nam et ge-

[g] tanquam G. [h] primum G. [i] etiam ſermoni *conj. Capper.* [k] ab-
jectum Jenſ. [l] ſed eodem *om.* G. Jenſ. [m] potuerit G. [n] enim G.
[o] *om.* G. Jenſ. [p] *om.* G. [q] Sic quæ or. G. [r] vivit? *inſ.* G.
[s] κοινωνονίαν G. [t] Eſt G. [u] oculis—meis Jenſ. [x] eſt G. Jenſ.
[y] quot verba *om. iid.* [z] tot fœtus G.

43. *Quid Cleomenes*] Cic. Verr. 5, 41. *Pierides* Virg. Ecl. 10, 72. *Hic tamen* Catil. 1, 1. *Quæ cum ita* Catil. 1, 5. *Abiit, exceſſit, evaſit, erupit* Cat. 2, 1. *Vidi oculos* Virg. Æn. 12, 638.

minatio, et repetitio, et qualiſcumque adjectio, πλεονασμὸς
videri poteſt. Nec verba modo, ſed ſenſus quoque idem
facientes, acervantur: *Perturbatio iſtum mentis, et quædam
ſcelerum offuſa*[a] *caligo, et ardentes furiarum faces*[b] *excita-
runt.* Congeruntur et diverſa: *Mulier, tyranni ſæva*[c] 48
crudelitas, patris amor, ira præceps, temeritas, dementia.
Et apud Ovidium,

Sed grave Nereïdum numen, ſed corniger Ammon,
Sed quæ viſceribus veniebat bellua ponti
Exſaturanda meis.——

Inveni[d], qui et hoc vocaret[e] πλοκὴν[f], cui[g] non aſſentio: 49
cum ſint unius figuræ mixta quoque, et idem, et diver-
ſum ſignificantia, quod et ipſum διαλλαγὴν vocant: *Quæro
ab inimicis, ſint*[h] *ne hæc inveſtigata, comperta,* [i]*patefacta, ſub-
lata*[l], *delata*[m], *exſtincta per me? Inveſtigata, comperta, pa-
tefacta,* aliud oſtendunt; *ſublata, delata*[m], *exſtincta* †, ſunt
inter ſe ſimilia, ſed non etiam prioribus. Et hoc autem ex- 50
emplum, et ſuperius, aliam quoque efficiunt figuram, quæ,
quia conjunctionibus caret, *diſſolutio* vocatur; apta, cum
quid inſtantius dicimus: nam et ſingula inculcantur, et
quaſi plura fiunt. Ideoque utimur hac figura non in[n] ſin-
gulis modo verbis, ſed ſententiis etiam: ut Cicero dicit
contra concionem Metelli, *Qui indicabantur, eos vocari,
cuſtodiri, ad ſenatum adduci juſſi*[o]; *in ſenatu ſunt poſiti:* et
totus hic locus[p]. Hoc genus βραχυλογίαν vocant, quæ po-
teſt eſſe *copulata diſſolutio.* Contrarium[q] eſt ſchema, quod
conjunctionibus abundat. Illud ἀσύνδετον, hoc πολυσύνδετον
dicitur. Hoc eſt vel iiſdem ſæpius repetitis, ut, 51

—— *Tectumque, laremque,*
Armaque, Amyclæumque canem, Creſſamque pharetram:

vel diverſis, 52

[a] effuſa G. Jenſ. [b] face Jenſ. [c] ſcæva *id.* [d] *om.* G. [e] *om.* G. [f] uſque deducet *inſ.* Jenſ. G. [g] cui—inimicis *om.* G. [h] per me inv. G. [i] id eſt *inſ.* G. [l] ſublata—patef. *om.* [m] delata Jenſ. *bis* G. † *Hic inſ.* G. *omiſſa ante h. m.* vocare. Cui non aſſentior, cum ſint unius figuræ mixta quoque et idem et diverſum ſignificantia, quod et ipſum dialogen vocant. Quæro ab inimicis, ſint ne hæc inveſtigata, comperta, id eſt patefacta, ſublata delata exſtincta. [n] *om.* G. Jenſ. [o] juſſit in ſe natum Jenſ. [p] talis *inſ.* Jenſ. [q] Ut eſt id ſche. G.

48. *apud Ovidium*] Met. 5, 17. Illa *Quæro ab inimicis* puto et ipſa eſſe ex oratione Ciceronis contra concionem Metelli trib. pl. qui acta ipſius in cauſa Catilinaria vexaverat, non minus quam quæ deinde laudantur ſ. 50.

51. *Tectumque*] Virg. Georg. 3, 344. *Arma virumque* Æn. pr. *Hic illum* Ecl. 1, 43.

Arma virumque,———
Multum ille et terris,———
Multa quoque et[r] *bello.———*

53 Adverbia quoque et pronomina variantur,

Hic illum vidi juvenem,———
Bis ſenos cui noſtra dies,———
Hic mihi reſponſum primus dedit ille petenti.

Sed utrumque horum *coacervatio.* Etenim[s] tantum juncta
54 aut diſſoluta. Omnibus ſcriptores ſua nomina dederunt,
ſed varia, et ut[t] cuique fingenti[u] placuit. Fons quidem
unus, quia acriora facit et inſtantiora, quæ dicimus, et
vim quamdam præ ſe ferentia, velut ſæpius erumpentis
affectus. *Gradatio,* quæ dicitur *κλίμαξ,* apertiorem habet
artem, et magis affectatam, ideoque eſſe rarior debet.
55 Eſt autem ipſa quoque adjectionis; repetit enim, quæ
dicta ſunt: et, priuſquam ad aliud deſcendat, in priori-
bus reſiſtit. Ejus exemplum ex Græco notiſſimo transfe-
ratur, *Nec*[x] *hæc dixi quidem, ſed nec ſcripſi: nec ſcripſi qui-
dem, ſed nec obii legationem: nec obii quidem, ſed nec per-*
56 *ſuaſi Thebanis.* Sunt[z] tamen erudita[a] et Latina: *Afri-
cano virtutem induſtria, virtus gloriam, gloria æmulos com-
paravit:* et Calvi, *Non ergo magis pecuniarum repetunda-
rum, quam majeſtatis, neque majeſtatis magis, quam Plautiæ
legis, neque Plautiæ legis magis, quam ambitus, neque am-*

[r] et bello *om.* G. Jenſ. [s] et G. Jenſ. [t] unicuique Jenſ. [u] fingere G. [x] Non enim dixi qu. ſed non obligationem ſed non perſuaſit hæc vanis G. Jenſ. *niſi quod* G. *pro* vanis *habet* navis. [z] ſint Jenſ. [a] tradita G.

55. *ex Græco notiſſimo*] Demoſt. pro Corona et Cteſiph. c. 55. Οὐκ εἶπον μὲν ταῦτα, ὐκ ἔγραψα δέ· ὐδὲ ἔγραψα μὲν, ὐκ ἐπρέσβευσα δέ· ὐδὲ ἐπρέσβευσα μὲν, οὐκ ἔπεισα δὲ Θηβαίυς· ἀλλ' ἀπὸ τῆς ἀρχῆς διὰ παντὸς ἄχρι τῆς τελευτῆς διεξῆλθον, καὶ ἔδωκ' ἐμαυτὸν ὑμῖν ἁπλῶς κ. τ. λ. Niſi igitur malus fuit interpres Fabius, ita dedit priora, vel non multo aliter, *Neque hæc dixi quidem, ſed non* ſcripſi; neque ſcripſi quidem, ſed non *obii legationem: nec obii quidem, ſed non perſuaſi Thebanis.* Aquila Romanus p. 21, Pithœi: *Et non dixi hæc quidem, non autem ſcripſi: nec ſcripſi quidem, non profectus ſum autem ad legationem: nec profectus quidem, non perſuaſi autem Thebanis.* Quæ ſenſu conveniunt, ſed a lectione MSS. Fabii nimis recedunt. Illa τῆς *nec* repetitio videtur negare omnia, cum tamen, ut ex ſerie propoſita apparet, confirmet Demoſthenes, a ſe facta eſſe omnia, intermiſſum nihil eſſe. Si illud *nec* poſt adverſativam *ſed* omnino eſt a Fabio, interpretandum erit per *non etiam:* et tamen umbrarum aliquid orationi offundet.

56. *Africano*] Jam uſus eſt eo exemplo Auctor ad Her. 4, 25.

bitus magis, quam omnium legum † judicia perierunt. Invenitur apud poetas quoque, ut [b] apud Homerum de [c] sceptro, quod a Jove ad Agamemnonem usque deducit: et apud nostrum etiam tragicum, 57

Jove propagatus est (ut perhibent [d]) Tantalus,
Ex Tantalo [e] Pelops, ex Pelope autem satus
Atreus, qui nostrum porro propagat genus.

At quæ *per detractionem* fiunt figuræ, brevitatis novitatisque maxime gratia petuntur: quarum una est ea, quam libro proximo in figuras [f] distuli, *synecdoche*, cum subtractum verbum aliquod satis ex ceteris intelligitur: ut Cœlius [g] in Antonium, *Stupere gaudio* [h] *Græcus.* Simul enim auditur, *cœpit.* Cicero ad Brutum, *Sermo nullus scilicet* [i], *nisi de te: quid enim potius? Tum Flavius,* Cras [l], *inquit* [m], tabellarius [n], *et ego ibidem has* [o] *inter cœnam exa-* 58

† omnia *inf. Aquila ap. Burm. qui probat.* [b] et G. [c] disceptorque Jens. [d] prohibent G. [e] ortus *inf.* G. Jens. [f] fig. συνεκδοχη distuli eum G. fig. ex synecdoche dist. cum Jens. [g] Cæcilius Jens. [h] gaudere G. [i] s. nisi te Jens. *illud* s. *nota* τῆς scilicet. [l] *Sic* G. eras Jens. oras *Almel.* erras *al.* [m] *Sic* G. Jens. *et MSS. pl. ap. Bur. om. al.* [n] tabellarie G. *rel.* [o] orans *omnes. vid. not.*

57. *apud Homerum*] Ἰλ. β'. 101. ubi Agamemnon

Ἔστη σκῆπτρον ἔχων· (τὸ μὲν Ἥφαιστος κάμε τεύχων·
Ἥφαιστος μὲν δῶκε Διῒ Κρονίωνι ἄνακτι·
Αὐτὰρ ἄρα Ζεὺς δῶκε διακτόρῳ Ἀργειφόιτῃ· κ. τ. λ.

Sic enim porro ad Pelopa, Atreum, Thyesten, Agamemnona denique pervenit.

57. *apud nostrum trag.*] Inter incerta adhuc referunt viri docti: nominatim Scriverius in fragm. Trag. p. 171.

58. *Cras, inquit, tabellarius*] Ut nunc legitur hic locus, elegans omnino exemplum est illius synecdoches, quæ verba quædam sententiæ necessaria, sed facile intelligenda, ex serie orationis reticet. Quis enim non facile ita suppleat, *Sermo nullus* habitus est a nobis *scilicet, nisi de te. Quid enim loqueremur potius? Tum Flavius, Cras, inquit, tabellarius* ibit ad Brutum: *et ego ibidem has* literas *inter cœnam exaravi.* Nimirum felix Burmanni conjectura cum iis, quas supra adduxi, auctoritatibus fulciatur; non dubitavi in contextum eam recipere, et ita lucem reddere loco alioquin obscurissimo. Ac reliqua quidem excusatione non indigent. Solum illud audax nimium videatur, *orans,* quod est in omnibus libris, mutatum in *has.* Et sane alio in loco illud non temere ferendum fuerit. Sed si cogitemus fontem corruptionis, nempe *exaravi* in *exoravi* mutatum facillimo lapsu; et peccatum in præcedenti *cras,* pro quo *oras,* quod habent libri aliqui, forte in margine scriptum huc irrepsit: æquum fuerit, dare hanc veniam sententiæ. Sed cui nimium sumsisse nobis videbimur, ille vel pro *orans cenans* legat, i. e. *cœnans,* vel reponat per nos ipsum *orans,* et interpretetur, ut voluerit. Ceterum de *Flaviis,* qui huc pertinere possint forte, erudite ad h. l. Burmannus,

59 *ravi* [p]. Cui similia sunt illa [q], meo quidem judicio, in quibus verba decenter pudoris gratia subtrahuntur,

> *Novimus et qui te, transversa tuentibus hircis,*
> *Et quo, sed faciles Nymphæ risere, sacello.*

60 Hanc [r] quidam *aposiopesin* putant, frustra. Nam, illa quid taceat, incertum est, aut certe longiore sermone explicandum: hic unum verbum, et manifestum quidem, desideratur: quæ si *aposiopesis* est, nihil, in quo deest aliquid,
61 non [s] idem appellabitur. Ne ego illud quidem *aposiopesin* semper voco, in quo res quæcumque relinquitur intelligenda, ut ea, quæ in epistolis Cicero, *Data Lupercalibus, quo die Antonius Cæsari* [t]*:* quia nihil hic aliud intelligi
62 poterat, quam hoc, *diadema imposuit.* Altera est *per detractionem* figura, de qua modo dictum est, cui conjunctiones eximuntur. Tertia, quæ dicitur συνεζευγμένον, in qua unum ad verbum plures sententiæ referuntur, quarum unaquæque desideraret illud, si sola poneretur. Id accidit aut præposito verbo, ad quod reliqua respiciant: *Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia:* aut illato, quo plura cluduntur [u]: *Neque enim is es, Catilina, ut te aut pudor umquam a turpitudine, aut metus a periculo,*
63 *aut ratio a furore revocaverit.* Medium quoque potest esse, quod et prioribus et sequentibus sufficiat. Jungit autem et diversos sexus; ut cum marem feminamque *filios*
64 dicimus: et singularia pluralibus miscet. Sed hæc [v] adeo sunt vulgaria, ut sibi artem figurarum asserere non possint.

[p] *Sic* G. *Alm. et Voss.* 2. exoravi *rel.* [q] *om.* Jens. [r] Hic Jens. [s] *om.* G. Jens. [t] nihil obticuit lusitque *ins.* Jens. *et plur. apud Burm. etiam Gibson.* non enim obticuit lusit G. [u] clauduntur Jens. ducuntur G. [v] *om.* G.

59. *Novimus et*] Virg. Ecl. 3, 8.

61. *Cicero*] Epistola non exstat. Sed rem ipsam graviter et cum summa indignatione exponit Phil. 2, 33. sq. Illud *imposuit* intelligendum, ut multa alia, de pleno conatu, per quem non stetit, quo minus res fieret. Sic Paradoxo 6, 2. *Utrum tandem pluris æstimemus pecuniam Pyrrhi, quam Fabricio dabat, an continentiam Fabricii, qui illam pecuniam repudiabat?*

62. συνεζευγμένον] Illud, quod vulgo *zeugma*, ζεῦγμα, *junctionem*, vocant Grammatici. Exemplum primum est Cic. pro Cluent. c. 6. quod iterum laudat mox s. 77. alterum Catil. 1, 9.

63. *marem feminamque filios*] Sic Paulus l. 84 de V. S. *Filii appellatione omnes liberos intelligimus.* De *fratrum appellatione* res nota itidem, præsertim ICtis: et erudite hic monuit quædam Burm.

Illud plane figura eſt, qua diverſa ſermonis forma conjungitur,

——— Sociis tunc, arma capeſſant[x],
Edico, et dira bellum cum gente gerendum.

Quamvis enim pars [*bellum*[y]] poſterior participio inſiſtat, utrique tamen convenit illud *edico:* nam[z] utrique detractionis gratia facta conjunctio. Συνοικείωσιν vocant, quæ duas res diverſas colligat: *Tam deeſt avaro*[a], *quod habet, quam quod non habet.* Huic diverſam volunt eſſe 65
diſtinctionem, cui dant nomen παραδιαστολὴν, qua ſimilia diſcernuntur[b]: *Cum te pro aſtuto ſapientem appelles, pro confidente fortem, pro illiberali diligentem:* quod totum[c] pendet ex finitione, ideoque, an figura ſit, dubito. Cui contraria eſt ea, quæ ex vicinia tranſit ad diverſa aut ſimilia,

——— Brevis eſſe laboro,
Obſcurus fio,

et quæ ſequuntur. Tertium eſt genus figurarum, quæ[d] 66
aut ſimilitudine aliqua vocum, aut paribus, aut contrariis vertunt[e] in ſe aures, et animos[f] excitant. Huic nomen eſt[g] παρωνομασία[h], quæ dicitur *agnominatio.* Ea non uno[i] modo fieri ſolet, ſed ex vicinia quadam prædicti nominis ducta, caſibus declinatur: ut[l] Domitius Afer pro Cloantilla[m], *Mulier rerum omnium imperita, in omnibus rebus*[n] *infelix.* Et cum verbo idem verbum plus ſignificanter 67
ſubjungitur, *Quando homo, hoſtis homo.* Quibus exemplis ſum in aliud uſus, ſed in uno facilis eſt geminatio. Παρ-

[x] capeſcant Jenſ. [y] *Gloſſam* partis poſterioris *putat Burm. recte!* [z] non G. Jenſ. [a] auro Jenſ. [b] diſcernunt G. Jenſ. [c] *om.* G. Jenſ. [d] quod *iid.* [e] convertunt G. [f] *om.* G. Jenſ. [g] *om.* G. [h] προσωνομασια G. [i] *om.* G. [l] et G. [m] Cloatilla G. Cloetilla Jenſ. [n] rerum felix Jenſ. [o] falſis G. faſſis Kapp. φάσις *invenit Regius.* facilius *Leid. ap. Burm.*

64. *Sociis tunc*] Æn. 3, 234. *Brevis eſſe* Horat. Art. Poet. 25.

66. *Tertium eſt genus*] Primum per *adjectionem*, alterum per *detractionem:* vid. ſ. 27.

67. *Quibus exemplis*] Locum mihi difficillimum ſic interpretatur Werlhofius meus. *Quibus* h. e. cujus generis *exemplis*, repetitæ nimirum vocis unius aut plurium, *in aliud* h. e. alio conſilio et fine *ſum uſus*, v. g. ſ. 28, 29. *Sed in uno*, ubi ſenſus unus idemque manet vocis geminatæ, *facilis* dicenti ad inveniendum, et auditori ad intelligendum, *eſt geminatio*; difficilior, ubi ſenſus mutatur. Ego hic Fabium, mea forte culpa, deſidero.

ωνομασία ei contrarium eſt, quod eodem verbo quaſi falſum augetur †, *Quæ lex privatis hominibus eſſe lex non vi-*
68 *debatur.* Cui confinis eſt [p] ἀντανάκλασις, ejuſdem verbi contraria ſignificatio. Cum Proculeius quereretur de filio, quod is mortem ſuam *exſpectaret*, et ille dixiſſet, *ſe vero non exſpectare*: *Immo*, inquit, *rogo exſpectes.* Non ex [q] eodem, ſed ex diverſo, vicinum accipitur, cum *ſupplicio* afficiendum dicas, quem [r] *ſupplicatione* dignum [s] ju-
69 dicaris. Aliter quoque voces aut eædem [t] diverſa in ſignificatione ponuntur, aut productione tantum vel correptione mutatæ: quod etiam in jocis frigidum, equidem tradi inter præcepta miror: eorumque exempla vitandi potius, quam imitandi gratia, pono. *Amari jucundum eſt,*
70 *ſi curetur, ne quid inſit amari. Avium dulcedo ad avium ducit*: et apud Ovidium ludentem,

Cur ego non dicam, Furia, te furiam?

71 Cornificius hanc *traductionem* vocat, videlicet alterius intellectus [x] ad alterum. Sed elegantius, quod eſt poſitum in diſtinguenda [z] rei proprietate: *Hanc reipublicæ* [a] *peſtem paulliſper reprimi, non in perpetuum comprimi poſſe.* Et

† negatur *marg. Vaſc. et al.* [p] quæ ἀντεπίδοσις G. [q] *om.* G. Jenſ. [r] quæ ſupplicia G. [s] dignum—aut *om.* G. [t] eadem G. Jenſ. aut *inſ.* G. [x] et *inſ.* G. Jenſ. [z] *Sic G. et MSS. plur. ap. Bur. et Obr.* diſtinguendam rerum proprietatem *al.* [a] publicæ *om.* Jenſ.

67. *Quæ lex privatis*] Ex orat. in Piſon. 13. Cave autem viro ſummo, quem libentiſſime alias audio, hic obtemperes, et *privatis* mutes in *priva his.* Perierit enim argumentum Tullii, qui ſic ratiocinatur. Ignavos homines et indignos non honore modo, ſed nomine conſulum eſſe cum collega ſuo Gabinio Piſonem: qui *cupere ſe* dicerent revocare Ciceronem; *ſed lege* Clodii *impediri*; qua tamen lege, falſo ſic dicta, nemo privatus teneri ſe putaret, adeo manifeſtis illius vitiis; nedum ut conſules in tanto omnium bonorum conſenſu tribuere illi quidquam deberent.

68. ἀντανάκλασις] Commodum quidem huic rei verbum, quod reflexum quaſi ſonum et Echo notet: ſed neque damnem Gethanum illud ἀντεπίδοσις, quod incrementi ſignificationem habet. Proculeius primum queritur de filio, quod is mortem ſuam *exſpectet*, cupide nimirum, et optet: negat hoc filius: hic cum *incremento* quodam occurrit ei, et ſibi adeo, *immo rogo*, inquit, *exſpectes*, neque fatum meum præcipites. *Anaclaſin* vocat, qui eodem hoc exemplo Proculeii utitur, Rutilius p. 2, Pith.

69. *Amari jucundum*] Utitur hoc exemplo etiam auctor ad Her. 4, 14. ubi tamen *feſtivitatem quandam ineſſe huic* quoque *generi exornationis ait*: illud etiam alterum *Avium dulcedo* habet 4, 21. Verba *Hanc reip.* ſunt Cic. Cat. 1, 12. Denique *Ex oratore arator* eſt Phil. 3, 9.

quae praepofitionibus [b] in contrarium mutantur, *Non emiffus ex urbe, fed immiffus* [c] *in urbem effe videatur.* Melius
atque acrius, quod cum figura jucundum eft, tum etiam
fenfu valet, *Emit morte immortalitatem.* Illa levior [d] eft, 72
Non Pifonum, fed Piftorum; et, *Ex oratore* [e] *arator.* Peffimum vero, *Ne patres confcripti videantur circumfcripti*;
Raro evenit, fed vehementer venit. Sic contingit, ut aliquis fenfus vehemens et acer venuftatem aliquam, non
eodem [f] ex verbo non diffonam, accipiat. Et cur me 73
prohibeat pudor uti domeftico exemplo? Pater meus
contra eum, qui fe legationi immoriturum dixerat, deinde vix paucis diebus infumtis re infecta redierat: *Non
exigo, ut immoriaris legationi, immorare.* Nam et valet
fenfus ipfe, et in verbis tantum diftantibus jucunde confonat vox, praefertim non captata, fed velut oblata [g]: cum
altero [h] fuo fit ufus, alterum ab adverfario acceperit. 74
Magnae veteribus curae fuit, gratiam dicendi e [i] paribus
contrariis acquirere. Gorgias in hoc immodicus [l], copiofus utique [m] prima aetate Ifocrates fuit. Delectatus eft
his etiam M. Tullius, verum et modum adhibuit non ingratae (nifi copia redundet) voluptati, et rem, alioqui levem, fententiarum pondere implevit. Nam per fe frigida
et inanis affectatio [n], cum in acres [o] incidit fenfus, innata 75
videtur effe [p], non arceffita. *Similium* fere quadruplex
ratio eft. Nam eft [q] primum, quoties verbum verbo fimile [r], aut non diffimile valde quaeritur: ut,

——— [s] *Puppefque tuae, pubefque tuorum.*

et, *Sic* [t] *in hac calamitofa fama, quafi* [u] *in aliqua perniciofiffima flamma*: et, *Non enim tam fpes laudanda, quam res
eft.* Aut certe par eft extremis fyllabis confonans, *Non* 76
verbis, fed armis. Et hoc quoque, quoties in fententias
acres incidit, pulchrum eft: *Quantum poffis, in eo femper
experire* [x], *ut profis.* Hoc eft *πάρισον*, ut plerifque placuit.

[b] propofitionibus G. [c] miffus in urbe Jenf. [d] leviora, Non G. [e] aratore orator Jenf. [f] eandem eo verbo—accipiet G. Jenf. [g] oblita G. [h] aliter Jenf. [i] a G. [l] immodicus G. [m] *om.* G. [n] affectio Jenf. [o] aeris *id.* [p] habere *id.* [q] et G. [r] *om.* G. Jenf. [s] Tu *inf.* Jenf. [t] Sic G. Jenf. Cic. Si *al.* [u] quae Jenf. [x] experiri G. Jenf.

75. *Puppefque tuae*] Virg. Æn. 1, 399. *Sic in hac* Cic. pro Cluent. 1. extr. *Non modo ad falutem* pro Milon. 2. *Vicit pudorem* pro Cluent. c. 6. ufus etiam eft fupra f. 62. *Abiit, exceffit* Catil. 2, 1.

76. *πάρισον*] Paullo aliter accipit Aquila Rom. p. 18, Pithoei, nempe *prope exaequatum*, in quo differt ab ἰσοκώλῳ, quod plane *exaequatum*

77 Cleoſteleus[z] *πάρισον* exiſtimat, quod fit[a] e membris non
diſſimilibus. Secundum[b], ut clauſula ſimiliter cadat, vel
iiſdem in ultimam partem collatis, *ὁμοιοτέλευτον*[c], ſimilem[d]
duarum ſententiarum vel plurium finem: *Non modo ad
ſalutem ejus exſtinguendam, ſed etiam gloriam per tales viros
infringendam.* Ex quibus fere ſunt[e], non tamen ut ſem-
per ultimis conſonent, quæ *τρίκωλα* dicunt: *Vicit*[f] *pudo-
rem libido, timorem audacia, rationem amentia.* Sed in qua-
ternas quoque ac plures hæc ratio ire ſententias poteſt.
Fit etiam ſingulis verbis: *Hecuba, hoc*[g] *dolet, piget, pu-*
78 *det*: et, *Abiit, exceſſit, erupit, evaſit.* Tertium eſt, quod[h]
in eoſdem caſus cadit, *ὁμοιόπτωτον* dicitur. Sed neque,
quod finem habet ſimilem, eſt[i] *ὁμοιόπτωτον*: utique in
eumdem finem venit *ὁμοιοτέλευτον*[k]. Eſt enim *ὁμοιόπτωτον*
tantum caſus ſimilis, etiamſi diſſimilia ſint, quæ decli-
nentur: nec tantum in fine deprehenditur, ſed reſpon-
dent vel prima[l] inter ſe, vel mediis, vel extremis: vel
etiam permutatis his, ut media primis, et ſumma mediis
accommodentur, et quocumque modo accommodari po-
79 terunt. Nec enim ſemper paribus ſyllabis conſtat: ut eſt
apud Afrum, *Amiſſo nuper infelicis aulæ, ſi non præſidio
inter pericula, tamen*[m] *ſolatio vitæ*[n] *inter adverſa.* Ea[o]
vero videntur optima, in quibus initia ſententiarum et
fines conſentiunt: ut hic, *præſidio, ſolatio.* Et[p] ut pene ſi-
milia ſint verbis, et paribus[q] cadant, et eodem deſinant
80 modo. Etiam ut ſint (quod eſt quartum) membris æqua-
libus, quod *ἰσόκωλον* dicitur: *Si, quantum in agro lociſque
deſertis audacia poteſt, tantum in foro atque judiciis impu-
dentia valeret*: *ἰσόκωλον* eſt, et *ὁμοιόπτωτον* habet[r]. *Non
minus nunc in*[s] *cauſſa cederet Aulus Cæcina Sexti Æbutii*[t]
impudentiæ, quam tum in vi facienda ceſſit audaciæ: *ἰσό-
κωλον, ὁμοιόπτωτον*[u], *ὁμοιοτέλευτον.* Accedit[x] et ex illa ſi-

[z] Cleoſcoleus G. Cleoſtolchus *mar. Baſ.* Cleoſtelæus Colin. Cleo Stelæus *Obr.* [a] ſic G. ſit Jenſ. [b] Sed nudum G. [c] *ὁμοιοτέλεϛον* G. [d] ſimile Jenſ. [e] fiunt G. [f] vincit G. Jenſ. [g] hæc Jenſ. [h] non *inſ.* Jenſ. [i] eſt *ὁμ.* *om.* G. Jenſ. [k] *ὁμ.* eſt en. *om.* G. [l] primis Jenſ. [m] ſed Jenſ. [n] *om. id.* [o] Enim fere Jenſ. Ejus fere G. [p] prdio. Similia G. prædio. Sim. Jenſ. [q] paria G. [r] *om.* G. [s] ea *inſ.* G. [t] Æbuti G. Jenſ. [u] *ὀνομάπτωτον, ὁμοιοτέλεϛον* G. [x] Accidit Jenſ.

membris. Nempe in hoc *membrorum verba paria ſunt numero: hic uno vel altero addito* &c.

80. *Si, quantum in agro*] Principium ornatiſſimum orationis pro Cæcina. *Dominetur* pro Cluentio c. 2 dictum de invidia. *Odit populus* pro Muræn. 36. *Quod in tempore* pro Cluent. 29. *Eſt enim hæc* pro Milon. 4.

gura gratia [z], qua nomina dixi mutatis caſibus repeti,
Non minus cederet, quam ceſſit. Adhuc ὁμοιοτέλευτον et
παρωνομασία [a] eſt [b], *Neminem poſſe alteri dare matrimonium,*
niſi quem penes ſit patrimonium. *Contrapoſitum* autem, vel, 81
ut quidam vocant, *contentio* (ἀντίθετον dicitur) non uno fit
modo. Nam et fit, ſi ſingula ſingulis opponuntur: ut in
eo, quod modo dixi, *Vicit pudorem libido, timorem auda-*
cia: et bina binis: *Non noſtri ingenii, veſtri auxilii eſt:* et
ſententiæ ſententiis: *Dominetur in concionibus, jaceat in*
judiciis. Cui commodiſſime ſubjungitur et ea ſpecies, 82
quam *diſtinctionem* diximus: *Odit populus Romanus priva-*
tam luxuriam, publicam magnificentiam diligit: et, quæ
ſunt ſimili caſu, diſſimili ſententia in ultimo locata: ut,
Quod in tempore mali fuit, nihil obſit, quin, quod in cauſſa
boni fuit, proſit. Nec ſemper contrapoſitum ſubjungitur, 83
ut in hoc, *Eſt enim* [c] *hæc, judices, non ſcripta, ſed nata lex:*
verum, ſicut Cicero dicit, [quod] [d] de [e] ſingulis rebus pro-
poſitis [f] refertur ad ſingula: ut in eo, quod ſequitur,
Quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura
ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus. Nec ſemper, quod 84
adverſum eſt, contraponitur: quale eſt apud Rutilium,
Nobis primum [g] *dii immortales* [h] *fruges dederunt: nos, quæ* [i]

[z] Græca Jenſ. [a] ὁμοιοτέλεστον G. [b] *om.* G. [c] igitur jud. Jenſ. [d] *om. Alm. Baſ. Obr.* [e] *om.* G. [f] ductum *inſ. ap. Cic.* [g] Primis Jenſ. [h] nobis *inſ. id.* [i] quod G. Jenſ.

83. *verum*—[*quod*] *de ſingulis*] Locus Ciceronis eſt de Orat. 3, 54, jam ſupra laudatus 9, 1, 35. *Et quod de ſingulis rebus propoſitis ductum refertur ad ſingula.* Sed credibile eſt tum *quod* tum *ductum* omiſſa a Fabio, ut ſuis præceptis verba Tullii accommodaret. Si tamen retinenda ſit ἡ *quod,* facile intelligas omiſſum *eſt etiam.* Non puto elegantius hujus figuræ exemplum exſtare illo Verr. 4, 50; quod licet longiuſculum adſcribam recreandi lectoris cauſa. *Tenuerunt illum locum* (de Enna Siciliæ loquitur) *ſervi, fugitivi, barbari, hoſtes. Sed neque tam ſervi illi dominorum, quam tu libidinum: neque tam fugitivi illi a dominis, quam tu a jure et a legibus: neque tam barbari lingua et natione illi, quam tu natura et moribus: neque illi tam hoſtes hominibus, quam tu Diis immortalibus. Quæ deprecatio eſt igitur ei reliqua, qui indignitate ſervos, temeritate fugitivos, ſcelere barbaros, crudelitate hoſtes vicerit?*

84. *apud Rutilium*] Lupum rhetora, tanquam antitheti exemplum ex oratione Demetrii Phalerei, qui etiam ſubjicit p. 11, Pith. *Itaque et ampliſſimus nobis honos ab omnibus habetur: et propter honoris hujus dignitatem ſuperbiæ noſtræ nemo veſtigium experitur.* De Athenienſibus ſermonem hic eſſe repertiſque apud eos frugibus, apparet. Cic. pro Flacco 26, *Adſunt Athenienſes, unde humanitas, doctrina, religio, fruges, jura, leges, ortæ, atque in omnes terras diſtributæ putantur.*

ſoli accepimus, in omnes terras diſtribuimus; *nobis*[l] *majores noſtri Rempubl. reliquerunt: nos etiam ſocios noſtros de ſer-*
85 *vitute eripuimus.* Fit etiam aſſumta illa figura, qua verba declinata repetuntur, quod ἀντιμεταβολὴ[m] dicitur: *Non, ut edam, vivo*; *ſed, ut vivam, edo.* Et quod apud Ciceronem converſum ita eſt, ut[n], cum mutationem caſus habeat, etiam ſimiliter deſinat: *Ut et*[o] *ſine invidia culpa*
86 *plectatur, et ſine culpa invidia ponatur*[p]. Quod[q] et eodem clauditur[r] verbo: ut quod dicit de[s] Roſcio, *Etenim, cum artifex ejuſmodi ſit, ut ſolus dignus videatur eſſe, qui ſcenam*[t] *introeat: tum vir ejuſmodi ſit, ut ſolus videatur dignus, qui eo non accedat.* Eſt et in nominibus ex diverſo collocatis[u] ſua gratia: *Si Conſul Antonius, Brutus hoſtis*;
87 *ſi conſervator reipublicæ Brutus, hoſtis Antonius.* Olim plura de figuris, quam neceſſe erat: et adhuc erit, qui putet[x] eſſe figuram, *Incredibile eſt, quod dico, ſed verum,* (ἀνθυποφορὰν vocant;) et, *Aliquis hoc ſemel tulit, ego*[z] *bis, ego ter.* Διέξοδον[a], ἄφοδον, *Longius evectus ſum; ſed redeo ad*
88 *propoſitum.* Quædam verborum figuræ paullum figuris ſententiarum declinantur, ut *dubitatio.* Nam cum eſt in re, priori parti aſſignanda eſt; cum in verbo, ſequenti: *Sive me malitiam, ſive ſtultitiam dicere oportet.* Item cor-

[l] Nobis—eripuimus *om. iid.* [m] antimetaphora G. [n] et Jenſ. [o] *om. id.* [p] puniatur Jenſ. [q] *om.* G. Jenſ. [r] concluditur G. exclud. Jenſ. [s] Sextio *inſ.* Jenſ. [t] ſcenam—dignus *om.* G. [u] collatis G. [x] putant G. [z] nego G. Jenſ. [a] διέξ. ἄφ. *poſt* propoſitum *ponit* G. *recte puto.*

85. *Non, ut edam, vivo*] Socratis vox Muſonio teſte apud Stobæum Serm. 18 de incontinentia p. m. 167. it. Macrob. Sat. 2, 8. Commendat eam etiam Pædagogus Clementis Alexandrini 2, 1, pr. ubi feſtinavit Reverendiſſimus editor, cum emendari voluit in verbis Muſonii, quæ ita habent, Διὸ καὶ προσήκει ἐσθίειν ἡμῖν ἵνα ζῶμεν, ὐχ ἵνα ἡδώμεθα, εἴγε μέλλομεν συςοιχεῖν ἀρίςῳ ὄντι τῷ λόγῳ Σωκράτυς, ὃς ἔφη τὺς μὲν πολλὺς ἀνθρώπυς ζῆν, ἵνα ἐσθίωσι, αὐτὸς (recte ita, quia in eadem perſona ſubſiſtitur; non αὐτὸν, ut jubet vir ſummus) δὲ ἐσθίειν, ἵνα ζῇ. Cæterum elegans hujus ἀντιμεταβολῆς exemplum habet noſter 10, 7, 21. *Qui ſtultis videri eruditi volunt, ſtulti eruditis videntur.*

85. *Ut et ſine—ponatur*] *Puniatur* blandiebatur, credo, correctori cuidam, quod ad *plectatur* caderet melius. Sed *ponatur* eſt apud Ciceronem, et *puniatur* reſpuit ſententia. Illud *de Roſcio* eſt pro Quint. 25. *Si Conſul Antonius* Phil. 4, 3, extr.

87. *Incredibile eſt*] Ex memoria forte citavit Verr. 4, 26. *Incredibilem rem dicam, ſed tam claram, ut ipſum negaturum non arbitrer.*

87. *Aliquis hoc ſemel*] Hujus figuræ, quam hoc exemplo ſignat, nomen deeſſe puto, *incrementum* forte dici potuit. Illud quidem maneat, διέξοδον, ἄφοδον, eſſe nomina reditus a digreſſione.

rectionis eadem ratio eſt. Nam quod illic dubitat, hic emendat. Etiam in perſonæ fictione accidere quidam 89
idem putaverunt, ut in verbis etiam eſſet hæc figura: *Crudelitatis eſt mater avaritia:* et apud Salluſtium in Ciceronem, *O Romule Arpinas:* quale eſt et apud Menandrum, *Œdipus*[b] *Othryaſius*[c]. Hæc omnia copioſius ſunt exſecuti, qui non ut partem operis tranſcurrerunt, ſed proprie libros huic operi dedicaverunt, ſicut Cæcilius, Dionyſius, Rutilius, Cornificius, Viſellius, aliique non pauci: ſed non minor erit eorum, qui vivunt, gloria. Ut 90
fateor autem, verborum figuras poſſe plures reperiri a quibuſdam, ita iis, quæ ab auctoribus claris traduntur, meliores, non aſſentior. Nam in primis M. Tullius multas in tertio de oratore libro poſuit, quas in oratore, poſtea ſcripto, tranſeundo videtur ipſe damnaſſe: quarum pars eſt, quæ ſententiarum potius, quam verborum ſit, ut *imminutio, improviſa*[d] *imago, ſibi ipſi reſponſio, digreſſio, permiſſio, contrarium:* hoc enim puto, quod dicitur ἐναντιότης, *ſumta ex adverſo probatio.* Quædam omnino non ſunt 91
figuræ, ſicut *ordo, dinumeratio, circumſcriptio:* ſive hoc nomine ſignificatur comprehenſa[e] breviter ſententia, ſive finitio. Nam et hæc[f] Cornificius atque Rutilius[g] ſchemata λέξεως putant. Verborum autem *concinna tranſgreſſio,* id eſt, *hyperbaton,* quod Cæcilius quoque putat *ſchema,* a nobis eſt[h] interpoſita. Et *mutatio,* quæ[i] ſi ea 92
eſt, quam Rutilius ἀλλοίωσιν[k] vocat, diſſimilitudinem oſtendit hominum, rerum, factorumque: [l] ſi latius fiat, figura non eſt; ſi anguſtius, in ἀντίθετον cadet: ſi vero hæc appellatio ſignificat ὑπαλλαγὴν, ſatis de ea dictum eſt. Quod vero[m] ſchema eſt, *ad propoſitum ſubjecta ratio?* 93
Utrum, quod Rutilius αἰτιολογίαν[n] vocat? [o] nam de illo dubitari poſſit, an *ſchema* ſit diſtributis ſubjecta ratio. Quod apud eumdem primo loco poſitum eſt, προσαπόδοσις[p] 94
dicitur[q], quæ ut maxime ſervetur, ſane eſt[r] in pluribus

[b] *om.* G. [c] Chriaſius G. [d] improviſum, imago *vid. leg. ex Cic. de Or.* 3, 54. *vid. ſupra* 9, 1, 35. [e] compreſſa Jenſ. [f] hoc G. Jenſ. [g] hæc *inſ.* Jenſ. [h] eſſe G. [i] et G. Jenſ. [k] ἀνομοίωσιν G. [l] quæ *inſ.* Jenſ. [m] *Sic* G. Jenſ. vere *al.* [n] ἀπολ. G. [o] utrum *inſ.* G. Jenſ. [p] προσάπαρσιν προσαπόδοσιν G. [q] dicit G. Jenſ. [r] *om. iid.*

89. *apud Salluſtium in Cicer.*] Legitur nunc ſ. 15 declamationis, quæ eo nomine circumfertur. Vid. quæ diximus ad 4, 1, 68.

93. *Rutilius*] Qui p. 12, Pith. *Hoc ſchema*, inquit, *efficitur ratione brevi et ſententioſa, ita ut, quod dubium eſt viſum, ad certam fidem adduci videatur.*

propoſitis: quia aut ſingulis[s] ſtatim ratio ſubjicitur, ut
eſt apud C. Antonium, *Sed neque accuſatorem eum metuo,*
qui ſum innocens: neque competitorem vereor, qui ſum Anto-
95 *nius: neque conſulem ſpero, qui eſt Cicero:* aut poſitis duo-
bus vel tribus, eodem ordine ſingulis continuo[t] reddi-
tur[u]: quale apud Brutum de[x] dictatura Cn. Pompeii,
Præſtat enim nemini imperare, quam alicui ſervire: ſine illo
enim vivere honeſte licet, cum hoc vivendi nulla conditio eſt.
96 Sed uni rei multiplex ratio ſubjungitur[z]: ut apud Vir-
gilium,

Sive inde occultas vires, et pabula terræ
Pinguia concipiunt, ſive illis omne per ignem
Excoquitur vitium[a]———
Seu plures calor ille vias,———
Seu durat magis,———

97 et totus locus. *Relationem* quid accipi velit, non mihi li-
quet. Nam ſi ὑπαλλαγὴν[b] aut ἐπάνοδον, aut ἀντιμεταβολὴν[c]
dicit, de omnibus locuti ſumus. Sed quidquid id eſt,
neque[d] hoc, neque ſuperiora in oratore repetit. Sola eſt
in eo libro poſita[e] pariter inter figuras verborum *excla-*
matio, quam ſententiæ potius puto: affectus enim eſt; et
ceteris omnibus conſentio. Adjicit his Cæcilius περίφρασιν,
98 de qua dixi. Cornificius *interrogationem, ratiocinationem,*
ſubjectionem, tranſlationem, occultationem: præterea *ſenten-*
tiam, membrum, articulum, interpretationem, concluſionem:
quorum priora alterius generis ſunt ſchemata, ſequentia
99 ſchemata omnino non ſunt. Item Rutilius præter ea,
quæ apud alios quoque ſunt *ſchemata*, παρομολογίαν, ἀν-
αγκαῖον, ἠθοποιΐαν, δικαιολογίαν, πρόληψιν, χαρακτηρισμὸν, βρα-
χυλογίαν, παρασιώπησιν, παῤῥησίαν, de quibus idem dico.
Nam eos quidem auctores, qui nullum prope finem fece-
runt exquirendis nominibus, præteribo: qui etiam, quæ
100 ſunt argumentorum, figuris adſcripſerunt. Ego illud de
iis etiam, quæ vere ſunt, adjiciam breviter, ſicut ornant

s ſingula Jenſ. t continua G. Jenſ. u reddatur G. reddantur Jenſ. x de dict. *om.* Jenſ. z ſubjicitur *id.* a et totus locus *inſ.* G. Jenſ. *et mox om.* b ἀνάτασιν G. c μεταβολὴν G. d ne hæc ſup. Jenſ. e ponitur et inter G. Par eſt inter G. Jenſ.

96. *apud Virg.*] Georg. 1, 86. ſq.

97. *Relationem quid accipi velit*] De Cicerone loquitur et loco de Orat. 3, 54, ſupra laudato 9, 1, 35.

99. *Item Rutilius*] Habentur horum ſchematum nomina et definitiones atque exempla p. 6 ſqq. Pith.

orationem[f] opportune poſitæ, ita ineptiſſimas eſſe, cum
immodice petuntur[g]. Sunt, qui neglecto rerum pondere,
et viribus ſententiarum, ſi vel inania verba in hos modos
depravarint[h], ſummos ſe judicent artifices, ideoque non
deſinunt eas nectere: quas[i] ſine ſententia ſectari tam eſt
ridiculum, quam quærere habitum geſtumque ſine cor-
pore. Sed ne hæ quidem, quæ recte fiunt, denſandæ ſunt 101
nimis: nam et[l] vultus mutatio, oculorumque conjectus,
multum in actu valet: ſed ſi quis ducere os exquiſitis
modis, et frontis ac luminum inconſtantia trepidare non
deſinat, rideatur. Et oratio[m] habeat[n] rectam quamdam
VELUT faciem: quæ ut ſtupere immobili rigore non de-
bebit, ita ſæpius in ea, quam natura dedit, ſpecie conti-
nenda eſt. Sciendum vero in primis, quid quiſque in 102
orando poſtulet *locus*, quid *perſona*, quid *tempus*. Major
enim pars harum figurarum poſita eſt in delectatione.
Ubi vero atrocitate, invidia, miſeratione pugnandum eſt,
quis ferat contrapoſitis, et pariter cadentibus, et conſimi-
libus iraſcentem, flentem, rogantem? cum in[o] his rebus
cura verborum deroget affectibus fidem: et, UBIcumque
ars oſtentatur, veritas[p] abeſſe videatur.

IV. De † *compoſitione* non equidem poſt Marcum Tul-
lium ſcribere auderem, (cui neſcio an ulla pars operis hu-
jus ſit magis elaborata) niſi et ejuſdem ætatis homines,
ſcriptis ad ipſum etiam[q] literis, reprehendere id[r] collo-
candi genus auſi fuiſſent, et poſt eum plures multa ad
eamdem rem pertinentia memoriæ tradidiſſent. Itaque 2
accedam[s] in pleriſque Ciceroni, atque in iis ero, quæ in-
dubitata ſunt, brevior: in quibuſdam paullum fortaſſe
diſſentiam. Nam etiam cum judicium meum oſtendero,
ſuum tamen legentibus relinquam. Neque ignoro quoſ- 3
dam eſſe, qui curam omnem *compoſitionis* excludant, atque

[f] orationes Jenſ. [g] petantur Jenſ. [h] depravarunt G. [i] quaſi nec ſubſtantia Jenſ. ſubſtantia *etiam* G. [l] *om.* G. Jenſ. [m] orator *iid.* [n] habet G. [o] tamen G. jam Jenſ. [p] varietas Jenſ. *male.* † *Hoc caput cum Gothano libro contulerat Liebius* ὁ μακαρίτης *in Act. Erud. Lipſ.* 1721. *p.* 71, *ſq. cujus judicium interdum laudamus.* [q] *om.* Jenſ. [r] vel Jenſ. [s] accedant *id.*

IV, 1. *ejuſdem ætatis homines*] Brutum ſignat, de quo ad Att. 14, 20, Tullius, *Cum—ſcripſiſſem ad eum de optimo genere dicendi, non modo mihi, ſed etiam tibi ſcripſit, ſibi illud, quod mihi placeret, non probari.* Indicat idem ad Att. 15, 1. *Quo in genere Brutus noſter eſſe vult, et quod judicium habet de optimo genere dicendi, id ita conſecutus eſt in ea oratione, ut elegantius eſſe nihil poſſit. Sed ego ſolus alius ſum; ſive hoc recte, ſive non* recte.

illum horridum ſermonem, ut forte effluxerit, modo magis *naturalem*, modo etiam magis *virilem* eſſe contendant. Qui ſi [t] id demum *naturale* eſſe dicunt, quod a natura primum ortum eſt, et quale ante cultum fuit, tota hæc [u]
4 ars orandi ſubvertetur. Neque enim loquuti ſunt [x] ad hanc regulam et diligentiam primi homines, nec procemiis *præparare, docere* expoſitione [z], argumentis *probare*, affectibus *commovere* ſcierunt. Ergo his omnibus, non ſola compoſitione caruerunt: quorum ſi fieri nihil melius licebat, NE domibus [a] quidem caſas, aut veſtibus [b] pellium tegmina, aut urbibus montes ac ſilvas mutari oportuit.
5 Quæ porro ars ſtatim fuit? quid non cultu niteſcit [c]? cur vites coercemus manu? cur eas fodimus? rubos arvis excidimus? terra et hæc generat: manſuefacimus animalia? indomita naſcuntur. Verum id eſt maxime natu-
6 rale, quod fieri natura optime patitur. Fortius vero quî [d] incompoſitum poteſt eſſe, quam junctum, et bene collocatum? Neque ſi parvi pedes vim detrahant [e] rebus, ut *Sotadeorum* et *Galliamborum* [f], et quorumdam in oratione ſimili pene licentia laſcivientium, compoſitionis eſt judi-
7 candum. Ceterum QUANTO vehementior fluminum curſus eſt prono alveo, ac nullas moras objiciente, quam inter obſtantia ſaxa fractis aquis ac reluctantibus; tanto, quæ [g] connexa eſt, et totis viribus fluit [h], fragoſa atque interrupta melior oratio. Cur ergo vires ipſas ſpecie ſolvi putent, quando nec ulla res ſine arte ſatis valeat, et co-
8 mitetur ſemper artem decor? AN non eam, quæ emiſſa optime eſt, haſtam ſpecioſiſſime contortam ferri videmus? et arcu dirigentium tela, quo certior manus, hoc eſt [i] habitus ipſe formoſior? Jam [k] in certamine armorum, atque

[t] *om.* G. [u] his G. hic Jenſ. [x] ſumus G. [z] exponere Jenſ. [a] hominibus G. [b] veſtes G. [c] *Sic etiam* G. miteſceret Jenſ. [d] quid G. [e] detrahunt G. *a manu ſecunda: recte, puto.* [f] Callimachorum G. [g] *Sic etiam* G. tantaque—vir. fuerit Jenſ. [h] furit *Baſ. marg. quid ſi* ruit? [i] et G. [k] Ita G.

6. *Sotadeorum*] Exempla habes 9, 4, 90. Add. quæ diximus ad 1, 8, 6. itemque illud Demetrii περὶ ἑρμηνείας ſ. 193. Σύνθεσις ἀναπαιστικὴ, καὶ μάλιστα ἐοικυῖα τοῖς κεκλασμένοις καὶ ἀσέμνοις μέτροις, οἷα μάλιστα τὰ Σωτάδεια κ. τ. λ. De Galliambico Terentianus p. 2447.

Nomenque Galliambis memoratur hinc datum,
Tremulos (ſ. tremulis) quod eſſe Gallis habiles putant modos.

6. *compoſitionis eſt judicandum*] Non eſt judicandum compoſitionis hoc opus eſſe, vel vitium adeo, ſi quorundam in oratione parvi pedes vim rebus detrahunt &c.

7. *comitetur artem decor*] Vid. ad 8. pr. 19.

in omni palæſtra, quid ſatis recte cavetur ac petitur, cui non artifex motus, et certi quidam pedes adſint? Quare 9
mihi [l] compoſitione VELUT amentis quibuſdam nervisve intendi et concitari ſententiæ videntur. Ideo eruditiſſimo cuique perſuaſum eſt, valere eam [m] quamplurimum, non ad delectationem modo, ſed ad motum quoque animorum. Primum, quia nihil intrare poteſt in affectum [n], 10
quod in aure, VELUT quodam veſtibulo, ſtatim offendit. Deinde, quod natura ducimur ad modos. Neque enim aliter eveniret, ut illi quoque organorum ſoni, quamquam verba non exprimunt, in alios tamen atque alios motus ducerent auditorem. In certaminibus ſacris non eadem 11
ratione concitant animos ac remittunt: nec eoſdem [o] modos adhibent, cum bellicum eſt canendum, et cum poſito genu ſupplicandum: nec idem ſignorum concentus [p] eſt procedente ad prælium exercitu, idem receptui carmen. Pythagoreis certe moris fuit, et, cum evigilaſſent, animos 12
ad lyram excitare, quo eſſent ad agendum erectiores: et, cum ſomnum peterent, ad eamdem prius lenire mentes, ut, ſi quid fuiſſet turbidiorum cogitationum, componerent. Quod ſi numeris et modis ineſt quædam tacita [q] 13
vis, in oratione eſt [r] vehementiſſima: quantumque intereſt, ſenſus idem quibus verbis efferatur [s], tantum, verba eadem qua compoſitione vel in exitu jungantur, vel fine claudantur. Nam quædam et ſententiis parva, et elocutione modica, virtus hæc ſola commendat. Denique 14
quod cuique viſum erit vehementer, dulciter, ſpecioſe dictum, ſolvat et [t] turbet: abierit omnis vis, jucunditas, decor. Solvit quædam ſua in oratore Cicero, *Nam neque me divitiæ movent, quibus omnes Africanos et Lælios multi*

[l] in *inſ.* G. [m] *om.* G. [n] affectus G. [o] eod. modo adhibentur G. [p] contentus Jenſ. [q] tanta G. [r] eo G. Jenſ. [s] afferatur Jenſ. [t] *om.* G.

12. *Pythagoreis*] Locus claſſicus Jamblichi de vita Pyth. c. 25.

14. *in oratore Cicero*] Cap. 70. e quo loco hunc Fabii interpolaſſe aliquis videtur. Apparebit, ſi locum ponamus: *Quantum autem ſit apte dicere, experiri licet, ſi compoſiti oratoris bene ſtructam collocationem diſſolvas permutatione verborum: corrumpatur enim tota res, ut et hæc noſtra in Corneliana, et deinceps omnia.* Neque me divitiæ movent, quibus omnes Africanos et Lælios multi venalicii mercatoreſque ſuperarunt. *Immuta paullum, ut ſit,* multi ſuperarunt mercatores venaliciique: *perierit tota res.* Igitur certe illa, quæ a Jenſonio omitti oſtendimus, non fruſtra puto abeſſe. Quod *de Graccho* ſubjicit, eſt eodem loco Ciceronis, et ſententiam noſtram confirmat.

venalitii mercatoresque[u] *superarunt*. Immuta[x] paullulum, ut sit, *Multi superarunt mercatores, venalitiique*, et sequentes[z] deinceps periodos: quas si ad illum modum perturbes, velut fracta aut transversa tela projeceris.
15 Idem corrigit, quæ[a] a Graccho[b] composita durius putat. Illum decet: nos hac simus[c] probatione contenti, quod in scribendo quæ se nobis solutiora obtulerint, componimus[d]. Quid enim attinet eorum exempla quærere, quæ sibi quisque experiri potest? illud notasse satis habeo, quo pulchriora et sensu et elocutione dissolveris, hoc orationem magis deformem fore: quia negligentia collocationis[e]
16 ipsa verborum luce deprehenditur. Itaque ut confiteor pene ultimam oratoribus artem *compositionis*, quæ[f] perfecta sit, contigisse: ita illis priscis habitam inter curas, in quantum adhuc profecerant[g], puto. Neque[h] mihi, quamlibet magnus auctor, Cicero persuaserit, Lysiam, Herodotum, Thucydidem, parum studiosos ejus fuisse.
17 Genus fortasse sint secuti non idem, quod Demosthenes, aut Plato; quamquam et ii[i] ipsi inter se dissimiles fuerunt[l]. Nam neque illud in Lysia dicendi textum tenue

[u] venaliaque *inf.* Jens. [x] Immuta—ven. et *om.* Jens. [z] insequentes G. Jens. [a] quod Jens. [b] Græco G. [c] sumus G. [d] componemus Jens. [e] collationis *id.* [f] quam G. *cum nota parvæ lacunæ, quia tamen non capit supplementum Burm.* artem compos. qua demum eloquentia perfecta sit. [g] profecerunt G. [h] enim *inf.* G. Jens. [i] *om.* Jens. [l] fuerint G.

15. *Illum decet*] Orator, qualis erat Cicero, arrogantiæ accusari non debet, si quid in Graccho corrigat.

16. *in quantum adhuc profecerant*] Quantum in reliquis paullatim profecerunt, tantum hac etiam in re progressi sunt: non mirum, parum eos fuisse compositos, qui in cæteris etiam partibus non multum profecerant.

16. *Cicero persuaserit*] Qui v. g. Orat. 44, ipsum Thucydidem negat vitasse concursum vocalium et hiulcum atque asperum, quod inde oriatur, ne Platonem quidem: sed fugisse ait Demosthenem. Et c. 52. *Qui Isocratem maxime mirantur, hoc in ejus summis laudibus ferunt, quod verbis solutis numeros primus adjunxerit* &c. Sed hanc sententiam non undique probat; verum *inveniendi principem* facit Thrasymachum, eumque cum Gorgia numeris jam ante aliquanto usos, observat. Add. Brut. c. 17. ubi Lysiam et Hyperidem *composuisse* et *coagmentasse* verba negat. Si rem bene consideres, nulla fere inter Fabium et Ciceronem pugna fuerit. Neque enim, puto, negavit Cicero, numerosam esse alioquin Thucydidis orationem, quod ostendit Dion. Halic. de constr. c. 18. Sed hoc ait Orat. 65. *Si quæ veteres illi (Herodotum dico, et Thucydidem, totamque eam ætatem) apte numeroseque dixerunt; ea non numero quæsito, sed verborum collocatione ceciderunt*. Τὸ μετροειδὲς fugisse Thucydidem ait Demetrius περὶ ἑρμην. s. 184. qui tamen numerosæ orationis exempla a Thucydide repetit s. 39, et alias.

atque rarum lætioribus numeris corrumpendum erat. Perdidiſſet enim gratiam, quæ in eo[m] maxima eſt, ſimplicis atque inaffectati[n] coloris: perdidiſſet fidem quoque. Nam[o] ſcribebat aliis, non ipſe dicebat; ut oportuerit eſſe illa rudibus et incompoſitis ſimilia: quod ipſum[p] *compoſitio* eſt. Et[q] hiſtoriæ (quæ currere debet ac ferri) minus 18
conveniſſent interſiſtentes[r] clauſulæ, et debita actionibus reſpiratio, et cludendi inchoandique ſententias ratio. In concionibus quidem etiam ſimiliter cadentia quædam, et contrapoſita deprehendas. In Herodoto vero cum omnia 19
(ut ego quidem ſentio) leniter fluunt, tum ipſa διάλεκτος habet eam[s] jucunditatem, ut latentes etiam[t] numeros complexa videatur. Sed de propoſitorum diverſitate poſt paullum. Nunc, quæ prius iis, qui recte componere volent, diſcenda[u] ſint. Eſt igitur ante omnia *oratio* alia *vincta*[x], atque *contexta: ſoluta* alia, qualis in ſermone et epiſtolis: niſi cum aliquid ſupra naturam ſuam tractant, ut *de philoſophia, de republica,* ſimilibuſque[z]. Quod non 20
eo dico, quia non illud quoque ſolutum habeat ſuos quoſdam, et forſitan difficiliores etiam pedes: neque enim aut hiare ſemper vocalibus, aut deſtitui temporibus volunt ſermo et epiſtola: ſed non fluunt, nec cohærent, nec verba de[a] verbis trahunt; ut potius laxiora in his vincula, quam nulla ſint. Nonnumquam in cauſſis quoque mino- 21
ribus decet eadem ſimplicitas, quæ non nullis[b], ſed aliis utitur numeris, diſſimulatque eos, et tantum communit occultius. At illa connexa ſeries tres habet formas: 22
Inciſa, quæ κόμματα dicuntur: *Membra*, quæ κῶλα: et περίοδον, quæ eſt vel *ambitus*, vel *circumductum*, vel *continuatio*, vel *concluſio*. In omni porro compoſitione tria ſunt[c] neceſſaria, *ordo, junctura, numerus*. Primum igitur *de ordine*. Ejus obſervatio in verbis eſt ſingulis, et contextis. 23

[m] etiam *inſ.* G. [n] inaffecti Jenſ. [o] ipſe *inſ. id.* [p] ipſam compoſitionem. Et G. [q] *om.* Jenſ. [r] inſiſtentes G. Jenſ. *quod probat Lieb.* [s] etiam *iid.* [t] in *iid.* [u] dicenda ſunt Jenſ. *Poſterius recte, arbitror.* [x] juncta Jenſ. *in* G. *non poteſt diſcerni*, juncta *an* vincta *ſit?* [z] ſimilibus Jenſ. [a] *om.* G. [b] *Sic V. C. Almel. et erat ita legendum contra omnes libros.* [c] genera *inſ.* Jenſ. *pro* neceſſaria *ponit* G.

20. *deſtitui temporibus*] Intellige, brevibus longiſque inter ſe alternantibus.

21. *communit occultius*] Metaphoram ineſſe huic verbo arbitror ductam a viis, quæ etiam occulte poſſunt *muniri*, ſi fundamentis e ſolido lapide profundius jactis arena vel glarea injiciatur, quæ cum temere videatur jacere vel ibi nata eſſe, curſum facilem et inoffenſum præſtat vehiculis.

Singula ſunt, quæ diximus [d] *ἀσύνδετα*. In his cavendum eſt [e], ne decreſcat oratio, et fortiori ſubjungatur aliquid infirmius, ut *ſacrilego fur*, aut [f] *latroni petulans*. Augeri enim debent ſententiæ, et inſurgere: ut optime Cicero, *Tu*, inquit, *iſtis* [g] *faucibus, iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius corporis firmitate*. Aliud enim majus alio ſupervenit. At ſi cœpiſſet a toto corpore, non bene ad latera fauceſ-
24 que deſcenderet. Eſt et alius naturalis ordo, ut *viros ac feminas, diem ac noctem, ortum et occaſum* dicas potius, quam retrorſum. Quædam ordine permutato fiunt ſupervacua, ut *fratres gemini*: nam ſi præceſſerint [h] *gemini, fratres* addere non eſt neceſſe. Illa [i] nimia quorumdam fuit obſervatio, ut *vocabula verbis, verba* rurſus *adverbiis,*
25 *nomina appoſitis* [l] et *pronominibus* rurſus eſſent priora. Nam fit contra quoque frequenter non indecore. Necnon et illud nimiæ eſt [m] ſuperſtitionis, ut quæque ſint [n] tempore, ea facere etiam ordine priora: non quin [o] frequenter ſit hoc melius, ſed quia interdum plus valent ante geſta,
26 ideoque levioribus ſuperponenda ſunt. *Verbo ſenſum cludere*, multo, ſi compoſitio patiatur, optimum eſt. In verbis enim ſermonis vis ineſt. At [p] ſi id aſperum erit, cedat hæc [q] ratio numeris, ut fit [r] apud ſummos Græcos Latinoſque oratores frequentiſſime. Sine dubio enim omne, quod non cludet, *hyperbaton* eſt: ipſum hoc inter tropos
27 vel figuras, quæ ſunt virtutis [s], receptum eſt. Non enim ad pedes verba dimenſa ſunt: ideoque ex loco transferuntur in locum, ut jungantur, quo congruunt maxime: SICUT in ſtructura ſaxorum rudium etiam [t] ipſa enormitas invenit, cui applicari, et in quo poſſit inſiſtere. Feliciſſimus tamen ſermo eſt, cui et rectus ordo, et apta junctura, et cum his numerus opportune cadens contin-
28 git [u]. Quædam vero tranſgreſſiones et longæ [x] ſunt ni-

[d] *ἀσύνδετα* dicimus G. *recte, puto.* [e] *om.* G. [f] ut G. [g] iſtis faucibus *om.* Jenſ. [h] præceſſerit G. *recte, judice Liebio quoque.* præceſſerunt Jenſ. [i] quoque *inſ.* Jenſ. [l] appoſita pronom. eſſe G. [m] *om.* G. [n] ſit ordine G. [o] *Sic* G. quia Jenſ. [p] Et Jenſ. *om.* G. [q] *om.* G. [r] ſit Jenſ. [s] virtutes G. [t] et Jenſ. [u] contigit *id.* [x] longe ſunt minus G.

24. *diem ac noctem*] Videas tamen interdum, quaſi habito ad Ebræam traditionem reſpectu, noctem præpoſuiſſe. V. g. Cic. de Orat. 1, 61. *Remotiſque ceteris ſtudiis—in hoc uno opere—noctes et dies urgeatur.* De poetis taceo, quos carminis lex hic cogit.

24. *fratres gemini*] Nimiam eſſe hanc quoque obſervationem, et ſubtilius iſta quam verius diſputari, exemplis oſtendit Burmannus.

mis, ut in ſuperioribus diximus libris, et interim etiam
compoſitione vitioſæ, quæ in hoc ipſum petuntur, ut ex-
ſultent atque laſciviant: quales illæ Mæcenatis, *Sole et
aurora rubent plurima. Inter ſacra movit aqua fraxinos.
Ne exſequias quidem unus inter miſerrimos viderem meas.*
Quod inter hæc peſſimum eſt, quia in re triſti ludit com-
poſitio. Sæpe tamen eſt vehemens aliquis ſenſus in ver- 29
bo: quod ſi in media parte ſententiæ latet, tranſiri in-
tentione, et obſcurari circumjacentibus ſolet; in clauſula
poſitum aſſignatur auditori, et infigitur: quale eſt illud
Ciceronis, *Ut tibi neceſſe eſſet in conſpectu populi Romani
vomere poſtridie* [z]. Transfer hoc ultimum, minus valebit. 30
Nam totius ductus hic eſt quaſi mucro, ut per ſe fœdæ [a]
vomendi neceſſitati, jam nihil ultra exſpectantibus, hanc
quoque adjiceret deformitatem, ut cibus teneri non poſſet
poſtridie. Solebat Afer Domitius trajicere in clauſulas 31
verba tantum aſperandæ compoſitionis gratia, et maxime
in procemiis: ut pro Cloantilla, *Gratias agam continuo.*
Et pro Lælia, *Eis utriſque apud te judicem periclitatur Læ-
lia.* Adeo refugit teneram delicatamque modulandi vo-
luptatem, ut currentibus [b] per ſe numeris, quo [c] eos inhi-
beret, [d] objiceret. Amphiboliam [e] quoque fieri vitioſa 32
locatione verborum, nemo eſt, qui neſciat. Hæc arbitror,
ut in brevi, de ordine fuiſſe dicenda: qui ſi vitioſus eſt,
licet et juncta [f] ſit, et apte cadens oratio, tamen merito
incompoſita [g] dicatur. Junctura ſequitur. Ea [h] eſt in
verbis, inciſis, membris, periodis. Omnia namque iſta et
virtutes et vitia in complexu habent. Atque ut ordinem 33
ſequar, primum quæ [i] imperitis quoque ad reprehenſionem
notabilia videntur, id eſt, quæ [l], commiſſis inter ſe verbis
duobus, ex ultima [m] prioris, ac prima ſequentis ſyllaba,
deforme aliquod nomen efficiunt. Tum vocalium con-
curſus: qui cum accidit, hiat, et interſiſtit, et quaſi labo-

[z] *om.* G. Jenſ. [a] fœda vom. neceſſitas *iid. quod probat Liebius; non ego.* [b] occurrentibus Jenſ. [c] qui G. *pulchre, caſu ſexto.* [d] et *inſ.* G. [e] amphibologiam Jenſ. [f] vinciat (vincat Jenſ.) ac ſit (ſit Jenſ.) aperte G. Jenſ. [g] compoſita G. [h] *om.* G. Jenſ. *et Voſſ.* 2. *probatque Liebius.* [i] ſunt *inſ.* Jenſ. *vid. not.* [l] qua G. [m] ſine *inſ.* Jenſ.

29. *illud Ciceronis*] Phil. 2, 25. Cæterum quem *ductum* hic vocat, *tractum* dixit 4, 2, 118: Franci hodie ita *tractum* appellant, *trait.* Paullo aliter ponit 4, 2, 53, *ductum quendam rei credibilis,* ubi Galli uterentur ſuo *tour.*

33. *primum quæ imperitis*] Verbum *ſunt,* quod expunxit hic Regius, tranſponendum erat hoc modo, *Primum ſunt, quæ imperitis* &c. Ita nihil hic ſuſpenſum aut hiulcum, aut aliunde ſupplendum erit.

rat oratio. Peſſime longæ, quæ eaſdem inter ſe literas
34 committunt, ſonabunt. Præcipuus tamen erit hiatus earum, quæ cavo aut patulo maxime[n] ore efferuntur. *E*, plenior[o] litera eſt, *I*, anguſtior: ideoque obſcurius in his vitium. Minus peccabit, qui longis breves ſubjiciet, et adhuc, qui præponet longæ brevem. Minima[p] eſt in duabus brevibus offenſio. Atque cum aliæ[q] ſubjunguntur aliis, perinde[r] aſperiores erunt, prout oris hiatu ſimili
35 aut diverſo pronuntiabuntur. Non tamen id, ut crimen ingens, expaveſcendum eſt, ac[s] neſcio[t] negligentia in hoc, an ſolicitudo ſit pejor. Inhibeat enim neceſſe eſt hic metus impetum dicendi, et a potioribus avertat. Quare ut negligentiæ pars eſt hoc pati, ita humilitatis ubique perhorreſcere, nimioſque non immerito in hac cura putant omnes Iſocratem ſecutos, præcipue[u] Theopompum. At Demoſthenes et Cicero modice reſpexerunt ad[x] hanc par-
36 tem. Nam et coeuntes literæ, quæ συναλοιφὴ dicitur[z], etiam leniorem[a] faciunt orationem, quam ſi omnia[b] verba ſuo fine cludantur; et nonnumquam hiulca etiam decent, faciuntque ampliora quædam: ut, *Pulchra oratione acta omnino*[c] *jactare:* tum[d] longæ per ſe, et velut opimæ[e] ſyllabæ aliquid etiam medii[f] temporis inter vocales, quaſi
37 interſiſtatur[g], aſſumunt. Qua de re utar Ciceronis potiſſimum verbis, *Habet*, inquit, *ille tamquam hiatus et concurſus vocalium molle quiddam, et quod indicet non ingratam negligentiam de re hominis magis, quam de verbis, laborantis.* Ceterum conſonantes quoque, eæque[h] præcipue, quæ ſunt aſperiores, in commiſſura verborum rixantur, et *S*

[n] maximo *id.* [o] planior G. Jenſ. *et plur. ap. Bur. quod probo; vid. not.* [p] Nimia Jenſ. [q] alia *id.* [r] proinde *id.* [s] at G. [t] an Jenſ. [u] præcipueque *id.* [x] in G. Jenſ. [z] dicuntur et *iid.* [a] leviorem Jenſ. [b] *om. id.* [c] oratio G. [d] tuum Jenſ. [e] optimæ G. Jenſ. [f] mediis temporibus *iid.* [g] inſiſtatur G. [h] *om.* Jenſ. earum G.

34. *cavo aut patulo ore*] *Cavo* O et V, *patulo* A. Quod deinde E *plenior* litera vocatur, vereor ne ſecurius Regii conjecturam ſecuti ſint viri eruditi. Mihi retinenda videtur antiqua lectio, *E planior eſt litera*, h. e. facilius media apertura oris exiens, nec pandendo illi ut A, neque contrahendo ut O vel V vim quaſi adferens. *Lenior*, quod Rollino placuit, non damnarem, ſi libri tam *plenior* haberent, quam habent *planior*. *Plenior* vel ideo non placet, quod E cum A comparata *plenior* dici, ſi aures habeo, non poteſt.

36. *ſuo fine cludantur*] Si vox in vocalem exiens excipiatur ab alia, quæ et ipſa a vocali incipiat; prior illa interdum non ſuo fine clauditur, ſed coit et coaleſcit cum ſequente: hæc enim eſt συναλοιφὴ, quæ vox a pigmentis inter ſe commixtis et coeuntibus tracta, ad hanc diſciplinam commode tranſlata eſt.

37. *Ciceronis*] Orat. c. 23.

ultima[i] cum *X* proxima, quarum triſtior etiam, ſi binæ
collidantur, ſtridor eſt: ut[k], *Ars*[l] *ſtudiorum*. Quæ fuit 38
cauſſa et Servio (ut dixi) ſubtrahendæ *S* literæ, quoties
ultima eſſet, aliaque[m] conſonante ſuſciperetur: quod re-
prehendit Lauranius[n], Meſſala defendit. Nam neque
Lucilium putant uti eadem ultima, cum dicit, *Serenu'*[o]
fuit, et, *dignu'*[p] *loco*[q]. Quinetiam[r] Cicero in Oratore 39
plures antiquorum tradit ſic locutos. Inde *belligerare*,
po'[s] *meridiem*: et illa[t] Cenſorii[u] Catonis, *Die'*[x] *hanc*, æ-
que *M* litera in *E* mollita: quæ in veteribus libris re-
perta mutare imperiti ſolent: et, dum librariorum in-
ſectari volunt inſcitiam, ſuam confitentur. Atqui eadem 40
illa litera, quoties ultima eſt, et vocalem verbi ſequentis
ita contingit, ut in eam tranſire poſſit, etiam ſi ſcribitur,
tamen parum exprimitur: ut, *Multum ille*, et, *Quantum
erat*, adeo ut pene cujuſdam novæ literæ ſonum reddat.
Neque enim eximitur, ſed obſcuratur, et tantum[z] aliqua
inter duas vocales velut nota eſt, ne ipſæ coeant. Viden- 41
dum etiam, ne ſyllabæ[a] verbi prioris ultimæ ſint primæ
ſequentis. Id ne quis præcipi miretur, Ciceroni in epi-
ſtolis excidit, *Res mihi inviſæ*[b] *viſæ ſunt, Brute*. Et in
carmine,

[i] litera G. [k] *om.* Jenſ. [l] vas G. vaſtudiorum Jenſ. [m] alia quæ Jenſ. [n] Lunarius G. [o] Serenus G. Jenſ. [p] dignus *iid.* [q] joco Jenſ. [r] Quod etiam Jenſ. Quod et G. [s] per G. Jenſ. [t] *om.* Jenſ. [u] Cenſorini *id.* [x] die. e. hanc *id.* die hæc G. [z] tamen Jenſ. [a] ſyllaba—ultima ſit prima G. Jenſ. *quod probat etiam Liebius.* [b] *om.* Jenſ.

37. *S ultima cum X*] Quid ſi inverſo ordine legamus *x ultima cum s?* Hujus enim concurſus exempla ſunt plurima, ut *exſpecto*, *exſolvo*, *exſtinguo*, in quibus ſequentem *S* omittere ſolent etiam: *Exercitus Xerxis*, et *ars Xenocratis* aſperrimum quid habent, fateor: ſed neſcio an propter propria aliquot Græcorum nomina laboraverit Quinctilianus.

38. *ut dixi*] Ubi dixerit? et quid proprie dixerit? fruſtra adhuc quæſitum eſt a viris doctis. Et totus hic locus a melioribus libris aut ingeniis felicioribus opem exſpectat.

39. *Cicero in Oratore*] Adſcribamus et nos locum e c. 48. *Quinetiam, quod jam ſubruſticum videtur, olim autem politius, eorum verborum, quorum eædem erant poſtremæ duæ literæ, quæ ſunt in* optumus, *poſtremam literam detrahebant, niſi vocalis inſequebatur*— vita illa dignu' locoque, *non*, dignus &c.

41. *ne ſyllabæ verbi*] Videtur parum referre ad ſententiam, utrum ſingulari numero hic locus legatur, an plurium. Sed exempla Fabii docent, de plurium repetitione illum agere. Cæterum hanc vel unius, vel plurium etiam ſyllabarum repetitionem et quaſi παρήχησιν non evitarunt, ſed adfectarunt, non poetæ modo, ſed etiam oratores, præſertim Cicero. Congeſſit talia Broukhuſius ad Tib. 1, 1, 3.

O fortunatam natam me Conſule Romam.

42 Etiam monoſyllaba, ſi plura ſunt [c], male continuabuntur: quia neceſſe eſt compoſitio multis clauſulis conciſa ſubſultet. Ideoque etiam brevium verborum ac nominum vitanda continuatio, et ex diverſo quoque longorum: afferunt enim quamdam dicendi tarditatem. Illa quoque vitia ſunt ejuſdem loci, ſi cadentia ſimiliter et ſimiliter deſinentia, et eodem modo declinata, multa [d] jungantur.
43 Nec [e] verba quidem verbis, aut nomina nominibus, ſimiliaque [f] his continuari decet: cum virtutes etiam ipſæ tædium pariant [g], niſi gratia varietatis [h] adjutæ. Membrorum, inciſorumque [i] junctura non eo [l] modo eſt obſervanda, quo verborum, quamquam et [m] in his extrema et
44 prima *coeunt*. Sed plurimum refert *compoſitionis*, quæ quibus anteponas [n]. Nam et, *vomens fruſtis eſculentis, vinum redolentibus, gremium ſuum et totum tribunal implevit:* et

[c] *om.* G. [d] *om.* G. [e] Ne G. Jenſ. [f] ſimilia quoque G. [g] patiantur G. Jenſ. [h] veritatis Jenſ. [i] vitiorumque *id.* [l] eodem G. [m] *om.* G. Jenſ. [n] anteponam G.

42. *monoſyllaba*] Obſervatio hæc Latinæ et Græcæ linguæ propria, male ad alias extenditur ab Iſ. Voſſio de viribus rhythmi et cantu carm. p. 42. it. 50. De Germanica itemque Anglica aliter ſe rem habere, dubitari non poteſt. Neminem ſane, etiam Latine et Græce doctum, hoc nomine offendunt verſiculi Lutheri ex noto cantico, *Er ſprach zu mir, halt dich an mich, Es ſoll dir iezt gelingen*, quia 12 monoſyllaba continuantur.

43. *extrema et prima coeunt*] *Extrema* inciſi vel membri præcedentis junguntur, et ita *coeunt* primis inciſi vel membri ſequentis. Sed cum tamen intercedat diſtinctio quædam ſive brevis pauſa, non ita ſentitur, ſi quid vel geminetur, vel junctura obſcenum ſenſum efficiat.

44. *vomens fruſtis*] Ex Phil. 2, 25. Hic *gremium* recte præcedit, ſequitur, quod multo majus eſt, *totum tribunal:* contra ſe res habet, ſi audimus Fabium, in proximo ex orat. pro Archia c. 8. ubi poſt *ſaxa* et *ſolitudines* ſequuntur demum *beſtiæ*. Nimirum Cicero compoſitionis decorem antehabuit veræ rationi, quæ vult id quod gravius eſt poſtponi. Hanc Fabii mentem, recepta adhuc lectione obſcuratam, multo lucidius exprimi, ſi legatur, ut nunc reſtituimus, nemo, credo, dubitat. Sed levior fuit Tullius, ſi rerum et naturæ ordinem condonavit crepitaculis numerorum: ad ignoſcendum facilis Quinctilianus, ſi hoc indulſit Ciceroni. Verum enimvero jam vidit Victorius V. L. 13, 16, verbis, *ſaxa atque ſolitudines voci reſpondent*, non majus quiddam et illuſtrius contineri, ſed minus longe illo altero, *beſtiæ ſæpe immanes:* Prius enim ad reſultantem vocis imaginem pertinere, quam echo vocamus; alterum ad exempla beſtiarum cantu ſe paſſarum demulceri. Fontem erroris in Quinctiliano non aperit, quem putarim eum eſſe, quod Orphei fabulam præ oculis fuiſſe Ciceroni putavit, *non beſtias modo* carminibus ſuis, *verum etiam ſaxa et ſilvas* trahentis; cujus tamen nullum hic veſtigium eſt.

contra (nam frequentius utar iisdem diversarum quoque
rerum exemplis, quo sint magis familiaria) *Saxa atque so-
litudines voci respondent, bestiæ sæpe immanes cantu flectun-
tur, atque consistunt.* Magis id [o] insurgebat, si verteretur: 45
nam [p] plus est, *saxa*, quam *bestias commoveri*: vicit [q] ta-
men compositionis decor. Sed transeamus ad numeros.
Omnis *structura* ac *dimensio* et *copulatio vocum* constat aut
numeris (numeros ῥυθμὸς accipi volo) aut μέτρῳ, id est,
dimensione quadam. Quod etiam si [r] constat utrumque
pedibus, habet tamen non simplicem differentiam. Nam 46
rhythmi, id [s] est, numeri, spatio temporum constant: *me-
tra* etiam ordine: ideoque alterum esse quantitatis vide-
tur, alterum qualitatis. Ῥυθμὸς aut par est [t], ut *dactylus*:
unam enim syllabam parem brevibus habet. Est quidem 47
vis eadem et aliis pedibus, sed nomen illud tenet: (*Lon-
gam* esse duorum temporum, *brevem* unius, etiam pueri
sciunt) aut sescuplex [u], ut *pæon*: cujus vis est ex longa et
tribus brevibus: quique ei contrarius, ex tribus brevibus et
longa, vel alio quoquo modo [x] tempora tria ad duo relata
sescuplum faciunt: aut duplex, ut *iambus*: nam est ex [z]
brevi et longa: quique est ei contrarius. Sunt hi et metrici 48

[o] *om.* G. Jens. [p] *Sic* G. Jens. etsi *inf. Regius e conj. vid. not.* [q] *Sic* G. *et al. ap. Bur. probante etiam Liebio.* inest tamen compositioni Jens. *et al.* [r] *om.* Jens. [s] in numero G. Jens. [t] *om.* Jens. [u] sexcuplex Jens. sescuplum G. [x] ut *inf.* G. [z] et G.

45. *numeros ῥυθμὸς accipi volo*] Nimirum *numeros* Latini etiam appellant ordinem, et alternationem quasi temporum, brevium et longorum, qualis etiam sine toni differentia est v. g. in tympanorum sono, in saltantium, in vibrantium arma, in artificum quorundam simul opus facientium motibus, fabrorum v. g. ferrum in incude formantium, vietorum doliis adigentium circulos, triturantium frumenta flagellis rusticorum, quibus vel laboris molestiam solantur, vel æqualiter operas inter se dividunt. Hoc numerorum genus hic ῥυθμὸν, quasi tu concinnitatem quandam aut motus proportionem dicas, vocat. Vid. quæ supra monuimus ad 1, 10, 22: et lege in primis Dionysium Halic. de construct. c. 17 et 18. Hic enim disertissimus omnium videtur: sic facilius intelliges deinde tum Fabium nostrum, tum quæ habent alii vel Musici, ut Quinctilianus Aristides lib. 1. p. 33. Meib. quem vertit vitiose satis Martianus Capella: vel rhetores, ut Ruffinus apud Pithœum p. 313. sqq. vel Grammatici, ut Marius Victorinus p. 2484. Putsch. Plenissime autem hanc veterum doctrinam, pene obsoletam hodie, tractavit Jovita Rapicius principio operis de numero oratorio. Nos pauca adnotabimus, sine quibus nempe obscurum esse Quinctilianum lectoribus plerisque arbitrabimur.

47. *vis eadem aliis*] Nempe Spondeo, et Anapæsto, et Amphibrachy. Sed qui de rhythmo solo præcipiunt, illi hos etiam dactyli nomine comprehendunt, ut docet mox s. 48.

pedes: ſed hoc intereſt, quod *rhythmo*[a] indifferens eſt[b], *dactyluſne*[c] ille priores habeat[d] breves, an ſequentes. Tempus enim ſolum[e] metitur, ut a ſublatione ad poſitionem iiſdem ſit[f] ſpatiis pedum. [g] In verſu pro *dactylo* poni non poterit *anapæſtus* aut *ſpondeus*: nec *pæon*[h] eadem
49 ratione a brevibus incipiet ac deſinet. Neque ſolum alium pro alio pedem metrorum ratio non recipit, ſed ne dactylum quidem, aut forte ſpondeum alterum pro altero. Itaque ſi quinque continuos dactylos, ut ſunt in illo,

Panditur interea domus omnipotentis olympi,

50 confundas, ſolveris verſum. Sunt et illa diſcrimina, quod *rhythmis* libera ſpatia, *metris* finita ſunt[i]; et his certæ clauſulæ, illi, quo modo cœperant, currunt uſque ad *μεταβολὴν*, id eſt, tranſitum[l] in aliud genus rhythmi: et quod *metrum* in verbis modo, *rhythmus* etiam in corporis
51 motu eſt. Inania quoque tempora *rhythmi* facilius accipient, quamquam hæc et in metris accidunt: major tamen illic licentia eſt, [m] ubi tempora etiam animo metiuntur, et pedum et digitorum ictu intervalla ſignant, et † quibuſdam notis, atque æſtimant, quot breves illud ſpatium habeat: inde *τετράσημοι*[n], *πεντάσημοι*, et deinceps.

[a] rhythmos Jenſ. [b] *om.* G. [c] dactylos: ne Jenſ. [d] habet G. Jenſ. [e] *Sic* G. *et Vall. ap. Aſcenſ.* ſonum *rel.* [f] *om.* G. Jenſ. [g] Proinde alia ad dimenſionem in verſu Jenſ. verſuum G. [h] penes eandem rationem G. Jenſ. [i] *om.* Jenſ. [l] Id *inſ.* G. Id eſt *inſ.* Jenſ. [m] et *inſ.* G.. † et *hoc inſerui, ſenſu exigente: loquitur de notis muſicorum et rhythmicorum ſcripto expreſſis.* [n] tetraſmoe pentaſmoe Jenſ. τετρασημεῖον πεντασημεῖον G. τετράσημον, πεντάσημον. Deinceps *rel.*

48. *a ſublatione ad poſitionem*] Ἄρσιν et Θέσιν Græci dixerant, eaque, ut et ipſum *pedis* nomen a ſaltantium motibus deduxerant: v. g. qui dactylos ſaltat, duo tempora in *ſublatione pedis* conſumit, totidem in *poſitione* &c.

49. *ſolveris verſum*] Quod non fieret, ſi verbis ſingulis ſinguli conſtarent pedes, v. g. *Carmina mollia, lævia, languida, ludere tento.*

50. *rhythmis libera ſpatia*] Et hoc e ſaltandi rationibus intelligitur. Poteſt vel una Minuta (*Menuet*) vel partes ejus quæcunque, continuari quem ad finem volueris, modo *pedes* ſerventur iidem muſici, quibus *βάσεις*, ſive *paſſus* reſpondent.

51. *Inania tempora*] Redundantia, quæ diſſimulantur, ut in eo qui vocatur hodie *ſtilus recitativus*, ubi verbis tempora accommodare licet. conf. mox ſ. 89.

51. *inde τετράσημοι*] Ante omnia meminerimus, quod ſtatim docet etiam Fabius, σημεῖον eſſe tempus unum. Eadem nempe vox σημεῖον punctum mathematicum notat. Adſcribamus locum Ariſtidis Quinctiliani p. 32. Meibom. Πρῶτος μὲν οὖν ἐστι χρόνος ἄτομος καὶ ἐλάχιστος, ὃς καὶ σημεῖον καλεῖται.—σημεῖον δὲ καλεῖται διὰ τὸ ἀμερὴς εἶναι· καθὸ καὶ οἱ γεωμέτραι τὸ

longiores fiunt percuſſiones. Nam σημεῖον tempus eſt [o] unum. In compoſitione orationis certior, et magis om- 52 nibus aperta ſervari debet dimenſio. Eſt igitur in pedibus. Et metrici quidem pedes adeo reperiuntur in oratione, ut in ea frequenter non ſentientibus nobis omnium generum excidant verſus; [p] contra nihil, quod [q] proſa ſcriptum, [r] non redigi poſſit in quædam verſiculorum ge-

[o] eſt. Unde in G. [p] *Sic* G. Et *inſ. al.* [q] *Sic* G. Jenſ. eſt *al.* [r] *Sic* G. Jenſ. quod *inſ. al.*

παρά σφισιν ἀμερὲς, σημεῖον προσηγόρευσαν. Jam intelligitur, quæ ſint *percuſſiones* (*pedes, tactus* hodie vocant) τετράσημοι aut πεντάσημοι, *aut deinceps longiores*, uſque ad πεντεκαιεικοσίσημον, quod eſt apud Ariſtidem p. 35. Ita ſcilicet legendum eſſe et diſtinguendum, cum ipſa res nos monuit, tum confirmavit lectio, quam ſupra poſuimus, Jenſoniana, quæ illud quidem ſatis indicat, ultimam ſyllabam habuiſſe οι.

52. *certior—dimenſio*] In metris indulgetur et condonatur aliquid de pronuntiatione verborum, v. g. circa mutæ et liquidæ concurſum, poſitionemque aliam: *in compoſitione* autem *orationis*, quæ metro adſtricta non ſit, ſervatur dimenſio naturalis, quæ certior ob id ipſum apertiorque.

52. *excidant verſus; contra nihil*] De verſu in proſa excidente copioſiſſime Voſſ. Rhet. 4, 4, 3. et quos laudat Fabric. B. L. To. 2. p. 746. Locus claſſicus Cic. Orat. c. 56. Add. infra ſ. 72. Cæterum revocavi antiquam lectionem, temere mutatam a Regio: eamque hic explicatiorem dare conabor: Metricos pedes in oratione reperiri, duabus rebus intelligitur, primo quod excidunt verſus imprudentibus, deinde quod, ſi id agamus, nihil proſa oratione ſcriptum non poteſt redigi in verſus diverſorum generum vel integros, vel in quædam certe membra verſiculorum. Sed hic res nobis nonnunquam eſt cum Grammaticis moleſtis, qui non moroſa minus diligentia rhythmos et pedes exigunt et dinumerant in oratoribus, quam in Lyricorum carminibus factum eſt, v. g. a Mario Victorino de metris Horatianis p. 2610. Putſch. a Scholiaſtis Pindaricis &c. Et ſunt ſane de hoc genere pluſcula apud ipſum Halicarnaſſenſem Dionyſium περὶ συνθ. c. 18. ubi initium Demoſthenis pro Corona expendit. Et poteſt talis Grammaticus provocare ad ipſum Ciceronem, h. m. *At Cicero* &c. Argumentaretur autem ita, *Numerus* et *rhythmus* ſunt idem; jam numeris alligat orationem Cicero: ergo rhythmis. Sed propoſitionem non ſimpliciter concedit Fabius: *Rhythmi* ſunt *numeri*, ſed non contra omnes *numeri* ſunt iidem *rhythmi*. Interim cum non ſit nomen commodius, *numeros* etiam vocemus rhythmicum illud, muſicum illud et poeticum in oratione. Poteſt hoc tanto magis poſtulare Fabius, quod etiam ῥυθμὸς ita nonnunquam accipitur a Græcis, ut ſonorum illud ſignificet, et quidquid percipit auditor, etiam cum ſignificationem vocis neſcit. Sic Lucian. in vitar. auct. p. 382, ubi Stoici Emtor doceri petit, quid ſit σύμβαμα, παρασύμβαμα, cauſam interſerens, οὐκ οἶδ' ὅπως ἐπλήγην ὑπὸ τοῦ ῥυθμοῦ τῶν ὀνομάτων. Et ipſe Ariſtoteles Rhet. 3, 8, 5. ὁ τοῦ σχήματος τῆς λέξεως ἀριθμὸς ῥυθμός ἐστιν. Hanc ſi quis ſeriem tenuerit, locus, qui multum alioqui negotii faceſſit hominibus non indoctis, ſatis erit perſpicuus. Sed nunc ad ſingula.

53 nera vel[s] in membra. Sed in[t] adeo moleſtos incidimus grammaticos, quam[u] fuerunt, qui Lyricorum quædam[x] carmina in varias menſuras coegerunt. At Cicero frequentiſſime dicit, totum hoc conſtare *numeris*, ideoque reprehenditur a quibuſdam, tamquam orationem ad *rhyth-*
54 *mos* alliget. Nam ſunt numeri *rhythmi*, ut et ipſe conſtituit, et ſecuti eum Virgilius, cum dicit,

——— *Numeros memini, ſi verba tenerem:*

et Horatius,

——— *Numeriſque fertur*[y]
Lege ſolutis.

55 Invadunt ergo hanc inter ceteras vocem, *Neque enim Demoſthenis fulmina tantopere vibrarent*[z] *illa, niſi numeris contorta ferrentur*[a]. In quo ſi hoc ſentimus *rhythmis contorta,* diſſentio. Nam *rhythmi,* ut dixi, neque finem habent certum, nec ullam in contextu varietatem, ſed, qua cœperunt ſublatione ac[b] poſitione, ad finem uſque decurrunt: ora-
56 tio non deſcendit ad ſtrepitum digitorum. Id[c] quod Cicero optime videt, ac teſtatur frequenter, ſe, quod numeroſum ſit, quærere: ut magis non ἄῤῥυθμον[d], quod eſſet

[s] *Sic* G. Jenſ. *et MSS. puto omnes.* vel in membra *om. reliqui de conjectura Regii.* [t] tam immodeſtos G. Sed etiam in moleſtos incidimus Grammaticos, quorum fuerunt, qui membra, velut Lyricorum *&c. conj. Burman.* [u] quorum Jenſ. [x] quorundam G. [y] feratur Jenſ. *male.* [z] vibratus dicitur Jenſ. [a] ferantur *id.* [b] ad poſitionem uſque G. poſitionem *etiam* Jenſ. [c] et quæ G. Jenſ. [d] ἄρυθμον, *credo, omnes. Sed alterum analogia poſcit et perpetuus Græcorum uſus,* v. g. Quinct. Ariſtidis 1. p. 33. *Interim ex illo* Arythmon *etiam apud Martianum Capellam aliquoties: quin ſic editur Ariſt. Rhetor.* 3, 8, 1.

53. *totum hoc conſtare numeris*] V. g. Orat. 60. *Si numerus orationis quæritur qui ſit; omnis eſt: ſed alius alio melior atque aptior. Si locus; in omni parte verborum. —Si, ad quam rem adhibeatur; ad delectationem: ſi, quando; ſemper: ſi, quo loco; in tota continuatione verborum.*

54. *Virgilius*] Ecl. 9, 45. Horat. Od. 4, 2, 11. *Neque enim Demoſth.* Cic. Orat. 70.

55. *ſi hoc ſentimus*] Si hunc locum Ciceronis ita intelligimus, ut *numeris contorta* idem valeat, quod *rhythmis contorta*; diſſentit Fabius; negatque adeo, hic *rhythmum* et *numerum* eſſe unum idemque: quatenus nempe paullo ante ſ. 50 rhythmum definivit, ut non ſolum pedum collectionem proportione quadam inter ſe temperatorum notet, ſed illam eorundem pedum continuationem ſine certo fine ad μεταβολὴν uſque ſeu mutationem generis procurrentem: quod optime ex tympanotribarum, frumenta flagellantium, et cæterorum, quos ad ſ. 45 diximus, rhythmis intelligitur. Hoc genus rhythmi merito excludit ab oratione Fabius, quod non modo ſuavitatem habiturum non eſſet, ſed moleſtiam ex ipſa uniformitate adferret.

56. *non ἄῤῥυθμον — quam rhythmum*] De lectione quid mihi vide-

inſcitum atque agreſte, quam rhythmum[e], quod poeti-
cum eſt, eſſe compoſitionem velit, ſicut etiam quos palæ-
ſtritas eſſe nolumus, tamen eſſe nolumus eos, qui dicun-
tur *ἀπάλαιστροι*[f]. Verum ea, quæ efficitur ex pedibus, æ- 57
qua concluſio, nomen aliquod deſiderat. Quid ſit igitur
potius, quam[g] *numerus*, et oratorius numerus, ut enthy-
mema rhetoricus ſyllogiſmus? Ego certe, ne in calum-
niam cadam, qua ne M. quidem Tullius caruit, poſco hoc
mihi, ut, cum pro compoſito dixero *numerum*, et ubicum-
que jam[h] dixi[i], *oratorium* dicere intelligar. *Collocatio* 58
autem verba jam probata, et electa[k], et velut aſſignata
ſibi debet connectere: nam vel[l] dura inter ſe[m] commiſſa
potiora ſunt inutilibus. Tamen et eligere quædam, dum
ex iis, quæ idem ſignificent, atque idem valeant, permi-
ſerim: et adjicere dum non otioſa: et detrahere, dum
non neceſſaria: ſed et[n] figuris[o] mutare et caſus et nume-
ros, quorum varietas, frequenter gratia compoſitionis ad-
ſcita, etiam[p] ſine numero ſolet eſſe jucunda. Etiam ubi 59
aliud ratio, aliud conſuetudo poſcit, utrum volet, ſumat
compoſitio, *Vitaviſſe* vel *vitaſſe*, *Deprehendere* vel *depren-
dere*. [q] Coitus etiam ſyllabarum non negabo, et quid-

[e] *Sic* G. Jenſ. *εὔρυθμον al. ex conj. credo Regii. Si ſit ex Codd. malim ἔῤῥυθμον. vid. not.* [f] a palæſtra Jenſ. *ἀπάλαιστοι Cicero.* [g] *om.* G. [h] *om.* G. [i] dixero G. [k] edocta G. [l] velut dum G. [m] *om.* G. Jenſ. [n] *om. iid.* [o] figuras G. [p] et G. [q] Nam *inſ. conj. Liebius.*

retur, ſupra indicatum eſt. Jam adſcribendus eſt Dionyſii locus, qui unice hanc Fabii doctrinam, lectionemque adeo noſtram confirmat. Eſt autem laudati jam ſæpius *περὶ συνθέσ.* c. 25, p. 228. Upt. Ἡ λέξις ὅμοια περιλαμβάνουσα μέτρα, καὶ τεταγμένους σώζουσα ῥυθμοὺς, κατὰ στίχον, ἢ περίοδον, ἢ στροφὴν διὰ τῶν αὐτῶν σχημάτων περαινομένη, καὶ τοῦτο μέχρι πολλοῦ ποιοῦσα, ἔῤῥυθμός ἐστι καὶ ἔμμετρος, καὶ ὀνόματα κεῖται τοιαύτῃ τῇ λέξει μέτρον καὶ μέλος· ἡ δὲ πεπλανημένα μέτρα καὶ ἀτάκτους ῥυθμοὺς (hi ſunt *numeri*, ut Cicero eos accepit l. c. *numeri innumeri*) ἐμπεριλαμβάνουσα, καὶ μήτε ἀκολουθίαν ἐμφαίνουσα αὐτῶν, (quæ eſt in omni genere carminis) μήτε ὁμοζυγίαν, μήτε ἀντιστροφὴν, (quæ ſunt in Lyricis) εὔρυθμος μέν ἐστιν, ἐπεὶ πεποίκιλταί τισι ῥυθμοῖς· οὐκ ἔῤῥυθμος δὲ, ἐπειδὴ οὐχὶ τοῖς αὐτοῖς οὐδὲ κατὰ τὸ αὐτό. Τοιαύτην εἶναι δή φημι πᾶσαν λέξιν ἄμετρον, ἥτις ἐμφαίνει τι ποιητικὸν καὶ μελικόν· ᾗ δὴ καὶ τὸν Δημοσθένη κεχρῆσθαί φημι. Hic igitur apparet, εὔρυθμον non potuiſſe hic ponere Fabium, quippe quæ virtus orationis numeroſæ eſt, quod diſerte ait Ariſt. Rhet. 3, 8, 17: ſed vel ἔῤῥυθμον, unde, in majuſculis præſertim literis, ΕΥΡΥΘΜΟΝ ortum, vel, ut diſerte libri optimi habent, *rhythmum*. Compoſitio non debet eſſe *rhythmus*, ſed habere poteſt ac debet quiddam rhythmicum, ne ſit ἄῤῥυθμος. Hoc idem docet Ariſtoteles Rhet. 3, 8, 1: hoc Cicero Orat. 65. ext. hoc ipſa ſimilitudo de palæſtra indicat, ſumta ex Cic. Orat. 68. ubi ἀπάλαιστος habent editiones optimæ: et ſane melius videtur, ut ſit ſimile centum aliis a tertia perſona præteriti ductis, ἄγευστος, ἀθεώρητος, ἀγεωμέτρητος, ἄπρακτος κ. τ. λ.

60 quid ſententiis aut eloquentiæ[r] non nocebit. Præcipuum
tamen in hoc opus eſt, ſcire quod[s] quoque loco verbum[t]
maxime quadret. Atque is optime componet, qui hoc
ſolum componendi gratia faciet. Ratio vero pedum in
oratione eſt multo, quam in verſu, difficilior: primum,
quod *verſus* paucis continetur, *oratio* longiores habet ſæpe
circuitus: deinde, quod *verſus* ſemper ſimilis ſibi eſt, et
una ratione decurrit: *orationis* compoſitio niſi varia eſt[u], et
61 offendit[x] ſimilitudine, et affectatione[z] deprehenditur. Et
in omni quidem corpore, totoque (ut ita dixerim) tractu,
numeris inſerta eſt[a]. Neque enim loqui poſſumus[b], niſi
e ſyllabis brevibus ac longis, ex quibus pedes fiunt. Ma-
gis tamen et deſideratur in clauſulis, et apparet: primum,
quia ſenſus omnis habet ſuum finem, poſſidetque naturale
intervallum, quo a ſequentis initio dividatur: deinde,
quod aures, continuam vocem ſecutæ, ductæque velut
prono decurrentis orationis flumine, tum magis judicant,
62 cum ille impetus ſtetit, et intuendi tempus dedit. Non
igitur durum ſit neque abruptum, quo animi velut reſpi-
rant ac reficiuntur. Hæc eſt ſedes orationis, hoc auditor
exſpectat, hic laus omnis declamat[c]. Proximam[d] clau-
ſulis diligentiam poſtulant initia: nam et ad hæc intentus
63 auditor eſt. Sed eorum facilior ratio eſt. Non enim co-
hærent aliis[e], nec præcedentibus ſerviunt, ſed[f] novum
exordium ſumunt[g]; cum illa, quamlibet ſit compoſita,
ipſam gratiam perdat, ſi ad eam rupta via veniamus.
Namque cum[h] ſit, ut videtur, ſevera Demoſthenis com-

[r] elocutione elucebit G. [s] quid Jenſ. [t] verborum G. Jenſ. [u] *om.* G. [x] offendet Jenſ. [z] affectione *id.* [a] *om id.* [b] poſſunt G. [c] declamatoris *conj. Burm. quid ſi* et clamor, *i. e. plauſus?* [d] Proxima G. [e] ſed præced. G. *et plur. ap. Bur.* [f] ſed novum *om.* G. [g] ſumant cum ea qualibet ſit enim compoſita ipſa gratia perdent, ſi ad ea rupta vis veniemus G. [h] cur ſicut Demoſthenis vera videtur comp. G. Jenſ.

63. *præcedentibus ſerviunt*] Hunc uſum verbi, quo relationem aliquam ad integrum conſtituendum ſignificat, declaramus ad Plin. ep. 1, 3, 1. it. 5, 6, 23.

63. *cum illa, quamlibet ſit*] Debebat, ſi obſequi Grammaticæ legibus de relatis voluiſſet, plurium numero uti, *cum illæ quamlibet ſint compoſitæ* &c. Reſpicit enim ad clauſulas.

63. *ſevera Demoſthenis compoſ.*] *Severa*, id eſt, caſtigata, accurata: eſt autem in principio orationis pro Cteſiphonte, ſeu corona ſua. Laudat eodem nomine et expendit Dionyſius Halic. c. 25. p. 236. ſq. Alter locus Demoſthenis eſt ex Philipp. 3. p. 46, B. Ὁ γὰρ οἷς ἐγὼ ληφθείην ταῦτα πράττων καὶ κατασκευαζόμενος, οὗτος ἐμοὶ πολεμεῖ κᾂν μήπω βάλλῃ μηδὲ τοξεύῃ. Ciceronis prior locus eſt pro Cœlio c. 26. *Archipiratam* in clauſula ponit Verr. 5, 27. *Unum, te prætore, horruiſſent Apronium, terreſtrem Archipiratam.* Verba, *non*

poſitio, πρῶτον μὲν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῖς θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις: et illa, quæ ab uno (quod ſciam) Bruto minus probatur, ceteris placet, κἂν μήπω[i] βάλλῃ, μηδὲ τοξεύῃ: non[k] deſunt, qui Ciceronem carpant in his, *Familiaris cœ-* 64
perat eſſe balneatori, et, non minus dura[l] *archipiratæ*: nam[m] *balneatori* et *archipiratæ* idem finis eſt, qui πᾶσι καὶ πάσαις, et[n] qui μηδὲ[o] τοξεύῃ: ſed propria[p] ſunt, ideo ſeveriora[q].
Eſt in eo quoque nonnihil, quod hic ſingulis verbis bini 65
pedes continentur, quod etiam in carminibus eſt permolle: nec ſolum ubi quinæ ſyllabæ nectuntur, ut in his, *Fortiſſima Tyndaridarum*: ſed etiam ubi[r] quaternæ, cum verſus cluditur *Apennino*, et *armamentis*, et *Oriona*[s]. Qua- 66
re hoc[t] quoque vitandum eſt, ne plurium ſyllabarum[u] verbis utamur in fine. Mediis quoque non ea modo cura ſit, ut inter ſe cohæreant[x], ſed ne pigra, ne longa ſint: ne, quod nunc maximum[z] vitium eſt, brevium contextu reſultent, ac ſonum reddant pene puerilium crepitaculorum. Nam ut initia clauſulæque plurimum momenti[a] 67
habent, quoties incipit ſenſus, aut definit: ſic in mediis quoque ſunt quidam conatus, qui leviter interſiſtunt[b], UT currentium pes[c] etiam ſi non moratur, tamen veſtigium facit. Itaque non modo membra atque inciſa bene inci-

[i] μήτω βαλλοίμην αὖ τὸ ζῆν G. [k] non deſ. qui *om.* Jenſ. [l] *Vid. leg.* duro. [m] nam—archip. *om.* G. Jenſ. [n] *om.* Jenſ. [o] αὖ τὸ ζῆν G. [p] priora G. Jenſ. [q] veriora G. [r] *om.* G. Jenſ. [s] Orione Jenſ. [t] hic G. Jenſ. [u] his *inſ. iid.* [x] cohæreat G. [z] maxime G. [a] morati G. [b] inſiſtunt G. Jenſ. [c] concurr. G.

minus dura (malim *duro*) ſunt judicium eorum, qui reprehendunt Ciceronem.

64. *ſed propria—ſeveriora*] Si ita dedit Fabius, quod dubium reddit indicata ſupra varietas, *propria* vocavit nomina *balneatori* et *archipiratæ*, i. e. accommodata et neceſſaria adeo huic orationi, ut superſederi illis non potuerit; et ob id ipſum *ſeveriora*, hoc eſt, magis eminentia, et ferientia oculos; ut *colores auſteri* ſunt, qui lumine vivaci perſtringunt viſum. Vid. Salm. ad Solin. p. 140. ſq. Sic ſ. 97. de Dochimo pede *ſtabilis in clauſulis et ſeverus*. Sic ipſum, quod modo laudavimus, *auſtera* compoſitionis epitheton eſt infra ſ. 128, et convenit cum αὐστηρᾷ ἁρμονίᾳ Halicarnaſſenſis Dionyſii c. 22. Certe ad *triſtitiam* referri hic *ſeveriora* non poſſunt, cum ſtatim *permolle* de eadem re dicatur.

65. *Fortiſſima Tyndaridarum*] Eſt Hor. Sat. 1, 1, 100. De *Apennino* bene monuit, qui diligentiſſimus eſt in requirendis et indicandis Fabii teſtimoniis, Philander, reſpici ad Perſii 1, 1, 95. ubi de numero et junctura etiam diſputatur. Laudat idem Ovid. Met. 2, 226. *Armamentis* Ovid. Met. 11, 456. *Oriona* Virg. Æn. 3, 517. Lucan. 1, 665. it. 9, 836.

66. *brevium contextu reſultent*] Ut fiant Pyrrhichii, deſtinati armatis ſaltationibus numeri. Sic ſ. 83, 88, 91. it. 10, 2, 16.

pere atque cludi [d] decet, ſed etiam in iis, quæ non dubie
contexta [e] ſunt, nec reſpiratione utuntur, ſpiritum [f] ſuſti-
68 nemus. Quis enim dubitet, unum ſenſum et unius ſpi-
ritus eſſe, *Animadverti, judices, omnem accuſatoris orationem
in duas diviſam eſſe partes?* tamen et duo prima verba, et
tria proxima, et deinceps duo rurſus, ac tria, ſuos quaſi
numeros habent. Illi [g] velut occulti gradus: ſicut apud
69 *rhythmicos* æſtimantur. Hæ particulæ, prout ſunt *graves,
acres, lentæ, celeres, remiſſæ, exſultantes*; proinde id [h], quod
ex illis conficitur, aut *ſeverum*, aut *luxurioſum*, aut *qua-*
70 *dratum*, aut *ſolutum* erit [i]. Quædam etiam clauſulæ ſunt
claudæ atque pendentes, ſi relinquantur; ſed ſequentibus
ſuſcipi ac ſuſtineri ſolent: eoque facto, vitium, quod erat
in fine, continuatio emendat. *Non* [l] *vult P. R. obſoletis
criminibus accuſari Verrem:* durum, ſi deſinas: ſed cum
eſt continuatum iis, quæ ſequuntur, quamquam natura
ipſa diviſa ſint, *Nova poſtulat, inaudita deſiderat:* ſalvus
71 eſt curſus. *Ut adeas, tantum dabis:* male cluderet: nam
et trimetri verſus pars ultima eſt: excipit, *Ut cibum veſti-
tumque introferre liceat, tantum:* præceps adhuc, firmatur
72 ac ſuſtinetur ultima [m], *Recuſabat nemo.* Verſum [n] in ora-
tione fieri, multo fœdiſſimum [o] eſt, totum; ſicut [p] etiam
in parte, deforme: utique ſi pars poſterior in clauſula de-
prehendatur, aut rurſus [q] prior in ingreſſu. Nam quod [r]
eſt contra, ſæpe etiam decet, quia et [s] cludit [t] interim op-
time [u] prima pars verſus, dum intra paucas ſyllabas, præ-
73 cipue ſenarii atque octonarii. *In Africa fuiſſe*, initium ſe-

[d] includi G. Jenſ. [e] cont. ſunt *om.* G. [f] *Sic* G. *it. Vallæ liber et Voſſ.* 2. illi vel occulti gradus. quis *rel.* [g] *Sic iidem.* ſpiritum ſicut *rel.* [h] idem G. [i] *om.* G. [l] Nollet G. Nondum Jenſ. [m] *om.* G. [n] Verrem omne fieri G. nemo in oratione fieri Jenſ. [o] fidiſſimum Jenſ. [p] ſed *id.* ſunt G. [q] viſus G. verſus Jenſ. [r] quidem contra G. [s] *om.* G. [t] et *inſ.* G. Jenſ. [u] *om.* G.

67. *ſpiritum ſuſtinemus*] Cum auctores hujus mutationis, quam ſupra indicavi, habeam non infitiandos, nihil opus eſſe videtur aliud ad probandam eam arbitris idoneis, niſi ut utramque rationem ipſi inter ſe comparent, et utra candidior, id eſt dignior Fabio videatur, exiſtiment.

68. *Animadverti*] Principium orationis pro Cluentio. *Non vult P. R.* Cic. Verr. 5, 44. *Ut adeas* ibid. 45.

72. *Verſum fieri*] Vid. ad ſ. 52.

72. *quia et cludit*] Huic *et* poſt longum ſatis intervallum reſpondet ſ. 74 *Et ultima.* Sic ſupra 6, 3, 40, *Et a Cicerone—Et Cælius.* Sic 11, 1, 46. ſq. Sic Cicero Orat. 70, pr. *Quantum autem ſit apte dicere, experiri licet, ſi aut compoſiti*—deinde poſt longum intervallum et exempla aliquot, *aut ſi alicujus inconditi arripias diſſipatam* &c. Sæpe ita Noſter.

narii eſt, primum pro Quin. Ligario caput cludit. *Eſſe
videtur* [x], nunc [z] nimis frequens, octonarium inchoat.
Talia [a] ſunt Demoſthenis, πᾶσι καὶ πάσαις· ϗ πᾶσιν ὑμῖν·
ὅσην [b] εὔνοιαν, et totum pene principium. Et ultima ver- 74
ſuum initio conveniunt orationis: *Etſi vereor, judices:* et,
Animadverti, judices. Sed initia initiis non conveniunt.
T. Livius hexametri exordio cœpit, *Facturuſne operæ pre-
tium ſim.* Nam ita edidit [c], eſtque melius, quam quo mo-
do emendatur. Nec [d] clauſulæ clauſulis: ut Cicero, *Quo* 75
me vertam, neſcio, qui trimetri finis eſt: [Trimetrum] et,
Pro miſero dicere liceat. [Sex enim pedes, tres percuſſio-
nes habent.] Pejus claudit finis hexametri: ut Brutus
in epiſtolis, *Neque enim* [e] *illi malunt habere tutores aut de-* 76

[x] videatur G. Jenſ. [z] *Sic Obr.* Nam *al. præced. puncto.* jam *conj. Bur.*
[a] alia G. [b] *ὅσ. εὔν. om.* G. [c] editum eſt Jenſ. [d] Nam G. *malè.*
† *quæ incluſi, gloſſam arbitror. vid. not.* [e] *om.* G.

73. *primum caput*] Hoc eſt, primam periodum pauciſſimorum, duorum forte, verſuum.

73. *Eſſe videtur, nunc nimis*] Illa clauſula Ciceroni amata *eſſe videatur*, quæ nunc nimis frequenter adhibetur, (vid. 10, 2, 18,) *octonarium* inchoat: hunc, credo, nominat, quia licentiam majorem habet, et facilius non-iambos in ſedes priores præſertim admittit. Talia, h. e. imitatorum importunitati expoſita, ſunt Demoſthenis formulæ, quas hic laudat Noſter, et totum pene orationis pro Corona, ex quo deſumtæ ſunt, exordium. Adponamus primum caput, ne opus ſit ad alium librum tranſire, cognoſcere volentibus, Πρῶτον μὲν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις, ὅσην εὔνοιαν ἔχων ἐγὼ διατελῶ τῇ τε πόλει ϗ πᾶσιν ὑμῖν, τοσαύτην ὑπάρξαι μοι παρ' ὑμῶν εἰς τουτονὶ τὸν ἀγῶνα. Expendit Dion. Halic. c. 25, p. 236, Upton.

74. *Etſi vereor*] Initium Milonianæ. *Animadverti judices* principium pro Cluentio.

74. *T. Livius*] Putat Ryckius ad Tac. An. 1. pr. non temere hoc factum a Livio; nec a Salluſtio, qui bellum Jugurthinum a ſpondaico incepit, *Bellum ſcripturus ſum, quod populus Romanus*; nec ab ipſo adeo Tacito, cujus prima Annalium verba ſunt, *Urbem Romam a principio Reges habuere.* Et ſane difficile eſt ad credendum, tribus ſcriptoribus principibus id excidiſſe in ipſo principio, ubi attentio ſolet eſſe et cura maxima.

75. *Quo me vertam*] Cic. pro Lig. c. 1. ut et illud alterum *Pro miſero.* Cæterum quæ incluſi, ea gloſſam eſſe hominis grammatici, liquido mihi conſtat. *Trimetrum* non vocavit Fabius hæc verba ſola, *Pro miſero dicere liceat:* quæ pars trimetri ſunt. Deinde non inculcavit profecto hic trimetri deſcriptionem Fabius: ſed adſcripſit aliquis eo tempore, quo docendi erant talia lectores Fabii. Cæterum illam ipſam de διποδίαις, *tribuſque* adeo *ſenarii percuſſionibus*, a quibus *trimeter* vocatur, doctrinam revocavit quaſi ex longa oblivione, et ad Terentii fabulas integras omnes magno ſane literarum beneficio applicavit Ric. Bentleius, e cujus diſciplina ita ſignanda fuerint hæc commata, *Quò me vertam néſcio?* et, *Pro míſero dícere líceat.*

ſenſores, quamquam[f] *ſciunt placuiſſe Catoni.* Illic minus[g] ſunt notabiles, quia hoc genus ſermoni[h] proximum eſt. Itaque[i] et verſus hi fere excidunt, quos Brutus ipſo[l] componendi ductus[m] ſtudio ſæpiſſime facit, non raro Aſinius, ſed etiam Cicero nonnumquam, ut in principio ſtatim orationis in Lucium Piſonem, *Pro dii immortales,*
77 *quis*[n] *hic illuxit dies?* Non minore autem cura vitandum eſt, quidquid ἔῤῥυθμον[o]: quale eſt apud Salluſtium, *Falſo queritur de natura ſua.* Quamvis enim vincta ſit, tamen ſoluta videri debet oratio. Atqui[p] Plato, diligentiſſimus compoſitionis, in Timæo, prima ſtatim parte, vitare iſta
78 non potuit. Nam et initium hexametri ſtatim invenias[q], et Anacreontion[r] protinus colon efficias, et ſi velis trimetron, et quod duobus pedibus et parte, πενθημιμερὲς[s] a Græcis dicitur: et hæc omnia in tribus verbis; ut[t] Thucydidis ὑπὲρ[u] ἥμισυ Κᾶρες ἐφάνησαν[x], ex molliſſimo rhyth-
79 morum[z] genere excidat[a]. Sed quia orationem[b] omnem conſtare pedibus[c] dixi, aliqua de iis quoque: quorum no-

[f] quam conſtituunt G. *et Almel.* [g] nimiis G. [h] ſermonis G. [i] Ita et verſus hic G. [l] ipſe G. [m] durus G. *quod probat Liebius.* [n] qui G. Jenſ. [o] empiomon G. *et al. ap. Bur. conjecit etiam Liebius* ἔῤῥυθμον, *et ſic dedit Capper. vid. ad ſ.* 56. εὔρυθμον *al. quod repugnat ſententiæ.* [p] Atque G. [q] invenies G. [r] Anacetion G. [s] ἥμισυ δίπης G. Voſſ. 2. *quod ſapit librarium ſemidoctum, qui, cum Græca evanuiſſent, e Latinis ſupplere ea vellet.* [t] et G. Jenſ. [u] *Sic G. et ſic eſt ap. Thucyd.* ἐν ἐρύμασι *al.* [x] illis timor *inſ.* G. illis tioremorum genere *Voſſ.* 2. [z] morum G. [a] *Sic* G. excitant *al.* [b] omnem Oratoriam G. [c] *om.* G. Jenſ.

77. *quidquid* ἔῤῥυθμον] Sic legendum eſſe non dubitabit, qui et lectionis varietatem, et, quæ ad ſ. 56 ex Halicarnaſſenſi Dionyſio protulimus, conſideraverit. Τὸ εὔρυθμον (h. e. numeroſa oratio) adeo non eſt vitandum, ut potius ſtudioſe conſectandum ſit oratori: ſed vitandum eſt τὸ ἔῤῥυθμον, h. e. rhythmis et metris plane adſtricta, poematis inſtar oratio.

77. *non potuit*] Aut non voluit potius, arbitror. Verba, quibus incipit Timæum, hæc ſunt: Εἷς, δύο, τρεῖς· ὁ δὲ δὴ τέταρτος ἡμῖν, ὦ φίλε Τίμαιε, ποῦ τῶν χθὲς μὲν δαιτυμόνων, τανῦν δὲ ἑστιατόρων; Hic Hexametri initium eſt εἷς, δύο, τρεῖς· ὁ δὲ δή. Anacreontion colon fiet, ſi omiſſa prima voce ſumas, δύο, τρεῖς· ὁ δὲ δὴ τέταρτος. Trimetron erit δύο, τρεῖς· ὁ δὲ δὴ τέταρτος ἡμῖν (aut ut iambus fiat, ἅμμιν) ὦ. Πενθημιμερὲς eſt ipſum illud Hexametri initium. Sed quod *hæc omnia in tribus verbis* fieri ait, non intelligo, niſi per ſynecdochen *tria* dixit pro pauciſſimis.

78. *ut Thucydidis*] Locus eſt 1, 8. Δήλου δὲ καθαιρομένης—καὶ τῶν θηκῶν ἀναιρεθεισῶν, ὅσαι ἦσαν τῶν τεθνεώτων ἐν τῇ νήσῳ, ὑπὲρ ἥμισυ Κᾶρες ἐφάνησαν. Cæterum h. l. ita interpretor; Ita numeroſus eſt et modulatus Platonis locus, *ut Thucydidis* illud nobile alias comma ὑπὲρ ἥμισυ *excidat ex molliſſimo rhythmorum genere,* nec amplius tanquam exemplum rhythmi molliſſimi in proſa oratione laudari debeat a Grammaticis ac rhetoribus: cum multo mollius ſit illud Platonicum.

mina quoniam [d] varia esse traduntur [e], constituendum est [f],
quo quemque [g] appellemus. Et quidem Ciceronem se-
quar, (nam is [h] eminentissimos Græcorum est secutus)
excepto quod pes tres [i] syllabas non videtur excedere:
quamquam ille *pæone* [l] *dochimoque*, quorum prior in qua-
tuor, secundus in quinque excurrit [m], utatur. Nec tamen 80
ipse dissimulat, quibusdam *numeros* videri, non *pedes*: nec
immerito. Quidquid enim supra tres [n] syllabas habet, id
ex pluribus est pedibus. Ergo cum constent quatuor pe-
des [o] binis, octo ternis: *spondeum* longis duabus; *pyrrhi-
chium*, quem alii *periambum* vocant, brevibus; *iambum*
brevi longaque; huic contrarium e longa et brevi, *cho-
reum* nos, non [q] ut alii *trochæum*, nominemus. Ex iis ve- 81
ro, qui ternas syllabas habent, *dactylum* longa duabusque
brevibus; huic temporibus parem, sed retroactum, ap-
pellari constat *anapæston*. Media inter longas brevis fa-
ciet *amphimacrum*, sed frequentius ejus nomen est *creticus*.
Longa inter breves, *amphibrachys*; duabus longis brevem 82
sequentibus, *bacchius*; totidem [r] longis brevem præce-
dentibus, huic [s] contrarius *palimbacchius* erit [t]. Tres bre-
ves *trochæum* [u], quem *tribrachyn* [x] dici volunt, qui choreo [z]
trochæi nomen imponunt; totidem longæ *molosson* effi-
ciunt. Horum pedum nullus non in orationem venit: 83
sed quo quique sunt temporibus pleniores, longisque syl-
labis magis stabiles, hoc [a] graviorem faciunt orationem,
breves celerem ac mobilem. Utrumque locis utile. Nam
et illud, ubi opus est velocitate, tardum et segne, et hoc,
ubi pondus exigitur, præceps ac resultans, merito dam-
netur. Sit in hoc quoque aliquid fortasse momenti, quod 84

[d] quæ G. quam Jens. [e] tradunt Jens. [f] *om.* G. [g] quæque G. [h] emissos *ins.* G. *et Voss. Fuit, credo,* emissos *compendium scribendi, quod mansit una cum explanatiore scriptura.* [i] trisyllabas G. Jens. *fuit nempe* tris syllabas. [l] pæan dochimioque G. [m] excurri putatur G. Jens. [n] trysillabas id est ex pl. G. et Jens. *fuit* tris syllabas. [o] pedibus G. *Sic* G. hunc *ins. al.* [q] *om.* G. [r] huic bis G. [s] huic contr. *om.* G. [t] erat G. [u] choreum G. [x] tribacchum G. [z] orichæo troci G. [a] hi Jens. iis G.

79. *pæone dochimoque*] Quorum ille tribus brevibus et una longa constat, et pro varia positione longæ illius primus, secundus &c. vocatur, ac proinde diversimode in pedes binos dissyllabos dividi potest: hic vero, si Diomedem audias p. 479, Putsch. ex anapæsto et iambo junctis constat; apud Ciceronem autem Orat. 64 extr. *brevi, duabus longis, brevi, longa*, i. e. iambo et amphimacro. Sed fatetur nimirum ipse l. c. Tullius, *Pæon, quod plures habeat syllabas, quam tres, numerus a quibusdam, non pes habetur.*

83. *resultans*] Vid. paullo ante ad s. 66.

et longis longiores, et brevibus ſunt breviores ſyllabæ: ut, quamvis neque plus duobus temporibus, neque uno minus habere videantur [b], (ideoque in metris omnes breves longæque [c] inter ſe obſeſſæ [d] ſunt pares) lateat tamen neſcio quid [e], ſi [f] quidquam ſuperſit [g], aut deſit. Nam verſuum propria conditio eſt, ideoque in his quædam [h]
85 etiam communes. Veritas vero, quia patitur [i] æque bre-

[b] videatur G. [c] quæ longæ Kapp. G. 2. [d] ob ſeſe ſunt pares latæ. Attamen Kapp. Jenſ. inter ſe obeſſe ſint pares late attamen neſcio ſi G. 2. [e] *om.* G. Kapp. Jenſ. [f] quaſi *conj. Werlh.* [g] ſupereſt Kapp. [h] quidem G. [i] pariter G. Kapp. breviter G. 2.

84. *et longis longiores*] Dionyſ. Halic. περὶ συνθέσ. ὀνομ. ſ. 15, p. 104. Upton. Μήκους καὶ βραχύτητος συλλαβῶν οὐ μία φύσις· ἀλλὰ καὶ μακρότεραί τινές εἰσι τῶν μακρῶν, καὶ βραχύτεραι τῶν βραχειῶν κ. τ. λ. Exemplo illud deinde monſtrat prioris ſyllabæ in ὁδὸς, ῥόδος, τρόπος, στρόφος· quæ brevis ubique, ſed brevior in τρόπος quam in στρόφος, et ſic per tres retro gradus. Eadem ex Latinis copioſe tractat Marius Victorinus Artis Gram. l. 1, p. 2481. Putſch. qui Muſicos in hoc diſſentire ait a metricis, quod illi *brevi breviorem et longa longiorem* dicant *poſſe ſyllabam fieri*, hi negent: quos tamen Muſici etiam exemplis refellant metricorum pedum &c. Et ſane in metris verſuum illud diſcrimen negligitur, ubi ſyllabæ brevi unum tempus adſignatur, duo autem longæ, ſine diſcrimine ſubtiliori.

84. *inter ſe obſeſſæ*] Utcunque interpretari liceat hæc verba, ut interpretatur muſarum omnium corculum Werlhofius, uni metro incluſæ, ut altera alteram quaſi obſeſſam teneat, nec evagari ultra legem patiatur: fateor tamen, me in his Fabii verbis deſiderare Fabium, et optare, ut inveniatur codex aliquis, qui habeat vel ita, *inter ſeſe cenſentur pares*, vel melius.

84. *lateat tamen neſcio quid*] Latet etiam hic, me quidem fugit, neſcio quid. Werlhofius ita expedit, ut pro *ſi* legat *quaſi*, hoc intellectu, ut, licet pares videantur ſyllabæ, tamen occulta quædam vis in illis lateat, *quaſi* in alteris *quidquam ſuperſit, aut deſit* in alteris.

84. *propria conditio*] Ut ſupra 1, 5, 27. *Mihi videtur conditionem mutare.* Mar. Victorin. p. 2480. Putſch. *Syllaba poſitione longa loci conditione vim ſuæ proceritatis non obtinens.*

84. *quædam etiam communes*] Ego interpretabar; ancipites, nunc longæ, prout verſus poſtulat, nunc breves, quales ſunt natura breves, ante mutam cum liquida, item *i* in fine quarundam diſſyllabarum. Sed Werlhofius cum reſpectu ad ea, quæ ſequuntur, *communes* vult eſſe, quæ de ſe impertiant aliquid proximis ſyllabis.

85. *Veritas vero, quia*] *Veritas*, h. e. natura ipſius rei, de qua agitur, τὸ ὄν. Hic vero iterum laboro, nec perſpicio (qui forte ſtupor meus eſt, ſed cum pluribus tamen communis) quomodo cohæreat illud *quia* cum his, quæ ſequuntur. Quid enim? num ex eo, quod vocalis naturam ſuam retinet, ſive ſola ſit, ſive in poſitione, ſequitur, in dimenſione pedum brevem vocalem propter duas conſonantes proximas produci poſſe? Equidem non video nexum. Quid ſi igitur tenui mutatione legamus, *Veritas igitur quum patiatur—certe in dimenſione* &c. Sic pro cauſſali periodo habebimus conceſſivam.

vem eſſe vel longam vocalem, cum eſt[l] ſola, quam cum[m] eam conſonantes una pluresve[n] præcedunt: certe in dimenſione pedum ſyllaba, quæ eſt brevis, inſequente alia vel brevi, quæ tamen duas primas conſonantes habeat, fit longa: ut,

Agreſtem tenui muſam meditaris avena,

nam[o] licet *gre* brevis, facit[p] tamen longam *A* priorem.
Dat igitur illi aliquid ex ſuo tempore: quo modo, niſi 86
habeat[q] plus, quam quæ breviſſima, qualis ipſa[r] eſſet detractis conſonantibus? nunc unum tempus accommodat priori, et unum accipit a ſequente, ita duæ natura breves,
poſitione[s] ſunt temporum quatuor. Miror autem in hac 87
opinione doctiſſimos homines fuiſſe, ut alios pedes ita eligerent, alios damnarent, quaſi ullus eſſet, quem non ſit neceſſe in oratione deprehendi. Licet enim[t] *pæonem* ſequatur Ephorus, inventum a Thraſymacho, probatum ab Ariſtotele, *dactylumque*, ut temperatiores[u] brevibus ac
longis; fugiat *ſpondeum*[x] et *trochæum*, alterius tarditate[z], 88
alterius celeritate damnata[a]; et *herous*[b], qui eſt idem *dactylus*, Ariſtoteli amplior, *iambus* humanior videatur;

[l] et ſolam Kapp. eſt ſolam G. 2. *om.* G. [m] *om.* G. [n] plures breves Kapp. G. 2. [o] Brevem gre G. A brevis gre Jenſ. [p] faciet Jenſ. [q] habet G. [r] illa G. [s] compoſ. G. [t] igitur periambum G. [u] temperatum G. temperatos Jenſ. [x] ſpondeum et *om.* G. Jenſ. [z] tarditatem G. etenim *inſ.* G. Jenſ. [a] damnat G. [b] çhoreus G.

85. *Agreſtem tenui*] Error aliquis interceſſiſſe videtur vel librarii, qui verſum ab auctore inceptum ex Ecl. 6, 8, continuarit ex Ecl. 1, 2, ubi tamen legitur *Silveſtrem*: vel ipſius Fabii ex memoria citantis et miſcentis duo carmina. Si itaque verſum integrum dare voluit, debebat *Agreſtem tenui meditabor arundine muſam.*

85. *gre brevis*] Nimirum *e* in ſyllaba *gre* breve eſt, quod exaudiebant aures Romanæ; noſtræ jam non adſequuntur.

86. *temporum quatuor*] Atque adeo duabus longis pares, cum *gre*, licet ex metrica diſciplina brevis ſit ipſa, et unius adeo temporis, unum tamen tempus tribuat præcedenti *A*; ſicut contra tempus unum accipit a ſequenti ſyllaba, et ipſa alioquin brevi, *ſtem.*

87. *probatum ab Ariſtotele*] Quod docet etiam Demetrius περὶ ἑρμηνείας ſ. 39. Δεῖ δὲ ἐν τοῖς κώλοις τοῦ μεγαλοπρεποῦς λόγου τὸν προκαταρκτικὸν μὲν παίωνα ἄρχειν τῶν κώλων, τὸν καταληκτικὸν δὲ ἕπεσθαι·—τί ποτ' οὖν Ἀριστοτέλης οὕτω διετάξατο;

87. *trochæum celeritate*] Semper meminerimus, *trochæum* noſtro eſſe *tribrachyn*, quod hodie monere ſubinde opus eſt.

88. *Ariſtoteli amplior*] Rhet. 3, 8, 7. Τῶν ῥυθμῶν ὁ μὲν ἡρῷος σεμνὸς καὶ λεκτικὸς καὶ ἁρμονίας δεόμενος· ὁ δ' ἴαμβος αὐτή ἐστιν ἡ λέξις ἡ τῶν πολλῶν· διὸ μάλιστα πάντων τῶν μέτρων ἰαμβεῖα φθέγγονται λέγοντες κ. τ. λ. Pulchre igitur Burmannus *humaniorem iam-*

trochæum ut nimis currentem damnet, eique *cordacis* [c] nomen imponat; eademque dicant Theodectes ac Theo-
89 phrastus, similia post eos Halicarnasseus Dionysius: irrumpent etiam ad [d] vicinos, nec semper illis *Heroo*, aut *Pæone* [e] suo, quem, quia versus [f] raro facit, maxime laudant, uti licebit. Ut sint tamen aliis alii crebriores, non *verba* facient, quæ neque augeri, neque minui, neque sicut modulatione produci aut corripi [g] possint; sed *trans-*
90 *mutatio* et *collocatio*. Plerique enim ex commissuris eorum vel divisione fiunt pedes: quo fit, ut iisdem verbis alii atque alii versus fiant: ut memini quemdam non ignobilem poetam ita lusisse [h],

Astra tenet [i] *cœlum, mare classes, area messem.*

Hic retrorsum fit [l] *sotadeus.* Itemque *sotadeo* adjungat [m] retro trimetros [n]:

Caput exseruit mobile pinus repetita.

91 Miscendi ergo sunt, curandumque, ut sint plures, qui placeant [o], et circumfusi bonis deteriores lateant. Nec vero in literis syllabisque natura mutatur, sed refert, quæ cum qua [p] optime coeat. Plurimum igitur auctoritatis,

[c] chordacis G. [d] adjunctos Jens. adjutos G. [e] Pæane G. [f] versum G. [g] corrumpi G. [h] declarasse G. [i] tenent G. [l] fit G. *recte.* [m] adjuret G. Jens. [n] metros G. [o] placent Jens. [p] quaque G. Jens.

bum interpretatur sermoni hominum convenientem, et comparat cum Petronii c. 90, ubi *humane loqui* et *poetice* distinguuntur. Quod *Heroum* s. *dactylum*, a quo *Heroicum* carmen dicitur, λεκτικὸν vocavit Aristoteles, id non satis commode interpretantur *elegantem*. Sumitur enim cum respectu ad λέξιν, h. e. dictionem et sermonem consuetum, significatque adeo *sermoni aptum*; quod vel Horatiani *sermones* satis indicant, quos ille ob id ipsum ita vocavit, quod poetici nihil haberent præter metrum. Add. s. 110 et 131, ubi breves syllabæ sermoni aptiores.

88. *cordacis nomen*] Κορδακικώτερον appellat l. c. Videtur autem Fabius hic Ciceronem secutus, qui Orat. c. 57, *Trochæum*, inquit, *cordacem appellat*: accuratius omnino ad mentem Aristotelis *cordaci aptum* dixissent aut *cordacicum*. Cæterum de brevium syllabarum continuatione *exsultandi* verbum adhibere amat Noster; vid. ad s. 66.

88. *Halic. Dionys.*] Laudati jam sæpe operis s. 17.

89. *non verba facient*] Adscribamus et hic Dionysii locum l. c. p. 134. Τὰ ὀνόματα ἔγκειται τοῖς πράγμασιν ὡς ἔτυχεν· οἰκονομεῖν αὐτὰ χρὴ φιλοτέχνως, καὶ διακλέπτειν τῇ χάριτι τῆς συνθέσεως τὴν ἀνάγκην, ἄλλως τε καὶ πολλὴν τὴν ἄδειαν ἔχοντας· οὐδὲ γὰρ ἀπελαύνεται ῥυθμὸς οὐδεὶς ἐκ τῆς ἀμέτρου λέξεως, ὥσπερ ἐκ τῆς ἐμμέτρου.

90. *retrorsum fit sotadeus*] Meminit etiam supra 9, 4, 6. Tu vide ad 1, 8, 6.

ut dixi, et ponderis habent *longæ*, celeritatis *breves*: quæ, si miscentur quibusdam longis, currunt; si continuantur, exsultant. *Acres*[q], quæ ex brevibus ad longas insurgunt; 92
leniores[r], quæ a longis in breves descendunt. Optime incipitur a longis, recte aliquando a brevibus, ut, *Novum crimen, C.*[s] *Cæsar*: lenius[t], ut, *Animadverti, judices*[u]: quod initium[x] partitioni simile est, quæ celeritate gaudet. Clausula quoque e longis firmissima est: sed cludent et[z] 93
breves, quamvis habeatur indifferens ultima. Neque enim[a] ego ignoro, in fine pro longa accipi brevem, quod videtur aliquid vacantis[b] temporis[c] ex eo, quod insequitur, accedere: aures tamen consulens meas, intelligo multum referre, utrumne *longa* sit, quæ cludit, an *pro longa*. Neque enim tam plenum est, *Dicere incipientem*[d] *timere*: quam illud, *Ausus est confiteri*. Atqui si nihil re- 94
fert, brevis an longa sit ultima, idem pes erit; verum nescio quo modo sedebit hoc, illud subsistet. Quo moti quidam, longæ ultimæ tria tempora dederunt, ut illud tempus, quod brevis ex longa accipit, huic quoque accederet. Nec solum refert, quis claudat, sed quis antecedat. Retrorsum autem neque[e] plus tribus, iique[f] si non 95
ternas syllabas habebunt, repetendi sunt: absit tamen poetica observatio; neque minus duobus: alioqui *pes* erit, non *numerus*. Potest tamen vel unus esse *dichoreus*, si unus est, qui constat[g] ex duobus choreis. Itemque 96
pæon, qui[h] est ex choreo et pyrrhichio, quem aptum initiis putant, vel contra, qui est e tribus brevibus et longa, cui clausulam assignant: de quibus fere duobus scriptores hujus artis loquuntur, alios[i] omnes, [l]quotcumque sint

[q] Acresque G. [r] lenioresque G. [s] C. Cæsar *om.* G. [t] Levibus utamur Anim. G. [u] Scilicet (sed G.) pro Cluentio recte *inf.* G. Jens. *forte ex glossa.* [x] ejus *inf. iid.* [z] in *inf.* Jens. [a] *om.* G. [b] vocantis G. [c] tempori Jens. [d] inopinate G. [e] quæ G. Jens. [f] iis quæ G. [g] constet G. [h] quod G. Jens. [i] alii G. Jens. *vid. not.* [l] ut *inf.* G.

91. *exsultant*] Vid. ad s. 66, et add. 108. Illud *Novum crimen* est initium Ligarianæ; *Animadverti, judices*, habitæ pro Cluentio.

93. *in fine pro longa*] Vid. Cic. Orat. 64. *Nihil enim interest, dactylus sit extremus an creticus: quia postrema syllaba brevis an longa sit, ne in versu quidem refert.*

93. *Dicere incipientem timere*] Ex initio Milonianæ. *Ausus est confiteri* ex Ligarianæ principio.

94. *brevis ex longa*] Suntne hæc sana? Equidem melius intelligam, si legatur, *ex fine*, vel *ex clausula*, vel quid simile.

95. *neque plus tribus*] Cic. Orat. c. 64. *Hos cum in clausulis pedes nomino, non loquor de uno pede extremo: adjungo (quod minimum sit) proximum superiorem, sæpe etiam tertium.*

96. *alios omnes—orationem*] Legendus videtur, auctoribus quos

temporum, quæ [m] ad orationem [n] pertineant, *pæonas* ap-
97 pellant. Eſt et *dochimus*, qui ſit ex *bacchio* et *iambo*, vel [o]
iambo et *cretico*, ſtabilis in clauſulis, et ſeverus. *Spondeus*
quoque, quo plurimum eſt Demoſthenes uſus, moram [p]
ſemper per [q] ſe habet: optime præcedet eum *creticus*, ut
in hoc, *De qua ego nihil dicam, niſi depellendi criminis*
cauſſa. Illud eſt, quod ſupra dixi, multum referre, unone
verbo pedes ſint duo comprehenſi, an uterque liber. Sic
enim ſit forte, *Criminis cauſſa*: molle, *Archipiratæ*: mol-
98 lius, ſi tribrachys [r] præcedat, *facilitates, temeritates*. Eſt
enim quoddam in [rr] ipſa diviſione verborum latens tem-
pus, ut in pentametri medio ſpondeo, qui niſi alterius
verbi [s] fine, alterius initio conſtet, verſum non efficit.
Poteſt, etiam ſi minus bene, præponi anapæſtus, *Muliere*
99 *non ſolum nobili, verum etiam nota*. Tum anapæſtus et
creticus, iambus quoque, qui eſt utroque ſyllaba [t] minor:
præcedet enim [u] tres longas brevis. Sed et [v] ſpondeus
iambo recte præponitur, [x] *In armis fui*. Tum ſpondeus et
bacchius: ſic enim fiet ultimus dochimus [y], *Iiſdem* [z] *in*
100 *armis fui*. Ex iis, quæ ſupra probavi, apparet, moloſſon
quoque clauſulæ convenire, dum habeat ex quocumque
101 pede ante ſe brevem. *Illud ſcimus, ubicumque ſunt, eſſe*
pro nobis. Minus gravis erit ſpondeus [a], præcedente [b]
pyrrhichio: ut, *Judicii Juniani*: et adhuc [c] pejus priore
pæone: ut, *Brute, dubitavi*: niſi potius hoc eſſe velimus [d]

[m] qui G. [n] rationem Jenſ. [o] vel iambo *om. id.* [p] in Midiam G. in eodem Jenſ. [q] pre *id eſt* præ G. [r] tribachius G. [rr] *om.* G. [s] in fine—in initio Jenſ. [t] et ſi illis G. [u] *Vid. leg.* etiam. [v] *om.* G. Jenſ. [x] iiſdem *inſ. iid.* [y] dochmius Jenſ. [z] *om. iid.* [a] *om.* G. [b] ſe *inſ.* G. Jenſ. [c] ad hoc Jenſ. [d] volumus G.

ſupra laudavi, et interpretandus hic locus ita; *Alii* auctores pedes *omnes quotcumque ſint temporum*, i. e. quomodocumque ordinatorum, *quæ ad rationem* illam hemioliam, quæ eſt inter tria tempora totidem brevium ſyllabarum, et duo unius longæ, *pertineant, pæonas appellant*, nempe primum - ◡ ◡ ◡, ſecundum ◡ - ◡ ◡, tertium ◡ ◡ - ◡, et quartum denique ◡ ◡ ◡ -

97. *et ſeverus*] Vid. ad ſ. 64. *De qua ego* ex Cœliana c. 13. De illo *Archipiratæ* itidem ſ. 64. *Muliere non ſolum* ex Cœliana c. 13. *In armis fui* pro Ligar. c. 3.

101. *Judicii Juniani*] Cic. pro Cluent. c. 1. *Brute, dubitavi* Orat. 1. In illo Craſſi, *Cur de perfugis*, cum etiam ſit apud Ciceronem Orat. c. 66, *comparant*: videri poteſt hunc locum inde emendandum, conſentiente præſertim Gothano. Sed Fabius vix patitur, quì numeret vocum *is, contra, nos* ſyllabas. Et tamen apud Ciceronem præcedit aliud ſimile verbum, *Cur clandeſtinis conſiliis nos oppugnant*, an et hoc mutabimus in *oppugnat?* Bene eſt, quod non agitur ſalus patriæ.

dactylum et bacchium. Duo spondei non fere conjungi
patiuntur: quæ in versu quoque notabilis[e] clausula est,
nisi[f] cum id fieri potest ex tribus quasi membris: *Cur de
perfugis nostris copias comparat*[g] *is contra nos?* una syllaba,
duabus, una. Ne dactylus quidem spondeo bene præpo- 102
nitur, quia finem versus damnamus in fine orationis:
bacchius et cludit, et sibi jungitur, *Venenum timeres*[h].
Vitat[i] choreum, spondeum autem amat: ut non *Venena
timeres:* sed, *Virus timeres.* Contrarius[l] quoque qui est,
cludet, nisi si ultimam longam esse volumus; optimeque
habebit ante se molosson, ut, [m] *Et spinis respersum*; aut
bacchium, *Quod hic potest, nos*[n] *possemus.* Sed verius erit 103
cludere choreum præcedenti spondeo. Nam hic potius
est numerus, *Nos*[o] *possemus:* et, *Romanus sum.* Cludet et
dichoreus, si[p] pes idem sibi ipsi jungetur, quo Asiani sunt
usi plurimum: cujus exemplum Cicero ponit, *Patris dic-
tum sapiens temeritas filii comprobavit.* [q] Accipiet ante se 104
choreus[r] et pyrrhichium: *Omnes prope cives virtute, glo-
ria, dignitate superabat*[s]. Cludet et dactylus, nisi eum
observatio ultimæ creticum facit: ut[t], *Muliercula nixus
in litore.* Habebit ante bene creticum et iambum, spon-
deum male, pejus choreum. Cludit amphibrachus, *Q.* 105
Ligarium in Africa fuisse; si non eum malumus esse bac-
chium. Non optimus est trochæus, si ultima est brevis:
quod certe fit necesse est, alioqui quo modo cludet, qui
placet plerisque, dichoreus? Illa observatione ex trochæo
fit anapæstus. Idem trochæus præcedente longa fit pæon: 106
quale est, *Si potero:* et, *Dixit hoc Cicero, Obstat invidia.*
Sed hoc initiis dederunt. Cludit et pyrrhichius choreo
præcedente: nam sic[u] pæon est. Omnes ii, qui in bre-
ves excidunt, minus erunt stabiles: nec alibi fere satis
apti, quam ubi cursus orationis exigitur, et clausulis non
intersistitur. Creticus est initiis optimus: *Quod precatus*[x] 107

[e] nobilis G. [f] nec tunc G. [g] comparant contra G. *et ap. Cic.* [h] timere G. Jens. [i] vel Choreum et sp. ante amat ut venenum timeres. Cont. *iid.* [l] Contrario quoque quis cludet, nisi sit ultima G. [m] cibis *pro* ut et spinis G. Jens. *male.* [n] non *bis* G. [o] præcedentis pondere G. [p] *om.* G. Jens. si—jungetur *potest glossa videri.* [q] Vel *ins.* G. [r] choreum G. Jens. [s] superabit G. [t] de unica syllaba pro una *ins.* G. *ex glossemate.* [u] si pæan esset G. si *etiam* Jens. [x] deprecatus Jens.

102. *Venenum timeres*] Sunt ista sumta ex Cœliana c. 14. *Cur aut tam familiaris huic fuisti, ut aurum commodares, aut tam inimica, ut venenum timeres.* Itaque illud *Virus timeres* exemplum aliud est, quod de suo adjecit Fabius. *Quod hic potest* pro Ligar. 4, pr. *Muliercula nixus* Verr. 5, 33.

107. *Quod precatus*] Princ. pro

a diis immortalibus ſum: et clauſulis, *In conſpectu populi Romani vomere poſtridie.* Apparet vero, quam [z] bene cum præcedant, vel anapæſtus, vel ille, qui videtur fini [a] aptior, pæon. Sed [b] et ſe ipſe ſequitur, *Servare quam plurimos.* Sic [c] melius, quam choreo præcedente, *Quis* [d]
108 *non turpe duceret?* ſi [e] ultima brevis pro longa ſit. Sed fingamus ſic, *Non turpe, duceret.* Sed hic eſt illud inane, quod dixi. Paullulum enim moræ damus inter ultimum atque proximum verbum, et [f] *turpe* illud intervallo quodam [g] producimus: alioqui fit [h] exſultantiſſimum, et trimetri finis, *Quis non turpe duceret?* Sicut illud, *Ore ſpiritum* [i] *excipere liceret,* ſi jungas, laſcivi carminis eſt [l]: ſed interpunctis quibuſdam et tribus quaſi initiis, fit plenum
109 auctoritatis. Nec ego, cum præcedentes pedes poſui, legem dedi, ne alii eſſent: ſed quid fere accideret, quod in [m] præſentia videretur optimum, oſtendi. Et quidem optime eſt ſibi junctus anapæſtus, ut qui ſit pentametri finis vel rhythmus, qui [n] nomen ab eo traxit: *Nam ubi libido dominatur, innocentiæ leve præſidium eſt;* nam [o] ſyn-
110 alœphe facit, ut [p] ultimæ ſyllabæ pro una ſonent [q]. Mollior [r] fiet præcedente ſpondeo vel bacchio: ut ſi mutes idem, *leve innocentiæ præſidium eſt.* Non me capit (ut a magnis viris diſſentiam) pæon, qui eſt ex tribus brevibus et longa. Nam eſt [s] ipſe [t] una plus brevi anapæſtos [u], *facilitas* et *agilitas.* Quod quid [x] ita placuerit his, non video, niſi quod illum fere probaverint [z], quibus loquendi
111 magis, quam orandi ſtudium fuit. Nam et ante ſe bre-

[z] qui bene cum G. [a] fine G. [b] Sicut G. [c] Sit G. [d] *om.* G. [e] ſi—duceret *om.* G. [f] At G. [g] quoad G. [h] *om.* G. [i] *om.* G. Jenſ. [l] *om.* G. [m] ut G. ne Jenſ. [n] quod—tranſit G. Jenſ. [o] Ita in ſyn. G. [p] unde G. [q] ſolent G. [r] Melior G. Jenſ. [s] et *inſ.* G. [t] ipſa G. Jenſ. [u] *Sic* G. anapæſto *al.* [x] quidem G. [z] probaverit G. *vid. leg.* probaverunt.

Murena. *In conſpectu* Phil. 2, 25. *Servare quam plur.* pro Lig. extr. quamquam ibi legitur *conſervare.*

108. *Sed fingamus ſic*] Si legamus, *Non turpe duceret,* nihil fingetur: ſunt enim plane eadem, quæ præceſſere. Igitur malim cum Gothano *turpes.* Etiamſi vero hoc non fingamus, ſed relinquamus *turpe*; tamen *inane illud,* mora illa ſ. pauſa, quam interponere licet inter *turpe* et *duceret,* intercipit quaſi occultatque metrum, ne clauſula verſus ita appareat. Apprime huc facit Ciceronis locus Orat. c. 66, *Ex hoc genere illud eſt Craſſi,* Miſſos faciant Patronos: ipſi prodeant. *Niſi intervallo dixiſſet* (ſic leg. non *dixiſſes*) — ipſi prodeant — *ſenſiſſet profecto effugiſſe ſenarium.*

108. *Ore ſpiritum*] Cic. Verr. 5, 45. *Nam ubi libido* Craſſi apud Cic. Orat. 65.

110. *loquendi magis, quam orandi*]

vibus gaudet pyrrhichio et choreo, *mea* [a] *facilitas*, [b] *noſtra*
facilitas. At [c] præcedente ſpondeo tum [d] plane finis eſt
trimetri. Cum ſit per ſe quoque ei contrarius; princi-
piis merito laudatur: nam et primam ſtabilem, et tres
celeres habet. Tamen hoc quoque meliores alios puto.
Totus vero hic locus non ideo tractatur a nobis, ut ora- 112
tio, quæ ferri debet ac fluere, dimetiendis [e] pedibus ac
perpendendis ſyllabis conſeneſcat. Nam id tum miſeri,
tum [f] in minimis occupati eſt. Neque enim, qui ſe to- 113
tum in hac cura conſumſerit, potioribus vacabit: ſiquidem
relicto rerum pondere, ac nitore contemto, *teſſerulas* (ut
ait Lucillius) ſtruet, et *vermiculate* inter [g] ſe *lexeis* com-
mittet. Nonne ergo refrigeretur ſic calor, et impetus
pereat, UT equorum curſum [h] qui dirigit, minuit: et
paſſus qui æquat, curſum frangit? Quaſi numeri non 114
fuerint in compoſitione deprehenſi: ſicut poema nemo
dubitaverit imperito [i] quodam initio fuſum, et aurium
menſura, et ſimiliter decurrentium ſpatiorum obſervatione
eſſe generatum [l], mox in eo repertos pedes. Satis igitur
in hoc nos [m] componit multa ſcribendi exercitatio, ut ex
tempore etiam ſimilia fundamus. Neque vero tam ſint 115
intuendi pedes, quam univerſa comprehenſio: ut verſum
facientes totum illum decurſum, non ſex vel quinque
partes, ex quibus conſtat verſus, aſpiciunt. Ante enim

[a] mea fac. *om*. G. Jenſ. [b] nec *inſ*. G. [c] Ac G. [d] tamen G. Jenſ. [e] demet. G. [f] *om*. Jenſ. [g] in ſe lex. commutet G. [h] curſum dirigat utimur his paſſibus ut equorum frangat, quaſi vero fecerint G. curſum delicati minutibus paſſibus frangunt, quaſi non fuerint Jenſ. [i] perito G. Jenſ. [l] gravatum G. [m] *om*. G.

Conf. ſ. 131, ubi *brevibus laudatur, quidquid eſt ſermoni magis ſimile*. Add. quæ dicimus ad ſ. 88, et locum Ariſtotelis de heroo.

111. *Cum ſit per ſe*] Hæc verba præcedenti membro adjuncta quid ſibi velint, non intelligo. Sed ut nunc interpunxi, hic ſenſus eſt. Cum ſit pæoni adhuc deſcripto ⏑ ⏑ ⏑ -, quem in fine laudant, per ſe contrarius hic - ⏑ ⏑ ⏑, is principiis merito laudatur, ut ſtabili quaſi principio nixa procurrat facilius oratio.

113. *ut ait Lucillius*] Apud Cic. de Orat. 3, 45. *Quam lepide lexeis compoſtæ? ut teſſerulæ omnes Arte pavimento, atque emblemate vermiculato*. Repetit Orat. 44.

114. *numeri—deprehenſi*] *In compoſita* Herodoti, Thucydidis, aliorum, *oratione deprehenſi*, qui jam aderant ante artem, *numeri*, et ars inde formata: eadem nimirum ratione, uti troporum ac figurarum nomina et præcepta ab his demum inventa ſunt, qui eas res in aliorum oratione admirarentur, vellentque tum ipſi adſequi, tum docere alios, quid proprie eſſet illud admirabile: ſic in verſibus, ſic in ipſis ratiocinandi formis, ſic in ſaltandi, vibrandorum armorum arte &c. uſus prior præceptis.

carmen ortum eſt, quam obſervatio carminis. Indeque [n] illud:

——— *Fauni vateſque canebant.*

116 Ergo quem in poemate locum habet *verſificatio*, eum in oratione *compoſitio*. Optime autem de illa judicant aures, quæ [o] et plena ſentiunt, et parum expleta deſiderant [p], et fragoſis offenduntur, et [q] lenibus [r] mulcentur, et contortis excitantur, et ſtabilia probant, clauda deprehendunt, redundantia et nimia faſtidiunt. Ideoque docti rationem
117 componendi intelligunt, etiam indocti voluptatem. Quædam vero arte tradi non poſſunt. Mutandus eſt caſus, ſi durius is [s], quo cœperamus, feratur. Num, in quem tranſeamus ex quo, præcipi poteſt? Figuræ laboranti [t] etiam compoſitioni variatæ ſæpe ſuccurrunt. Quæ? cum orationis, tum etiam ſententiæ. Num præſcriptum [u] ejus rei ullum [x] eſt? Occaſionibus utendum, et [z] cum re præ-
118 ſenti deliberandum. Enimvero ſpatia ipſa, quæ in hac quidem parte plurimum valent, quod poſſint [a], niſi aurium, habere judicium? Cur alia paucioribus verbis ſatis plena, vel nimium, alia pluribus brevia et abſciſſa ſunt? Cur in circumductionibus, etiam cum ſenſus finitus eſt,
119 aliquid tamen loci vacare videtur [b]? *Neminem veſtrum ignorare arbitror, judices, hunc per hoſce dies ſermonem vulgi, atque hanc opinionem populi Romani fuiſſe.* Cur *hoſce* potius, quam *hos?* Neque enim erat aſperum. Rationem fortaſſe non reddam, ſentiam eſſe melius. Cur non ſatis ſit, *ſermonem vulgi fuiſſe?* Compoſitio enim patiebatur. Ignorabam [c]; ſed ita ut audio, hoc animus accipit ple-

[n] ideoque G. [o] quæ poëma ſent. Jenſ. quæ poëma ſunt G. [p] conſiderant G. [q] *om.* G. [r] levibus Jenſ. [s] ſi G. [t] laborant et compoſitione variata G. variata *etiam* Jenſ. laboranti etiam, compoſitione variata, ſæpe ſuccurrunt *placebat Liebio.* [u] ſcriptum Jenſ. [x] nullum G. Jenſ. [z] *om.* G. [a] poſſunt Jenſ. [b] videatur G. Jenſ. [c] *Vid. leg.* Ignorabo. *vid. not.*

115. *Fauni vateſque*] Ex Ennio, quod laudat etiam Cic. Orat. 51. *Verſibu' quos olim Fauni vateſque canebant.*

117. *Figuræ laboranti*] Sententia aperta attendenti, *Figuræ variatæ ſuccurrunt compoſitioni laboranti.* Ad evitandam, quæ ex nominum ſimiliter cadentium concurſu oritur, obſcuritatem, ita conjiciebat Burmannus, *Figuræ etiam, compoſitione variata, laboranti* (int. oratori) *ſæpe ſuccurrunt.* Vel, *Figuræ laborantibus etiam, compoſitione variata, ſæpe ſuccurrunt.*

119. *Neminem veſtrum*] Principium libri primi in Verrem.

119. *Ignorabam*] Poſſit forte hoc *Ignorabam* per ironiam intelligi, et ad ultima, *compoſitio enim patieba-*

num sine hac geminatione non esse. Ad [d] sensum igitur 120
referenda sunt. Nequeas [e] satis forte, quid severum, quid
jucundum sit, intelligere: facias [f] quidem natura duce
melius, quam arte: sed naturæ [g] ipsi ars inerit. Illud 121
prorsus oratoris, scire ubi quoque genere compositionis
sit utendum. Ea duplex observatio: altera, quæ ad pedes
refertur; altera, quæ ad comprehensiones, quæ efficiuntur
ex pedibus. Et de his prius. Diximus igitur 122
esse *incisa, membra, circuitus. Incisum* (quantum mea fert
opinio) erit sensus [h] non expleto numero conclusus [i];
plerisque pars membri. Tale est enim, quo Cicero utitur,
*Domus tibi deerat? at habebas: pecunia superabat? at
egebas.* Fiunt autem etiam singulis verbis incisa, ut [l],
Diximus, testes dare volumus: incisum est, *diximus. Mem-* 123
brum autem est sensus numeris [m] conclusus, sed a toto corpore
abruptus, et per se nihil efficiens. Id [n] enim, *O callidos
homines*, perfectum est [o]: at, remotum a ceteris, vim
non habet, UT per se manus, et pes, et caput: et [p], *O rem
excogitatam*, o [q] *ingenia metuenda.* Quando ergo incipit
corpus esse? cum venit extrema conclusio, *Quem, quæso* [r],
nostrum fefellit, id vos [s] *ita esse facturos?* Quam Cicero
brevissimam putat. Itaque fere incisa et membra mixta [t]
sunt, et conclusionem utique desiderant. *Periodo* plurima 124
nomina dat Cicero, *ambitum, circuitum, comprehensionem,
continuationem, circumscriptionem.* Genera ejus duo sunt:
alterum simplex, cum sensus unus longiore ambitu circumducitur;
alterum, quod constat membris et [u] incisis,
quæ plures sensus habent: *Aderat janitor carceris, et carnifex
prætoris*, et [x] reliqua. Habet *periodus* [z] membra

[d] *om.* G. [e] Nequis G. [f] faciant G. Jens. [g] naturis ipsis Jens. [h] sensu Jens. [i] inclusum G. conclusum Jens. [l] *om.* Jens. [m] membris G. Jens. [n] Ideo o *iid.* [o] esse ac G. [p] *om.* G. Jens. [q] ó ing. met. *om. iid. et al. ap. Bur.* [r] quasi *iid.* [s] nos G. [t] immixta G. [u] *om.* G. Jens. [x] *om.* G. [z] periodos G. Jens.

tur, referri. Non diffiteor tamen, multo mihi digniorem Fabio sententiam videri, si legamus, *Ignorabo:* æquo animo fatebor me nescire, certe explicare oratione non posse, *cur non satis* sit, *sermonem vulgi fuisse?* Ita respondebit illis: *Rationem forte non reddam* &c.

120. *Ad sensum igitur referenda*] Ad judicium illud a natura ortum, et firmatum, quod hodie *gustum* solemus appellare, de quo disputare difficile est, in quo deprehenditur tamen aliquis ingeniosissimorum quorumque consensus.

122. *Cicero utitur*] Orat. 67. unde etiam reliqua petita sunt. Nomina autem periodi ex ejusdem libri c. 61. *Aderat janitor* Cic. Verr. 5, 45.

125 minimum duo. Medius numerus videtur quatuor: ſed recipit frequenter et plura. Modus ei [a] a Cicerone aut quatuor ſenariis verſibus, aut ipſius ſpiritus modo terminatur [b]. Præſtare debet, ut ſenſum concludat; ſit aperta, ut intelligi poſſit; non immodica, ut memoria contineri. Membrum longius juſto [c], tardum: brevius [d], in-
126 ſtabile [e] eſt. Ubicumque acriter erit et inſtanter pugnaciterque dicendum, membratim cæſimque [f] dicemus. Nam hoc [g] in oratione plurimum valet: adeoque rebus accommodanda [h] compoſitio, ut aſperis aſperos etiam numeros adhiberi oporteat, et cum dicente æque [i] audientem [l] in-
127 horreſcere. Membratim plerumque narrabimus, aut ipſas periodos majoribus intervallis, et velut laxioribus nodis [m] reſolvemus: exceptis quæ non docendi gratia, ſed ornandi narrantur: ut in Verrem *Proſerpinæ raptus*. Hic
128 enim lenis et fluens contextus decet. Periodus apta procemiis majorum cauſſarum, ubi [n] ſolicitudine, commendatione, miſeratione res eget. Item communibus locis, et in omni amplificatione: ſed poſcitur [o] tum auſtera, ſi accuſes; tum fuſa, ſi laudes. Multum et in epilogis pollet.
129 Totum autem [p] adhibendum eſt, quo [q] ſit amplius compoſitionis genus, cum judex non ſolum rem tenet, ſed etiam captus eſt oratione, et ſe credit actori, et voluptate jam ducitur. Hiſtoria non tam finitos numeros, quam orbem [r] quemdam contextumque deſiderat. Namque omnia ejus membra connexa ſunt, [s] quoniam lubrica eſt, ac fluit: ut homines, qui manibus invicem apprehenſis gra-
130 dum firmant, continent et continentur. *Demonſtrativum*

[a] ejus Jenſ. [b] terminatus pr. G. *non male*. [c] *om.* Jenſ. [d] brevium *id.* [e] ſtabile G. Jenſ. [f] ſenſimque G. [g] hac or. G. [h] accommodata G. Jenſ. [i] atque *iid.* [l] audiente G. [m] modis G. Jenſ. [n] quibus G. [o] poſcit Jenſ. [p] *om.* G. [q] quod G. [r] obicem quandam Jenſ. [s] et *inſ.* G.

125. *a Cicerone*] Orat. 66. *E quatuor igitur, quaſi hexametrorum inſtar verſuum quod ſit, conſtat fere plena comprehenſio* &c.

125. *Præſtare debet*] Eam vim hujus verbi puto; De modo ſ. menſura periodi, ut res tulerit: neque enim certum quidquam in univerſum poteſt præcipi. At illud quidem certo præſtare debet, ut ſenſum concludat, et rel.

127. *Proſerpinæ raptus*] In Verr. 4, 48.

128. *auſtera, ſi accuſes*] Vid. ad 9, 4, 64.

129. *Totum autem adhibendum*] Quidquid habet ars numeroſæ orationis, adhibendum eſt eo tempore &c. Ex Cic. Orat. 62. *Genus autem hoc orationis neque totum aſſumendum eſt ad cauſſas forenſes, neque omnino repudiandum.—Id autem tum valet, cum is, qui audit, ab oratore jam obſeſſus eſt, ac tenetur.*

genus omne fuſiores habet liberioreſque numeros. *Judiciale* et *concionale*, ut materia varium eſt, ſic etiam ipſa collocatione verborum. Ubi jam nobis pars ex duabus, quas modo fecimus, ſecunda tractanda eſt. Nam [t] quis dubitat alia lenius, alia concitatius, alia ſublimius, alia
pugnacius, [u] alia gravius eſſe dicenda? Gravibus, ſubli- 131
mibus, ornatis longas magis ſyllabas convenire? Ita ut lenia ſpatium, ſublimia et ornata claritatem quoque vocum [x] poſcant [z], potius quam his contraria. Magis laudarem [a] brevibus argumenta, partitiones [b], jocos, et quid-
quid eſt ſermoni magis ſimile. Itaque componemus pro- 132
œmium varie, atque ut ſenſus ejus poſtulabit. Neque enim acceſſerim Celſo, qui unam quamdam huic parti formam dedit: et optimam compoſitionem eſſe procemii, ut apud Aſinium, dixit [c], *Si, Cæſar, ex omnibus mortalibus, qui ſunt, ac fuerint, poſſet huic cauſſæ diſceptator legi, non*
quiſquam te potius optandus nobis fuit. Non quia negem 133
hoc [d] bene eſſe compoſitum, ſed quia legem hanc eſſe componendi in omnibus principiis recuſem. Nam judicis animus varie præparatur: tum miſerabiles eſſe volumus, tum modeſti, tum acres, tum graves, tum blandi [e], tum flectere, tum ad diligentiam hortari. Hæc ut ſunt diverſa natura, diſſimilem componendi quoque rationem de-
ſiderant [f]. An ſimilibus Cicero uſus eſt numeris in exor-
dio pro *Milone*, pro *Cluentio*, pro *Ligario*? Narratio fere 134
tardiores, atque, ut ſic dixerim, modeſtiores deſiderat pedes, et nominibus maxime mixtos. Nam et verbis, ut ſæpius preſſa eſt, ita interim inſurgit: ſed docere et infigere animis res ſemper cupit, quod minime feſtinantium opus eſt. Ac mihi videtur tota narratio conſtare lon-
gioribus periodis. Argumenta acria et citata pedibus 135
quoque ad hanc naturam accommodatis utentur, non tamen [g] ita ut trochæis, quæ celeria quidem, ſed ſine viribus ſunt. Verum quamvis ſint [h] brevibus longiſque mixta, non tamen plures longas, quam breves habentia.
Illa ſublimia ſpatioſas claraſque voces habent, amant am- 136

[t] nam dubitatur G. [u] alia gratius *inſ.* G. Jenſ. [x] vocabula G. vocalium Jenſ. [z] *om.* G. [a] laudare Jenſ. [b] partitionem locos G. [c] dixi G. [d] aut *inſ.* G. [e] blanditiis fl. G. [f] *om.* G. [g] nondum G. Jenſ. enim *inſ.* Jenſ. [h] ſit G.

130. *quas modo fecimus*] Redi ad ſ. 121. De comprehenſionibus dixit, nunc de pedibus.

131. *quidquid eſt ſermoni*] Compara ſ. 110.

plitudinem *dactyli* quoque, ac *pæonis*, etiamſi majori [i] ex parte ſyllabis brevibus, temporibus tamen ſatis pleni. Aſpera contra *iambis* [l] maxime concitantur: non ſolum quod ſint e duabus modo ſyllabis, eoque frequentiorem quaſi pulſum habent, quæ res lenitati contraria eſt: ſed etiam quod omnibus partibus [m] inſurgunt, et a brevibus in longas nituntur et creſcunt: ideoque meliores *choreis*,
137 qui a longis in breves cadunt. Submiſſa, qualia in epilogis, [n] lentas et ipſa, et minus exclamantes exigunt. Vult eſſe Celſus aliquam et ſuperiorem compoſitionem, quam ſi quidem [o] ſciremus [p], doceremus: ſed ſit [q], neceſſe eſt, tarda et ſupina. Verum niſi ex verbis atque ſententiis per ſeſe id quæritur, ſatis odioſa eſſe non pote-
138 rit. Denique, ut ſemel finiam, ſic fere componendum, quo modo pronuntiandum erit. An [r] non in procœmiis plerumque ſubmiſſi [s], (niſi cum in accuſatione concitandus eſt judex, aut aliqua indignatione complendus) in narratione pleni atque expreſſi, in argumentis citati, atque ipſo etiam motu celeres ſumus [t]? ut in locis ac deſcriptionibus fuſi ac fluentes, in epilogis plerumque dejecti et
139 infracti? Atque [u] corporis quoque motui [x] ſua quædam tempora, et [ad [y] ſigna pedum] non minus ſaltationi, quam modulationibus adhibet muſica [z] ratio numeros [a]. Quid? non vox et actus accommodatur naturæ [b] ipſarum, de quibus dicimus, rerum? Quo minus id mirum in pedibus orationis, cum debeant ſublimia ingredi, lenia duci,

[i] major G. [l] iambus max. concitatus G. Jenſ. [m] pedibus *iid.* [n] ſed *inſ. iid.* [o] equidem G. quidem Jenſ. [p] ſcire nos Jenſ. [q] ſint G. [r] At enim Jenſ. [s] ſummis *id.* [t] ſimus *id.* [u] Ad que G. Atque Jenſ. Atqui *al.* [x] motus G. [y] *Incluſa videntur eſſe e gloſſa.* [z] muſicam G. [a] numerorum G. Jenſ. [b] natura *iid.*

136. *temporibus ſatis pleni*] V. g. vox quatuor ſyllabarum brevium tantundem, aut plus adeo valet ea, quæ duas habet longas &c.

137. *Vult eſſe Celſus*] Neque quid velit Celſus, neque quid de conſilio ejus judicet Fabius, intelligi a me confiteor. Veniebat in mentem legere, *vult eſſe Celſus aliquam et ſupiniorem compoſitionem*; ac *ſupiniorem* intelligebam negligentia quadam et quaſi faſtidio auditorum odioſam. Succurrebat illud 11, 3, 122, *Eſt odioſa omnis ſupinitas.* Sed mihi ipſe non ſatisfacio.

139. [*ad ſigna pedum*] Puto voluiſſe aliquem explicare *numeros*, qui ſaltationi adhibentur, eaque *ſigna pedum* vocaſſe, ut nempe hodie etiam libri extant, in quibus pedes ſinguli atque gradus ſaltantibus geometrica quadam, certe lineari ratione præſcripti ſunt. Fabius nempe argumentatur a ſaltatione iſta et actione hiſtrionum, quorum motus præſcripti illi quidem, ſed ad argumentum fabulæ accommodati ſunt: quidni idem fiat in actione oratoris?

acria currere, delicata fluere. Itaque ubi eſt neceſſe, af- 140
fectamus etiam tumorem [c], qui [d] ſpondeis atque iambis maxime continetur,

En impero [e] Argis, ſceptra mi [f] liquit Pelops.

At ille comicus æque ſenarius, quem *trochaicum* vocant, pluribus choreis, qui trochæi ab aliis dicuntur. *Pyrrhi-* 141
chius quidem decurrit : ſed quantum celeritatis habet [g], tantum gravitatis amittit,

Quid igitur faciam? non [h] eam, ne nunc quidem?

Aſperum [i] vero et maledicum, etiam in carmine, iambis graſſatur [l],

Quis hoc poteſt videre, quis poteſt pati,
Niſi impudicus, et vorax, et aleo?

In univerſum autem, ſi ſit neceſſe, duram potius atque 142
aſperam compoſitionem malim eſſe, quam effeminatam et enervem, qualis apud multos : et quotidie magis laſcivimus [m] ſyntonorum modis ſaltitantes. Ac ne tam bona quidem ulla erit, ut debeat eſſe continua, et in [n] eoſdem
ſemper pedes ire. Nam et verſificandi genus eſt, unam 143
legem omnibus ſermonibus dare : et id cum manifeſta affectatione, (cujus [o] rei maxime cavenda ſuſpicio eſt) tum etiam ſimilitudine tædium [p] ac ſatietatem [q] creat : quoque eſt dulcius, magis perit [r] : amittitque et fidem, et affectus, motuſque omnes [s], qui eſt in hac cura deprehen-

[c] tumor rerum G. [d] ex G. et Jenſ. [e] Hyperoargus *plerique libri et edd.* Hyproargus ſcripta G. *Vid. not.* [f] mihi *hic et ap. Sen. al.* [g] *om.* G. Jenſ. [h] non eam *om.* Jenſ. [i] Aſpere—maledicunt dixit etiam G. Jenſ. [l] graſſantur *iid.* [m] laſcivi ſumus G. laſciviſſimus ſed in tonorum Jenſ. laſcivimus Sybaritarum modis *Aſcenſ. et al.* [n] ideo G. [o] cui G. [p] tædium ex ſimilitudine G, Jenſ. [q] ſatietate G. [r] perdit atque fidem G. [s] omnis G.

140. *En impero Argis*] Nihil dubitavi recipere emendationem, quam e Senecæ epiſt. 80 certiſſimam propoſuit Turn. Adv. 12, 11.

140. *pluribus choreis*] Int. ex ſuperioribus *continetur.*

141. *Quid igitur*] Principium Eunuchi Terent. *Quis hoc poteſt* Catull. 27.

142. *ſyntonorum modis*] Si *Sybaritarum* depromſit ex horrendæ vetuſtatis Lexovienſi libro Aſcenſius, quod in univerſum præfert in titulo et præfatione editionis 1519, f. nihil aliud quærendum. Notum enim ex Athenæo 12, 6, adeo illos deditos fuiſſe numeris, ut etiam equos ſaltare docerent ; quæ res exitio illis fuit. Sed *ſyntona* quoque explicat Salmaſ. ad Carin. 19, p. 840, a Hack. *ſcabilla ſymphoniacorum,* quæ ſine toni variatione, tenore quodam perpetuo, unoque rhythmo, percutiebantur. Explicat, inquam, ſed non adfert ejus ſignificationis auctorem.

ſus: nec poteſt ei credere, aut propter eum dolere et
144 iraſci judex, cui putat hoc vacare. Ideoque [t] vincta quædam quaſi ſolvenda de induſtria ſunt; [u] illa quidem maximi laboris, ne laborata videantur. Sed neque longioribus, quam oportet, hyperbatis compoſitioni ſerviamus, ne, quæ ejus gratia fecerimus, propter eam [x] feciſſe videamur. Et certe nullum aptum atque idoneum ver-
145 bum prætermittemus [z] gratia lenitatis. Neque enim erit ullum tam difficile, quod non commode inſeri poſſit: niſi quod in evitandis ejuſmodi verbis non decorem compoſitionis quærimus, ſed facilitatem. Non tamen mirabor, Latinos magis indulſiſſe compoſitioni, quam Atticos, quam-
146 vis minus in verbis habeant varietatis [a] et gratiæ. Nec vitium dixerim, ſi Cicero a Demoſthene paullulum in hac parte deſcivit. Sed quæ ſit differentia noſtri Græcique ſermonis, explicabit ſummus liber. *Compoſitio* (nam finem imponere egreſſo deſtinatum modum voluminis feſti-
147 no) debet eſſe *honeſta, jucunda, varia.* Ejus tres partes, *ordo, conjunctio, numerus. Ratio,* in adjectione, detractione, mutatione. *Uſus* [b] pro natura rerum [c], quas dicimus. *Cura* magna, ut ſentiendi atque loquendi prior ſit. Diſſimulatio curæ [d] præcipua, ut numeri [e] ſponte fluxiſſe [f], non [g] arceſſiti et coacti eſſe videantur.

[t] Ideo quod interim (intima Jenſ.) quædam G. Jenſ. [u] quædam illa max. *iid.* [x] *om.* Jenſ. [z] permutemus G. [a] veritatis G. Jenſ. [b] Uſu G. [c] rei quam G. [d] cura G. [e] numerum G. Jenſ. [f] flexiſſe Jenſ. [g] arceſſiſſe nec *inſ.* G. arceſſiſſe: ne *inſ.* Jenſ.

145. *niſi quod in evitandis*] *Niſi* hic ut ſæpiſſime alias pro *ſed* ponitur.

146. *ſummus liber*] 12, 10.

M. FABII QUINCTILIANI

DE

INSTITUTIONE ORATORIA

LIBER DECIMUS.

SED hæc eloquendi præcepta, ſicut cognitioni [a] ſunt neceſſaria, ita non ſatis ad vim dicendi valent, niſi illis firma [b] quædam facilitas, quæ apud Græcos ἕξις nominatur, acceſſerit: quam *ſcribendo* plus, an *legendo*, an *dicendo* conſequamur, ſolere quæri ſcio. Quod eſſet diligentius nobis examinandum [c], ſi qualibet earum rerum poſſemus
2 una eſſe contenti. Verum ita ſunt inter ſe connexa et indiſcreta omnia, ut, ſi quid [d] ex his [e] defuerit, fruſtra ſit in ceteris laboratum. Nam neque ſolida atque robuſta fuerit umquam eloquentia, niſi multo ſtilo vires acceperit: et citra lectionis exemplum labor ille, carens rectore, fluit. Qui autem ſcierit, quo ſint quæque modo dicenda, niſi tamquam in procinctu, paratam quidem ad omnes caſus [f], habuerit eloquentiam, velut clauſis theſauris incu-
3 babit. Non autem ut [g] quidque [h] præcipue neceſſarium eſt, ſic ad efficiendum oratorem maximi protinus erit momenti. Nam certe cum ſit in eloquendo poſitum oratoris officium, *dicere* ante omnia eſt; atque hinc initium ejus artis fuiſſe manifeſtum eſt; proximam deinde *imitationem*,

[a] cogitationi Jenſ. [b] formæ G. Jenſ. *et al. Sed* firma *probatur ab ipſo Fabio mox.* [c] cura *inſ. iid.* [d] qui flexus *iid.* [e] iiſdem Jenſ. [f] cauſſas G. [g] *om.* Jenſ. [h] quidquam G.

2. *labor—fluit*] Fluctuat, fluitat. Nam ſimplex verbum etiam ita poni, apparet ex illo Martial. 4, 66, *Nec merſa eſt pelago, nec fluit ulla ratis.*

3. *hinc initium fuiſſe*] Fuerunt enim ſine dubio prius, qui cum ſæpe dixiſſent, dicerent aliquando digna literarum monumentis, quam qui ſcriberent ea, quæ probata au-

novissimam *scribendi* quoque *diligentiam.* Sed ut perve- 4
niri ad summa, nisi ex principiis non potest: ita procedente jam opere, [i] minima incipiunt esse, quæ prima sunt. Verum nos non, quo modo sit [l] instituendus orator, hoc loco dicimus: (nam id quidem aut satis, aut certe uti potuimus, dictum est) sed ut athletam [m], qui omnia jam perdidicerit a præceptore, nimirum quo genere exercitationis ad certamina præparandus sit; ita eum, qui res invenire et disponere sciet, verba quoque et eligendi [n] et collocandi rationem perceperit, instruamus, qua [o] ratione, quæ didicit, facere quam optime et quam facillime possit.
Num [p] ergo dubium est, quin ei velut opes sint quædam 5
parandæ [q], quibus uti, ubicumque desideratum erit, possit? Eæ [r] constant *copia rerum ac verborum.* Sed res pro- 6
priæ sunt cujusque caussæ, aut paucis communes: verba in universas paranda: quæ si [s] rebus singulis essent singula, minorem curam postularent: nam cuncta sese cum ipsis protinus rebus offerrent [t]. Sed cum sint aliis alia aut magis propria, aut magis ornata, aut plus efficientia, aut melius sonantia, debent esse non solum nota omnia, sed in promtu, atque (ut ita dicam) in conspectu, ut, cum se judicio dicentis ostenderint, facilis ex his optimorum sit
electio. Equidem [u] scio, quosdam collecta, quæ idem 7
significarent, vocabula solitos ediscere, quo facilius et occurreret unum ex pluribus, et, cum essent [x] usi aliquo, si [z] breve intra spatium [a] rursus desideraretur, effugiendæ repetitionis gratia sumerent aliud, quo [b] idem intelligi posset. Quod cum est puerile, et cujusdam infelicis operæ, [c] tum etiam utile parum: turbam enim modo congregat, ex qua [d] sine discrimine occupet proximum quodque.
Nobis autem *copia cum judicio* paranda est, vim orandi, 8
non circulatoriam volubilitatem [e] spectantibus. Id au-

[i] jam *inf.* Jenf. [l] *om.* G. Jenf. [m] athleta *iid.* [n] elegendi G. [o] qua in orat. quæ dicere G. Jenf. *et plur. Sed nobiscum jam Vascosan. fol.* 1542. [p] Non *iid.* [q] paranda *iid.* [r] Ei constare Jenf. e constantia G. [s] in *inf.* G. Jenf. [t] offerunt G. [u] Et quæ idem solitos sæpe (scio Jenf.) dicere, quo G. Jenf. [x] esset usui aliquod *iid.* [z] *om.* G. [a] semet ipsum v. desideratur G. Jenf. [b] quod Jenf. [c] i *inf.* G. [d] quo G. [e] voluptatem Jenf.

ditoribus etiam ad posteros vellent transmitti: quis autem legit, cum nemo quidquam scripsisset? Itaque *dicere* ipsum majoris est momenti ad efficiendum oratorem, quam *legere.*

4. *minima—quæ prima*] V. g. literarum elementa, in oratore vel philosopho.

tem consequemur[f] *optima legendo atque audiendo.* Non
solum[g] enim nomina ipsa rerum cognoscemus[h] hac cura,
9 sed cui[i] quodque[l] loco sit aptissimum. Omnibus enim
fere verbis[m], præter pauca, quæ sunt parum verecunda,
in oratione locus est. Nam scriptores quidam[n] iambo-
rum, veterisque comœdiæ, etiam in illis sæpe laudantur:
sed nobis nostrum opus interim tueri satis est. Omnia
verba (exceptis de quibus dixi) sunt alicubi optima:
nam[o] et humilibus interim et vulgaribus est opus, et quæ
cultiore[p] in parte videntur sordida, ubi res poscit, proprie
10 dicuntur. Hæc ut sciamus, atque eorum non significa-
tionem modo, sed formas etiam mensurasque norimus,
ut[q], ubicumque erunt posita, conveniant, nisi multa lec-
tione atque auditione assequi non possumus; cum omnem
sermonem auribus primum accipiamus. Propter quod
infantes a mutis nutricibus jussu regum in solitudine edu-
cati, etiamsi verba quædam emisisse traduntur, tamen lo-
11 quendi facultate caruerunt. Sunt autem alia hujus na-
turæ, ut idem pluribus vocibus declarent, ita ut nihil sig-
nificationis, quo potius utaris, intersit: ut *ensis* et *gladius*.
Alia, quæ etiamsi propria rerum aliquarum sint nomina,
τροπικῶς[r] tamen ad eumdem intellectum feruntur, ut *fer-*
12 *rum* et *mucro*. Nam per abusionem *sicarios* etiam omnes
vocamus, qui cædem telo quocumque commiserint. A-
lia[s] circuitu verborum plurium ostendimus: quale est,

[f] sequimur G. consequimur Jens. [g] sola G. [h] cognoscimus Jens.
[i] quid G. [l] quoque G. Jens. [m] rebus Jens. [n] *om.* G. Jens.
[o] *om. iid.* [p] utiliore Jens. *et plur.* cultiore *etiam* G. [q] et G. Jens.
[r] quasi *ins.* Jens. [s] Talia G. Jens. *Adhæsit* T *ex proximo.*

9. *scriptores iamborum*] Græci, quorum fragmenta passim sunt apud Athenæum: sed Priapeia etiam quædam et Martialis obscena iambica sunt.

10. *formas mensurasque*] Ut sciamus, cui quodque rei accurate conveniat? hæc *forma* est: quam late pateat? sitne latius an angustius? hæc *mensura*.

10. *infantes a mutis nutricibus*] Quod experimentum Psammetichus Ægyptiorum rex fecisse dicitur. Herod. 2, 2. Add. Schol. Apollon. Argon. 4, 262. Notum cæteroquin est, surdos a natura ob id ipsum mutos eosdem esse, quod loquentes alios non audiant: idemque accidere, si qui sint, θηριοθρέπτοις.

11. *ensis et gladius*] Contra apud Germanos hodie multum interest inter nomina olim synonyma *Schwert* et *Degen*: quorum hoc nunquam de carnificis opere, illud nunquam de honoris insigni adhibetur: cum *ensem* et *gladium* Latini scriptores sine ullo, quod observatum sit, discrimine dicant; nisi quod observo, *ensem* familiariorem longe esse Virgilio, quo vel quinquagies usus sit, vix quater *gladio*.

——— *Et preſſi copia lactis.*

Plurima vero mutatione ſiguramus, *Scio*, *Non ignoro*, et, *Non me fugit*, *Non me præterit*, et, *Quis*[t] *neſcit? Nemini dubium eſt*. Sed etiam ex proximo mutuari licet. Nam 13
et *intelligo*, et *ſentio*, et *video*, ſæpe idem valent, quod *ſcio*. Quorum nobis ubertatem ac divitias dabit lectio, ut his[u] non ſolum quo modo occurrerint, ſed etiam quo modo oportet[x], utamur. Non ſemper enim hæc inter ſe idem 14
faciunt: nec ſicut de intellectu animi recte dixerim, *video*, ita de viſu[z] oculorum, *intelligo*: nec ut *mucro* gladium, ſic *mucronem* gladius oſtendit. Sed ut copia[a] ver- 15
borum ſic paratur, ita non verborum tantum gratia legendum vel audiendum eſt. Nam omnium, quæcumque docemus, hoc ſunt exempla potentiora etiam ipſis[b], quæ traduntur, artibus, cum eo, qui diſcit, perductus eſt, ut[c] intelligere ea ſine demonſtrante, et ſequi jam ſuis viribus poſſit: quia, quæ doctor[d] præcipit, orator oſtendit. Alia 16
vero legentes, alia audientes magis adjuvant. [e]Excitat, qui dicit, ſpiritu ipſo, nec imagine et[f] ambitu rerum, ſed rebus incendit. Vivunt enim omnia, et moventur, excipimuſque nova illa, velut naſcentia, cum favore ac ſolicitudine. Nec fortuna modo judicii, ſed etiam ipſorum, qui orant, periculo afficimur. Præter hæc, vox et actio 17
decora, commoda[g], ut[h] quiſque locus poſtulabit, pronuntiandi vel potentiſſima in dicendo ratio, et ut ſemel dicam, pariter omnia docent[i]. In lectione certius judicium, quod audienti frequenter aut ſuus cuique favor, aut ille laudantium clamor extorquet. Pudet enim diſſentire, et 18

[t] qui G. [u] *om.* G. Jenſ. [x] *Sic iid.* oporteat *al.* [z] uſu G. [a] copioſus verborum ſit paratus G. Jenſ. *et plur. apud Burm.* [b] ipſius Jenſ. [c] *om.* Jenſ. non G. [d] decor G. [e] Et *inſ.* G. Jenſ. [f] etiam G. [g] commendat G. [h] quid *inſ.* G. Jenſ. [i] docet G.

14. *mucronem gladius*] Quin nec *mucro* ſemper gladium. Quis enim, niſi fatuus, dixerit, *I puer, adfer mihi mucronem*, cum gladium ſibi dari poſtulat? Scilicet in ipſis etiam tropis verum ineſſe debet: recteque poeta *mucrone peremtum* aliquem dicit: neque enim profecto *capulo*. In hoc quidem exemplo vix quiſquam peccat; utinam nec in aliis.

16. *ambitu rerum*] Deſcriptione, ſ. periphraſi. *Ambitus* enim non ad *periodum* modo et *orbem* illum verborum pertinet, ſed ad copiam verborum ſimpliciter et multitudinem. Sic Plin. 15, 30, ſ. 39, *Id quoque, quod daphnoides vocatur*, lauri *genus in nominum ambitu eſt*. *Alii enim Pelaſgum, alii eupetalon, alii ſtephanon Alexandri vocant*.

17. *laudantium clamor*] Vid. ad 4, 2, 37. Pertinet huc nobilis Hieronymi narratio ex Epiſt. ad Nepotianum de vita Clericor. fol. 16, b.

velut[l] tacita quadam verecundia inhibemur plus nobis
credere; cum interim et vitiosa pluribus placeant[m], et a
19 corrogatis laudentur etiam, quæ non placent. Sed e con-
trario quoque accidit, ut optime dictis gratiam prava ju-
dicia non referant. Lectio libera est, nec actionis impetu
transcurrit: sed repetere sæpius licet, sive dubites, sive
memoriæ penitus[n] affigere velis. Repetamus[o] autem, et
tractemus, et UT cibos mansos ac prope liquefactos de-
mittimus, quo facilius digerantur, ita lectio non cruda,
sed multa iteratione mollita, et velut confecta, memoriæ
20 imitationique tradatur. Ac diu non nisi optimus quisque,
et qui credentem sibi minime fallat, legendus est, sed di-
ligenter, ac pene ad scribendi solicitudinem: nec per
partes modo scrutanda omnia, sed perlectus liber utique
ex integro resumendus, præcipueque[p] oratio, cujus virtu-
21 tes frequenter ex industria quoque occultantur. Sæpe
enim præparat, dissimulat[q], insidiatur orator, eaque in
prima parte actionis dicit, quæ sunt in summa profutura.
Itaque suo loco minus placent, adhuc nobis, quare dicta
sint, ignorantibus: ideoque erunt cognitis omnibus repe-
22 tenda. Illud vero utilissimum, nosse eas caussas, quarum
orationes in manus sumserimus[r]: et quoties continget,
utrimque habitas legere actiones: ut Demosthenis atque
Æschinis inter se contrarias: ut Servii Sulpicii et[s] Mes-
salæ, quorum alter pro Aufidia, contra dixit alter: et Pol-
lionis et Cassii[t] reo[u] Asprenate, aliasque plurimas. Quin-

[l] illud G. Jens. [m] placent—laudantur *iid.* [n] *om. iid.* [o] Repetimus et tractamus *iid.* [p] præcipue *iid.* [q] dissimulatim insidias orator atque *iid.* [r] sumsimus Jens. [s] atque G. Jens. [t] contra *ins.* G. [u] reus aspernatus est G. Jens. Reus Asprenas est *conj. Ptol. Flavius Obss.* c. 58, *Lamp. Grut.* T. 1, p. 977.

Erasmi. *Præceptor quondam meus, Gregorius Nazianzenus, rogatus a me ut exponeret, quid sibi vellet in Luca Sabbathum* δευτερόπρωτον, *eleganter lusit, Docebo te, inquiens, super hac re in Ecclesia, in qua mihi omni populo acclamante, cogeris invitus scire quod nescis: aut certe si solus tacueris, solus ab omnibus stultitiæ condemnaberis. Nihil tam facile, quam vilem plebeculam, et indoctam concionem linguæ volubilitate decipere, quæ quidquid non intelligit, plus miratur.*

22. *Servii Sulpicii*] Hujus *contra Aufidiam* oratio laudatur 6, 1, 20.

22. *reo Asprenate*] *Asprenas Nonius arctius* Augusto *junctus caussam veneficii accusante Cassio Severo dixit*, teste Sueton. Aug. 56. De *patinis* agens Plin. 35, 12, s. 46, *Non illa*, inquit, *fœdiore, cujus veneno Asprenati reo Cassius Severus accusator objiciebat interisse CXXX convivas.* Igitur Pollio pro Asprenate dixit, quod etiam utriusque personæ ingenium, et reliqua ratio faceret probabile, si nesciremus: cum Pollio, in amicitia

etiam, si minus pares videbuntur, aliquæ tamen ad cognoscendam litium quæstionem recte requirentur: ut contra Ciceronis orationes, Tuberonis in Q. Ligarium, et Hortensii pro Verre. Quin[x] etiam, easdem caussas ut[z] quisque egerit, utile erit scire. Nam pro domo Ciceronis dixit Calidius: et[a] pro Milone orationem Brutus exercitationis gratia scripsit, etiamsi egisse eum Cornelius Celsus falso existimat. Et Pollio ac Messala defenderunt eosdem, et nobis pueris insignes pro Voluseno Catulo, Domitii Afri, Crispi Passieni, Decimi Lælii orationes ferebantur. Neque id statim legenti persuasum sit[b], omnia, quæ magni[c] auctores dixerint, utique esse perfecta. Nam et labuntur[d] aliquando, et oneri cedunt, et indulgent ingeniorum suorum voluptati: nec semper intendunt animum, et nonnumquam fatigantur: cum Ciceroni dormitare interim Demosthenes, Horatio vero etiam Home-

23 (margin, line 1); 24 (margin, line 9)

[x] Quis G. Jens. [z] utrisque erit scire. nam de *iid.* [a] et pro Mil. *om.* G. [b] se Jens. [c] omnes G. Jens. [d] labant Jens.

Augusti qui esset, *arctius illi junctum* defendere sibi gloriæ duxerit, et huic etiam *mæsto præsidium reo* (Horat. 2, 1, 13,) esse: Cassius Severus autem animum illum potentiæ contemtorem, et inimicitiarum immodicum, hic ostenderit. Vide quæ de illo Tac. Ann. 4, 21; et adde specimen illius in regnatricem domum reverentiæ, prolatum ad 9, 2, 27. Exordium autem hujus ipsius orationis, viro dignum, infra 11, 1, 57. Hæc faciunt, ut non placeat proposita supra Ptolemæi Flavii conjectura; quandoquidem *Pollionis et Cassii reus* est, quem Pollio et Cassius accusant. Non accusavit autem, nisi parum fuit aulicus, Pollio amicum Augusti, et loquitur Fabius de *actionibus utrinque* habitis: a quibus distinguit statim *easdem caussas* a pluribus actas.

23. *pro Milone Brutus*] Meminit etiam 10, 5, 20.

24. *orationes ferebantur*] Rationes temporum Quinctiliani diligentissime suo more persecutus est Dodwellus: satis fuerit hic post Burmannum observare, formula hac, *orationes ferebantur*, non hoc indicari necessario, auditos omnes, qui hic indicantur, a Fabio; sed illud modo, in manibus hominum et laudibus tum fuisse has orationes.

24. *Horatio — Homerus*] Art. Poet. 359. *Indignor, quandoque bonus dormitat Homerus.* Non puto errasse hic Fabium circa vim τῆς *quandoque*, quam interpretabantur ante, quam prodita esset Victoriana ad Colum. 2, 4, 5, adnotatio, per *interdum*, pro quo *interim* ponere ipse solet: sed indicat modo, quod ex Horatii verbis sequitur. Si enim *indignatur* Horatius, *quandoque* i. e. quandocunque *dormitat Homerus*; consequens est, ut illum dormitare interdum fateatur. Neque tribuit Ciceroni verbum *dormitare*, quo ille in hoc argumento non est usus, sed verbo Horatiano etiam Tullii de Demosthene judicium complexus est, quod habetur in Orat. 29. *Tantum abest ut nostra miremur, ut usque eo difficiles ac morosi simus, ut nobis non satisfaciat ipse Demosthenes; qui quanquam unus eminet inter omnes in omni genere dicendi, tamen non*

25 rus ipſe videatur. Summi enim[e] ſunt, homines tamen: acciditque iis, qui, quidquid apud illos repererunt, dicendi legem putant, ut deteriora imitentur, (id enim eſt facilius) ac ſe abunde ſimiles putent[f], ſi vitia magnorum
26 conſequantur. Modeſte tamen et circumſpecto judicio de tantis viris pronuntiandum eſt, ne (quod pleriſque accidit) damnent, quæ non intelligunt. Ac[g] ſi neceſſe eſt in alteram errare partem, omnia eorum legentibus pla-
27 cere, quam multa diſplicere maluerim. Plurimum dicit oratori conferre Theophraſtus lectionem poetarum: multique ejus judicium ſequuntur: neque immerito. Namque ab his et in rebus ſpiritus, et in verbis ſublimitas, et in affectibus motus omnis, et in perſonis decor petitur, præcipueque velut attrita quotidiano actu forenſi ingenia, optime rerum talium blanditia reparantur[h]. Ideoque in
28 hac lectione Cicero requieſcendum putat. Meminerimus tamen, non per omnia poetas eſſe oratori ſequendos, nec libertate verborum, nec licentia figurarum; totumque[i] illud ſtudiorum genus oſtentationi comparatum, [l]præter id, quod ſolam petit voluptatem, eamque, fingendo non falſa modo, ſed etiam quædam incredibilia, ſectatur, pa-
29 trocinio quoque aliquo juvari: quod alligati[m] ad certam pedum neceſſitatem non ſemper propriis uti poſſint, ſed depulſi[n] a recta via, neceſſario ad eloquendi quædam deverticula confugiant: nec mutare quædam modo verba, ſed extendere, corripere, convertere, dividere cogantur: nos vero armatos ſtare in acie, et ſummis de rebus decer-
30 nere, et ad victoriam niti [decet[o].] Neque ego arma ſqualere[p] ſitu ac rubigine velim, ſed fulgorem[q] his ineſſe, qui terreat, qualis eſt ferri, quo mens ſimul viſuſque perſtringitur[r]: non QUALIS auri argentique, imbellis, et

[e] *om.* G. [f] putant G. Jenſ. [g] At G. [h] reperiantur Jenſ. *male.* [i] totumque ill. ſtud. *om.* G. Jenſ. [l] et *inſ. iid.* [m] alligata *iid.* [n] repulſi Jenſ. [o] *om.* G. Jenſ. *recte ſane: eſt enim e gloſſa non attendentis ſpendere orationem a verbo* meminerimus. [p] ſqualore—fulgore muniſſe Jenſ. [q] fulgore nimis ſeque terreat G. [r] *Sic* G. perſtringatur *al.*

ſemper implet aures meas. Ita ſunt avidæ et capaces, et ſemper aliquid immenſum infinitumque deſiderant. Vid. tamen infra 12, 1, 22.

25. *homines tamen*] Formula ſolennis, de qua Burm. ad Petron. 75: ubi etiam Terentianum illud *homo ſum*, initio Heautontimorumeni, a communi huc trahentium errore vindicat.

27. *Cicero requieſcendum*] Pro Archia c. 6.

30. *fulgorem—qui terreat*] Vid. ſupra 8, 3, 5.

30. *perſtringitur*] Poſui indicativum modum, auctoritate Gotha-

potius habenti periculosus. Historia quoque alere oratio- 31
nem quodam molli jucundoque succo [s] potest. Verum et ipsa sic est legenda, ut sciamus, plerasque ejus virtutes oratori esse vitandas. Est enim proxima poetis, et quodam modo carmen solutum: et scribitur [t] ad narrandum, non ad probandum: totumque opus non ad [u] actum rei, pugnamque præsentem, sed ad memoriam posteritatis, et ingenii famam componitur: ideoque et verbis liberioribus, et remotioribus figuris narrandi tædium evitat. Ita- 32
que, ut dixi, neque illa *Sallustiana brevitas*, qua nihil apud aures vacuas atque eruditas potest esse perfectius, apud occupatum variis cogitationibus judicem, et sæpius ineruditum, captanda nobis est: neque illa *Livii lactea ubertas* satis docebit [x] eum, qui non speciem expositionis [z], sed fidem quærit. Adde [a], quod M. Tullius ne 33
Thucydidem quidem aut Xenophontem utiles [b] oratori

[s] suco G. *quod passim probant viri docti.* [t] scribuntur G. Jens. [u] intuitum pug. G. ad intuitum rei Jens. [x] decebit G. Jens. [z] compos. Jens. [a] Audio G. Jens. *male.* Quod dicere fortius audeo, quia *Bas.* [b] inutiles Jens.

na; cum non ad illud *qui terreat* adjunctum sit, sed simpliciter ad describendum ferri splendorem pertineat. Deinde *perstringitur* retineo: neque enim, puto, hic sermo est de hebetandis oculis, et impediendo visu, ubi *præstinguendi* (a quo *præstigiæ*) et forte etiam *præstringendi* verbo locus est, sed de feriendis, et terrore quodam percellendis, qua in re *perstringere* aptissimum esse videtur. Cæterum cognata esse ut scriptione ita significatione *perstringere*, *præstringere*, *præstinguere* non negandum, ac proinde difficillime distingui, et, quid melius conveniat, dijudicari. Sequamur ergo libros. Vid. s. 92.

30. *habenti periculosus*] Nam Alexander aliquis *Illyrios et Thracas rapto vivere adsuetos aciem hostium auro purpuraque fulgentem intueri jubet, prædam non arma gestantem. Irent, et imbellibus feminis aurum, viri, eriperent.* Curt. 3, 10, 9: ubi plura in hanc sententiam Freinshemius.

31. *pugnamque præsentem*] Expressum ex illo Thucydidis de sua historia dicentis 1, 22, extr. *κτῆμα εἰς ἀεὶ μᾶλλον ἢ ἀγώνισμα εἰς τὸ παραχρῆμα ἀκούειν σύγκειται*, quod laudat etiam Plinius jun. 5, 8, 11. ubi explicamus.

33. *Tullius ne Thucydidem*] Orat. 9. *Thucydides res gestas et bella narrat et prælia, graviter sane et probe: sed nihil ab eo transferri potest ad forensem usum et publicum.—Quis porro unquam Græcorum rhetorum a Thucydide quidquam duxit?—Itaque nunquam est numeratus orator.—Nactus sum etiam, qui Xenophontis similem esse se cuperet: cujus sermo est ille quidem melle dulcior, sed a forensi strepitu remotissimus.* Similia in Bruto c. 83, et de Opt. Gen. Orat. 5. extr. Interim aliquid juvari se Thucydidis historiis ediscendis putavit Demosthenes, qui octies eas sua manu descripserit. Lucian. adv. indoct. p. 380. Græv. Τὰ τοῦ Θουκυδίδου παρὰ τοῦ Δημοσθένους ὀκτάκις μετεγγεγραμμένα εὑρέθη καλῶς. Et notum est, quoties illo utantur Dionysii duo, Halicarnassæus atque Longinus.

putat, quamquam illum [c] *bellicum canere*, hujus *ore Musas esse locutas* existimet. Licet tamen nobis in digressionibus uti vel historico nonnumquam nitore, dum in iis, de quibus erit quæstio, meminerimus NON athletarum toros, sed militum lacertos esse: nec versicolorem illam, qua Demetrius Phalereus dicebatur uti, vestem bene ad foren-
34 sem pulverem facere. Est et alius ex historiis [d] usus, et is quidem maximus, sed non ad præsentem pertinens locum, ex cognitione [e] rerum exemplorumque, quibus in primis instructus esse debet orator, ne omnia testimonia expetat [f] a litigatore; sed pleraque ex vetustate diligenter sibi cognita sumat, hoc [g] potentiora, quod ea sola criminibus odii
35 et gratiæ [h] vacant. A philosophorum vero lectione ut essent [i] nobis multa petenda, vitio factum est [k] oratorum, qui [l] quidem illis optima sui operis parte cesserunt [m]. Nam et de justis, honestis, utilibus, [n] quæque sunt his contraria, et de rebus divinis maxime dicunt, et argumentantur acriter: et [o] altercationibus atque interrogationibus ora-
36 torem futurum optime Socratici præparant. Sed his quoque adhibendum est simile judicium, ut etiam cum in rebus versemur iisdem, non tamen eamdem esse conditionem sciamus litium ac disputationum, fori et auditorii,
37 præceptorum et periculorum. Credo exacturos plerosque, cum tantum esse utilitatis in legendo judicemus, ut id quoque adjungamus operi, *qui sint legendi* [p], quæ in quo-

[c] illius bell. canorem G. Jens. [d] historicis us. et iis G. [e] cogitatione G. [f] expectet G. [g] hæc G. Jens. [h] gratia *iid.* [i] esset Jens. [k] alias *ins.* G. Jens. [l] quæ *iid.* [m] censentur *iid.* [n] iisque quæ sint contr. *iid.* [o] ex *iid.* [p] *om. iid.*

33. *Non athletarum toros*] Athletæ enim studiose et victu exquisito ad id aluntur, ut speciosa pulpis et toris habeant corpora, et speciosioribus patentioribusque vulneribus sanguinem copiosiorem fundant. Vid. quæ de gladiatoria illa sagina Lips. Saturn. Serm. 1, 14. Militum adstricta nervis, et ad patienciam omnem durata, nec tamen confecta et emaciata, sed lacertosa adhuc, decent corpora.

33. *versicolorem — vestem*] Pictam nimis et luminibus omnibus distinctam orationem, quam Petronii verbo *maculosam* dicas, intelligi, planum est. Quis illa de Demetrio metaphora usus sit, nondum inveniebam.

35. *Socratici præparant*] In primis Academici, qui caput illud et præcipuam quasi notam Magistri sui, ignorantiæ professionem, dubitationem, disputationem in utramque partem, tenerent: hæc est illa Philosophia, qua se plus uti ait in præf. paradoxôn, *quæ peperit dicendi copiam, et in qua dicuntur ea, quæ non multum discrepant ab opinione populari.*

36. *periculorum*] Notum est, *periculum* a Cicerone sæpe poni pro causarum et litium molestiis.

que auctore præcipua virtus. Sed persequi singulos, in-
finiti fuerit operis. Quippe cum in Bruto M. Tullius tot 38
millibus versuum de Romanis tantum oratoribus loqua-
tur, et tamen de omnibus ætatis suæ, quibuscum [q] vive-
bat, exceptis Cæsare atque Marcello, silentium egerit:
quis erit modus, si et illos, et [r] qui postea fuerunt, et
Græcos omnes, et [s] philosophos, et [t] poetas, persequi ve-
lim? Fuerit [u] igitur brevitas illa tutissima, quæ est [x] apud 39
Livium in epistola ad filium scripta, *legendos Demosthenem
atque Ciceronem: tum ita, ut quisque esset Demostheni et Ci-
ceroni simillimus.* Non est tamen [z] dissimulanda nostri 40
quoque judicii summa. Paucos [a] enim, vel potius vix
ullum ex iis, qui vetustatem pertulerunt, existimo posse
reperiri, qui judicium adhibentibus [b] non allaturus sit uti-
litatis aliquid, cum se Cicero ab illis quoque vetustissimis
auctoribus, ingeniosis quidem, sed arte carentibus, pluri-

[q] *Sic Bass. it. Lugd.* 1538. f. *et Vascosan.* 1542. *fol.* &c. quidem quisque convivebat G. Jens. quibusque convivebat *Ascens.* 1519. f. qui tum vivebant *Ricc. Lips.* 1540. 8. qui cum maxime vigebant *conj. Burm.* *Quid si* quidem, quique tum vivebant? *vid. not.* [r] *om.* G. Jens. [s] *om.* Jens. [t] et— velim *om.* G. Jens. [u] fuit *iid.* [x] *om. iid.* [z] *om. iid.* [a] Paucos et vix *iid.* [b] adeuntibus Jens.

38. *quibuscum vivebat*] Sive hæc vera lectio est, quod in tanta varietate confirmare non ausim, sive conjecturæ alicujus debetur; non incommodam esse arbitror. Neque enim ταυτολογίαν habent hæc duo, *ætatis suæ* et *quibuscum vivebat*. Nimirum illud prius latius aliquando patet, et comprehendit quoscunque pars aliqua ætatis Tullii attigit, non exclusis, quos senes puer vidit aut vir jam factus Cicero, sed, cum scriberet Brutum, jam fato functos, (ex quo ultimo genere est ipse Hortensius.) Alterum autem, *quibuscum vivebat*, respicit tempus ipsum, quo scribendo Bruto operam dabat. Hoc ipsum pulchre etiam signat doctissima Burmanni conjectura; sed quæ aliquantum a literis antiquæ lectionis recedit; a qua multo minus remota est nostra suspicio. Quin ne opus quidem videtur mutatione. Scripsit, si audimus incorruptissimos, ut in tali re, testes, Fabius, *Et tamen de omnibus, suæ ætatis quidem, quisque* (i. e. *queisque* vel *quibusque*) *convivebat.* Quod duriusculum videtur, *convivendi* verbum jam posuit, quanquam diversa aliquantum, *convivandi* nimirum notione, Fabius 5, 9, 14, et 7, 3, 31. Sed cum a *convivendo*, hoc est una vivendo *convivæ et convivari* dicta sint; quidni usus sit Fabius verbo, non adeo quidem usitato, sed nec inaudito tamen, quodque tum proprietate sermonis, tum analogia Græcorum, qui συζῆν et συμβιῶν dicunt, se tueatur? Porro causa mutandi fuit hominibus ipsa verbi, quam fatemur, raritas; causa nulla fuit, cur aliam quis lectionem in eam, quam hic defendimus, mutaret. Itaque vix manum abstinui, quin inter indubia Quinctiliani eam reponerem.

39. *Livium in epistola*] Ad quam forte respexit etiam 8, 2, 18.

41 mum fateatur adjutum. Nec multo aliter [c] de novis [d]
ſentio. Quotus [e] enim quiſque inveniri [f] tam demens
poteſt, qui ne minima [g] quidem alicujus certæ [h] fiducia
partis, memoriam poſteritatis [i] ſperaverit? qui ſi quis eſt,
intra primos ſtatim verſus deprehendetur, et citius nos
dimittet, quam ut ejus nobis magno temporis detrimento
42 conſtet experimentum. Sed non quidquid ad aliquam
partem ſcientiæ pertinet [k], protinus ad faciendam etiam
φράσιν [l], de qua loquimur, accommodatum eſt [m]. Verum
antequam de ſingulis loquar, pauca in univerſum de va-
43 rietate opinionum dicenda ſunt. Nam quidam ſolos ve-
teres legendos putant, neque in ullis aliis eſſe naturalem
eloquentiam, et robur viris dignum, arbitrantur: alios
recens hæc laſcivia, deliciæque [n], et omnia ad voluptatem
multitudinis imperitæ compoſita, delectant: ſunt [o] etiam,
44 qui rectum dicendi genus ſequi volunt. Alii preſſa de-
mum et tenuia, et quæ minimum ab uſu quotidiano rece-
dant [p], ſana et vere Attica putant: quoſdam elatior [q] in-
genii vis, et magis concitata, et plena [r] ſpiritus capit:

[c] aliud G. Jenſ. [d] nobis *plerique.* novis *Camerar. et Obrechtus, quibus ſuccurrit* G. [e] Quod *iid.* [f] in veritate tumens potenſque ne *iid. Sed receptam lectionem jam habent Lugdun.* 1538, 8. *Vaſcoſ.* 1542. *f. Lipſ.* 1540, 8. [g] nimia G. [h] ceteræ G. Jenſ. *Quid ſi* certe? *et ſic Vaſcoſ.* [i] artis *iid.* [k] *om.* G. [l] afferеſin G. [m] *om.* G. Jenſ. [n] deliciaque *iid.* [o] Ipſos *iid.* [p] recedunt G. [q] clarior G. [r] alias ſpurcitiis (ſpurcius G.) plena capit G. Jenſ. et alti ſpiritus plena *conj. Burm.*

41. *Quotus enim quiſque*] Poteſt fieri, ut nondum ſatis emendatus ſit hic locus; intelligi quidem poteſt. Nemo eſt tam demens ſcriptor, qui non poſſit alicujus certe partis nomine ſperare memoriam poſteritatis: nullus tam malus liber eſt, qui non aliqua parte proſit, legique proinde debeat. Et ſi quis omnino ſit, ille intra primos verſus deprehendetur. Neque enim, puto, aliquis in lectione aget, quod luſores, qui ne perdiderint, perdere non ceſſant: ſed aut legendum non putabit, ſi quis non volet intelligi; aut abjiciet, ſi quis artis quam promittit plane imperitus eſſe appareat.

43. *Nam quidam*] Videbatur mihi optimum factu, ut bis ternas quaſi ſectas, de ſcriptoribus legendis diſſentientium, commemorari a Fabio ponerem, idque interpunctione declararem: ternas circa ætatem, totidem circa genus dicendi. I. Quidam a) veteres, alii b) recentiores ſolos laudant, c) quidam ſine diſcrimine ætatis rectum dicendi genus ſectantur. II. Alii a) tenue, b) ſublime alii, c) quidam mediocre genus dicendi probant.

44. *plena ſpiritus*] Vix dubito, quin recepta jam a Baſileenſibus lectio vera ſit. Fontem corruptionis indicat Gothanus liber. *Spiritus* primo obſcuræ manus, et imperiti deſcriptoris, vitio tranſit in *ſpurcius*; quod deinde ut cum nomine *plena* conveniret in *ſpurcitiis* mutatum eſt. Illud *alias* vel varietatis index fuit, vel, quod jam Burmanno in mentem venit, ortum eſt ex *alti.*

ſunt et lenis, et nitidi, et compoſiti generis non pauci
amatores. De qua differentia differam diligentius, cum
de genere dicendi quærendum erit. Interim ſummatim,
quid a qua lectione petere poſſint, qui confirmare faculta-
tem dicendi volunt, attingam [s]. Paucos enim, qui ſunt 45
eminentiſſimi, excerpere in animo eſt: facile eſt autem
ſtudioſis, qui ſint [t] his ſimillimi, judicare: ne quiſquam
queratur, omiſſos forte aliquos eorum [u], quos [x] ipſe valde
probet. Fateor enim plures legendos eſſe, quam qui a [z]
me nominabuntur [a]. Sed nunc genera ipſa lectionum,
quæ præcipue convenire intendentibus, ut oratores fiant,
exiſtimem, perſequar [b]. Igitur, ut Aratus *ab Jove inci-* 46
piendum putat, ita nos rite cœpturi ab *Homero* videmur.
Hic enim (QUEM ad modum *ex oceano* dicit ipſe *amnium*
vim fontiumque curſus initium capere) omnibus eloquentiæ
partibus exemplum et ortum dedit. Hunc nemo in
magnis [c] ſublimitate, in parvis proprietate ſuperaverit [d].
Idem lætus ac preſſus [e], jucundus et gravis, tum copia,
tum brevitate mirabilis: nec poetica modo, ſed oratoria
virtute eminentiſſimus. Nam ut de laudibus, exhorta- 47
tionibus, conſolationibus taceam; nonne vel nonus liber,
quo miſſa ad Achillem legatio continetur, vel in primo

[s] attingam paucos. ſunt enim em. et exc. *iid.* [t] ſunt *iid.* [u] *om. iid.*
[x] *om.* G. [z] a me *om.* G. Jenſ. [a] nominantur G. [b] perſequor G.
[c] rebus *inſ.* G. Jenſ. [d] ſuperavit *iid. bene, puto.* [e] depreſſus *iid.*

46. *Aratus ab Jove*] Noto initio Φαινομένων, Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα. Illud Homericum *ex Oceano* eſt Ἰλ. φ'. 195.

Ἐξ οὗπερ πάντες ποταμοὶ, καὶ πᾶσα
θάλασσα,
Καὶ πᾶσαι κρῆναι, καὶ φρείατα πάντα
νάουσιν.

Notum eſt illud Salomoneum ejuſdem ſententiæ, de fluviis omnibus venientibus e mari et eodem tendentibus. Notum eſt, cum Phyſicis etiam, in quantum hodie innotuerunt, rationibus illud conciliari poſſe, ſi dicatur vaporum ſpecie tantundem humoris in terram, montes præſertim, regeri, quantum per oſtia fluminum in mare effundatur. Cæterum de Homero omnium doctrinarum fonte qui legere voluerit, illi ſuppeditabit tantum, unde fatigari etiam patientiſſimus poſſit, decus literarum, dum vixit, et dum vigebunt ipſæ, Fabricius Bibl. Græc. 2, 6.

46. *lætus ac preſſus*] *Lætus* quin hic conveniat, non dubitabit niſi qui nunquam legit, *Quid faciat lætas ſegetes.* Deinde *preſſum læto* opponi non mirabitur, qui *falce vites premi*, et *preſſius putari eas* non ignoret. Non igitur eſt quod neceſſariam putemus Cortianam emendationem, qui ad Plin. epiſt. 1, 8, 5, *elatus* legi vult. Quanquam enim eam vocem minime damnandam eſſe vel ipſius noſtri verba ſ. 44 declarant, ubi *preſſis elatior ingenii* vis reſpondet: neceſſaria tamen non eſt iſta emendatio. Alias *latum* etiam ſubſtituere poſſis, quo Noſter utitur 7, 3, 16.

inter duces illa contentio, vel dictæ in secundo sententiæ,
48 omnes litium ac consiliorum explicant artes? Affectus quidem, vel illos mites, vel hos concitatos, nemo erit tam indoctus, qui non in sua potestate hunc auctorem habuisse fateatur. Age vero, nonne [f] in [g] utriusque sui [h] operis ingressu [i] paucissimis versibus legem procemiorum, non dico, servavit, sed constituit? Nam et benevolum auditorem invocatione Dearum, quas præsidere vatibus creditum est, et intentum proposita rerum magnitudine, et
49 docilem, summa celeriter comprehensa, facit. Narrare vero quis brevius, quam qui mortem nuntiat Patrocli? quis significantius potest, quam qui Curetum Ætolorumque prælium exponit? Jam similitudines, amplificationes, exempla, digressus, signa rerum, et argumenta cetera quæque [l] probandi ac refutandi, sunt ita multa, ut etiam, qui de artibus scripserunt, plurima earum rerum testimo-
50 nia ab hoc poeta petant. Nam [m] epilogus quidem quis umquam poterit illis Priami [n] rogantis Achillem precibus æquari? Quid? in verbis, sententiis, figuris, dispositione totius operis, nonne humani ingenii modum excedit [o]? Ut magni sit viri, virtutes ejus non æmulatione, (quod
51 fieri non potest) sed intellectu sequi. Verum hic omnes sine dubio, et in omni genere eloquentiæ procul a se reliquit, Heroicos tamen præcipue, videlicet quia clarissima
52 in materia simili [p] comparatio est. Raro assurgit *Hesiodus*, magnaque pars ejus in nominibus est occupata, tamen utiles circa præcepta sententiæ lenitasque [q] verborum, et

[f] non G. [g] *om.* G. Jens. [h] *om. iid.* [i] ingressus *iid.* [l] ceteraque quæ prob. *iid.* ceteraque prob. *rel.* [m] et *inf.* G. Jens. [n] rogantis Achillem Priami *iid. recte, puto.* [o] excessit Jens. [p] similis G. Jens. [q] levitasque *iid. recte, puto. vid. not.*

49. *mortem nuntiat Patrocli*] 'Ιλ. Σ, 20, ubi Antilochus ad Achillem,

Κεῖται Πάτροκλος· νέκυος δὲ δὴ ἀμφιμάχονται
Γυμνοῦ· ἀτὰρ τάγε τεύχε' ἔχει κορυθαίολος Ἕκτωρ.

Etiam specimen brevitatis hæc verba laudat Plin. Epist. 4, 11, 12. *Curetum Ætolorumque prælium* est 'Ιλ. Ι, 525.

49. *cetera quæque probandi*] Sic videntur ista sententiam commodam efficere: nec ab antiquorum librorum fide recedunt. Receptam adhuc lectionem nescio an interpretari aliquis possit.

50. *Priami rogantis*] 'Ιλ. Ω, 486. sqq. Μνῆσαι πατρὸς σεῖο κ. τ. λ.

52. *in nominibus*] In primis in genealogia deorum.

52. *lenitasque verborum*] Non damnanda videtur antiqua scriptura *levitas*. Cum enim in his judiciis fere sequatur Fabius Dionysii Halicarnassensis sententias et verba adeo, quod in Capperonnerii editione ostensum; non improbabile est illum *levitatem* vocasse, quæ est Dionysio in 'Αρχαίων Κρίσει, λειότης ὀνομάτων. Re-

compofitionis[r] probabilis: daturque[s] ei palma in illo medio genere dicendi. Contra in *Antimacho* vis et gravitas, 53
et minime vulgare eloquendi genus habet laudem. Sed quamvis ei fecundas fere Grammaticorum confenfus deferat; et affectibus, et jucunditate, et difpofitione, et omnino arte deficitur, ut plane manifefto appareat, quanto fit aliud proximum effe, aliud fecundum. *Panyafin*[t] ex 54
utroque mixtum putant, in eloquendo neutrius æquare virtutes: alterum tamen ab eo materia, alterum difponendi ratione fuperari. *Apollonius* in ordinem a grammaticis datum non venit, quia Ariftarchus atque Ariftophanes, poetarum judices, neminem fui temporis in numerum redegerunt: non tamen contemnendum edidit[u] opus æquali quadam mediocritate. *Arati* materia motu 55
caret, ut in qua nulla varietas, nullus affectus, nulla perfona, nulla[x] cujufquam fit oratio: fufficit tamen operi, cui fe parem credidit[y]. Admirabilis in fuo genere *Theocritus*, fed mufa illa ruftica et paftoralis non forum modo, verum ipfam etiam urbem reformidat. Audire videor 56
undique congerentes nomina plurimorum poetarum. Quid? Herculis acta non bene *Pifandros?* Quid? *Nicandrum* fruftra fecuti *Macer* atque *Virgilius?* Quid? *Euphorionem*[z] tranfibimus? quem nifi probaffet Virgilius, idem numquam certe conditorum Chalcidico verfu carminum feciffet in Bucolicis mentionem. Quid? Hora- 57
tius fruftra *Tyrtæum* Homero fubjungit? Nec fane quif-

[r] expofitio Jenf. compofitio G. [s] *Forte leg.* datur. [t] Panefium Jenf. [u] reddit G. [x] *Sic* G. *et plur. ap. Burm.* perfona, cui ufquam *al.* [y] vel æqualem *inf.* Jenf. *gloff.* [z] fruftra *inf.* G. Jenf.

currit eadem diverfitas 10, 1, 121, ubi idem noftrum judicium. *Candidum, et leve, et fpeciofum dicendi genus*, videntur in eodem genere dici: *candidum*, quod apertum et facile ad intelligendum; *leve*, bene compofitum et politum, non afperum aut duriter commiffum; *fpeciofum* a verbis fplendidis, longioribus &c. Permutantur hæc verba etiam 10, 2, 23.

53. *proximum—fecundum*] Unice huc facit Horat. Od. 1, 12, 17. *Unde* (i. e. ex quo Jove) *nil majus generatur ipfo, Nec viget quidquam fimile aut* fecundum: Proximos *illi tamen occupavit Pallas honores. Proximus* nempe eft, quo nemo propior; *fecundus*, qui ftatim fequitur nullo intervallo.

56. *Bucolicis*] Ecl. 10, 50. *Ibo, et Chalcidico quæ funt mihi condita verfu Carmina, paftoris Siculi modulabor avena*: quæ verba ita interpretatur Servius, ut ab Afinio Gallo Euphorionem in Latinum fermonem effe tranflatum dicat hic et ad verf. 1. it. ad Ecl. 6, 72.

57. *Horatius Tyrtæum*] Artis 401.

— *Poft hos infignis Homerus,*
Tyrtæufque mares animos in Martia bella
Verfibus exacuit.

quam eſt tam procul a cognitione eorum remotus, ut non indicem certe ex bibliotheca ſumtum transferre in libros ſuos poſſit. Nec ignoro igitur quos tranſeo, nec utique damno, ut qui dixerim eſſe in omnibus utilitatis aliquid : ſed ad illos jam perfectis conſtitutiſque viribus reverte-
58 mur. Quod etiam [a] IN cœnis grandibus ſæpe facimus, ut, cum optimis ſatiati ſimus [b], varietas tamen nobis ex vilioribus grata ſit. Tunc et elegiam vacabit in manus ſumere, cujus princeps habetur *Callimachus*. Secundas
59 confeſſione plurimorum *Philetas* [c] occupavit. Sed dum aſſequimur illam firmam (ut dixi) facilitatem, optimis aſſueſcendum eſt : et multa magis, quam multorum lectione formanda [d] mens, et ducendus eſt color. Itaque ex tribus receptis Ariſtarchi judicio ſcriptoribus iamborum,
60 ad [e] ἕξιν maxime pertinebit unus *Archilochus*. Summa in hoc vis elocutionis, cum validæ, tum breves vibranteſque ſententiæ, plurimum ſanguinis atque nervorum, adeo ut videatur quibuſdam, quod quoquam [f] minor [g] eſt, materiæ
61 eſſe, non ingenii vitium. Novem vero Lyricorum longe *Pindarus* princeps, ſpiritus magnificentia, ſententiis, figuris, beatiſſima rerum verborumque copia, et velut quodam eloquentiæ flumine : propter quæ [h] Horatius eum merito
62 credidit nemini imitabilem. *Steſichorum* [i], quam ſit inge-

[a] *om.* G. [b] ſumus G. [c] *Sic* G. Philotas Jenſ. Philætas *al.* [d] feſtinanda G. [e] ad hæc G. ad exitum Jenſ. [f] quidem Jenſ. [g] *om.* G. [h] quod G. Jenſ. [i] Therpſichorum Jenſ. Steſichorus G. *et al.*

57. *indicem ex bibliotheca*] Pungit, credo, eos, qui temere laudant, vituperant, judicii ſui lance ſuſpendunt auctores, quos nunquam recte inſpexerunt, ex indicibus nimirum. Quid ſi hodie viveres, Fabi ? Novi ego hominem, qui edidicerat aliquot Homeri verſus, quos in ſtationibus Bibliopoliorum et Bibliothecarum recitaret, et cum interpretibus hodiernis ita compararet, ut putares in ſuperciliis hominis tanquam in duabus lancibus ea ſuſpendi, ita alternis ea attollebat deprimebatque. At illum ego hominem paullo poſt comperi indoctiſſimum mortalem, qui ne legere quidem recte Græca poſſet, ut putem præeunte aliquo illum verſus Homeri edidiciſſe.

58. *Philetas*] Sic ſcribendum nomen hujus poetæ, tum Suidas docet, apud quem Φιλητᾶς eſt, tum Athenæus apud quem Φιλήταν legimus.

59. *ut dixi*] In ipſo libri hujus principio.

59. *ex tribus receptis*] Qui alii ſint duo, neſcio, an ſciatur hodie. Cæterum Archilochum etiam cum principibus in ſuo genere poetis numerat Cicero Orat. c. 1.

60. *Novem Lyricorum*] Qui vulgo ſic enarrantur ex antiquis Pindari prolegomenis ; Alcæus, Sappho, Steſichorus, Ibycus, Bacchylides, Simonides, Alcman, Anacreon et Pindarus.

61. *Horatius*] Od. 4, 2, *Pindarum quiſquis* &c.

N 2

nio validus, materiæ quoque oſtendunt, maxima bella et
clariſſimos canentem [l] duces, et epici carminis onera lyra
ſuſtinentem. Reddit enim perſonis in agendo ſimul lo-
quendoque debitam dignitatem: ac, ſi tenuiſſet modum,
videtur æmulari proximus Homerum potuiſſe: ſed redun-
dat, atque effunditur: quod ut eſt reprehendendum, ita
copiæ vitium eſt. *Alcæus* in parte operis aureo plectro 63
merito donatur, qua tyrannos inſectatur [m]: multum etiam
moribus confert: in eloquendo quoque brevis et magni-
ficus, et diligens, plerumque [n] Homero ſimilis, ſed in lu-
ſus et amores deſcendit, majoribus tamen aptior. *Simo-* 64
nides tenuis, alioqui ſermone proprio et jucunditate qua-
dam commendari poteſt: præcipua [o] tamen ejus in com-
movenda miſeratione virtus, ut quidam in hac eum parte
omnibus ejuſdem operis auctoribus præferant. Antiqua [p] 65
comœdia cum ſinceram illam ſermonis Attici gratiam
prope ſola retinet, tum facundiſſimæ [q] libertatis, etſi eſt
in [r] inſectandis vitiis præcipua, plurimum tamen virium
etiam in ceteris partibus habet. Nam et grandis, et ele-
gans, et venuſta, et neſcio an ulla, poſt Homerum tamen,
quem, ut Achillem, ſemper excipi par eſt, aut ſimilior ſit
oratoribus, aut ad oratores faciendos aptior. Plures ejus [s]
auctores: *Ariſtophanes* tamen [t], et *Eupolis*, *Cratinuſque*
præcipui. Tragœdias primus in lucem *Æſchylus* protulit, 66
ſublimis et gravis, et grandiloquus ſæpe uſque ad vitium,
ſed rudis in pleriſque et incompoſitus: propter quod cor-
rectas ejus fabulas in certamen deferre poſterioribus poetis

[l] canente—ſuſtinente G. Jenſ. *int.* lyra. [m] inſectatus *iid.* [n] pluri-
mum G. [o] præcipue Jenſ. [p] illa *inſ. iid.* [q] fœcund. G. Jenſ.
[r] *om. iid.* [s] enim Jenſ. [t] autem G.

62. *copiæ vitium*] Vid. infra 12, 10, 13. it. Plin. epiſt. 1, 20, 21.

63. *qua tyrannos inſectatur*] Præclare hic obſervat Almelovenius, huc reſpicere *Alcæi minaces Camenas* apud Horatium 4, 9, 7, ubi vet. Schol. *Adeo*, inquit, *amarus fuit, ut auſteritate carminis ſui multos* civitate ejiceret.

65. *ut Achillem*] Quem excipit Homerus v. g. in laude Nirei in Bœotia 180.

Νιρεὺς, ὃς κάλλιστος ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθε
Τῶν ἄλλων Δαναῶν, μετ' ἀμύμονα Πη-
λείωνα.

65. *Ariſtophanes* &c.] Jungit eoſdem Horatius Sat. 1, 4, pr. *Eupolis, atque Cratinus, Ariſtophaneſque, Poetæ* &c.

66. *correctas ejus fabulas*] Neſcio unde hoc habeat noſter, *correctas* eſſe ejus fabulas. Illud nos docent tum vetus auctor vitæ Æſchyli, tum Philoſtratus in vita Apoll. 6, 11, p. 245, Olear. et Schol. ad Ariſtophanis Ran. 892, itemque ad Acharn. 10, (laudati etiam Bibliothecario Græco 2, 16, 4, ſed a nobis deſignati accuratius) decreto Athenienſium in ſcenam reductas defuncti etiam Æſchyli tra-

Athenienſes permiſere, ſuntque eo modo multi coronati.
67 Sed longe clarius illuſtraverunt hoc opus *Sophocles* atque *Euripides:* quorum in diſpari dicendi via uter ſit poeta melior, inter plurimos quæritur. Idque ego [u] ſane, quoniam ad præſentem materiam nihil pertinet, injudicatum relinquo. Illud quidem nemo non fateatur neceſſe eſt, iis, qui ſe ad agendum comparant, utiliorem longe Euri-
68 pidem fore. Namque is et [x] in ſermone (quod ipſum reprehendunt, quibus gravitas et cothurnus et ſonus Sophoclis videtur eſſe ſublimior) magis accedit oratorio [z] generi: et ſententiis denſus, et in [a] iis, quæ a ſapientibus tradita ſunt, pene ipſis par, et in dicendo ac reſpondendo cuilibet eorum, qui fuerunt in foro diſerti [b], comparandus. In affectibus vero cum omnibus mirus, tum in iis,
69 qui [c] miſeratione conſtant, facile præcipuus. Hunc et admiratus [d] maxime eſt (ut ſæpe teſtatur) et [e] ſecutus, quamquam in opere diverſo, *Menander:* qui vel unus, meo quidem judicio, diligenter lectus, ad cuncta, quæ præcipimus [f], efficienda ſufficiat: ita omnem vitæ imaginem expreſſit: tanta in eo inveniendi copia, et eloquendi facultas: ita eſt [g] omnibus rebus, perſonis, affectibus ac-
70 commodatus. Nec nihil profecto viderunt, qui orationes, quæ *Chariſii* nomine eduntur, a Menandro ſcriptas

[u] *om.* G. [x] et in *om.* G. Jenſ. [z] oratori Jenſ. [a] *om.* G. [b] diſertis Jenſ. [c] quæ *id.* [d] admirandus Jenſ. [e] eum *inſ.* G. Jenſ. [f] præcepimus G. [g] in *id.*

gœdias, victoriam retuliſſe. *Correctas* a quoquam non docent. Et habent ſane illum charactera adhuc, quod ſunt grandiloquæ ultra modum, id quod riſit varie Ariſtophanes in Ranis; v. g. 861, ex perſona Euripidis vocat eum, Ἄνθρωπον ἀγριοποιὸν, αὐθαδόστομον, Ἔχοντ' ἀχάλινον, ἀκρατὲς, ἀπύλωτον στόμα, Ἀπεριλάλητον, κομποφακελοῤῥήμονα. Ultima vox eleganter notat compoſita majora, qualibus ludit Ariſtophanes, in re ſeria utebatur Æſchylus. Φάκελοι enim, Scholiaſte docente, τὰ βαρέα ϗ συνδεδεμένα φορτία τῶν ξύλων. Ipſa etiam lex non videtur fuiſſe diuturna. Lycurgus certe apud Plutarchum in vita p. 1547, Steph. legem fert, τὰς Αἰσχύλου, Σοφοκλέους, Εὐριπίδου τραγῳδίας ἐν κοινῷ γραψαμένους φυλάττειν, ϗ τὸν τῆς πόλεως γραμματέα παραναγινώσκειν τοῖς ὑποκρινομένοις, (dum aguntur fabulæ argumenti cognati, vel alioquin plagii ſuſpectæ, ſimul inſpicere librum et legere) οὐκ ἐξεῖναι γὰρ αὐτὰς ὑποκρίνεσθαι.

67. *uter ſit poeta melior*] Id ipſum varie, ſed ſatyrice et ridicule majorem partem, agitatur in laudata Ariſtophanis Ranarum fabula. Ad agendum ſe comparantibus utiliorem judicavit etiam et exemplo ſuo declaravit Cicero, qui ſæpe illo utatur et ipſius verſiculos *teſtimonia* judicet, ut ea appellat Quintus Cicero, Famil. 16, 8.

69. *Menander*] Etiam Plutarchus illum longe ipſi præfert Ariſtophani, cui tamen reſpondit Friſchlinus.

70. *Chariſii nomine*] Laudat

putent. Sed mihi longe magis orator probari in opere ſuo videtur, niſi forte aut illa [h] mala judicia, quæ 'Επιτρέποντες, 'Επίκληρος, Λοκροὶ [i] habent: aut meditationes in Ψοφοδεεῖ [l], Νομοθέτῃ, 'Υποβολιμαίῳ non omnibus oratoriis numeris ſunt abſolutæ. Ego tamen plus adhuc quiddam 71
collaturum eſſe declamatoribus puto, quoniam his neceſſe eſt ſecundum conditionem controverſiarum plures ſubire perſonas, patrum, filiorum, maritorum, militum, ruſticorum, divitum, pauperum, iraſcentium, deprecantium, mitium, aſperorum. In quibus omnibus mire cuſtoditur ab hoc poeta decorum [m]. Atque ille quidem om- 72
nibus ejuſdem operis auctoribus abſtulit nomen, et fulgore quodam ſuæ claritatis tenebras obduxit. Habent tamen alii quoque Comici, ſi cum venia legantur, quædam, quæ poſſis [n] decerpere: et præcipue *Philemon*, qui ut [o] pravis [p] ſui temporis judiciis Menandro ſæpe [q] prælatus eſt, ita conſenſu [r] omnium meruit credi [s] ſecundus.
Hiſtoriam multi ſcripſere præclare, ſed nemo dubitat duos 73
longe ceteris præferendos, quorum diverſa virtus laudem pene eſt parem conſecuta. Denſus, et brevis, et ſemper inſtans ſibi *Thucydides:* dulcis, et candidus, et fuſus [t] *Herodotus:* ille concitatis, hic remiſſis affectibus melior; ille concionibus, hic ſermonibus; ille vi, hic voluptate. *Theo-* 74
pompus his proximus, ut in hiſtoria prædictis minor, ita oratori magis ſimilis: ut qui, ante quam eſt ad hoc opus

[h] alia Jenſ. [i] Locre G. Locros *Baſſ. et Lipſ.* lectos Jenſ. *et plur.* Lochos *ſ.* λοχὸς *rel.* [l] Sophocle G. Jenſ. [m] decor G. Jenſ. [n] poſſit G. [o] quamvis Jenſ. [p] prave G. Jenſ. [q] ſemper G. [r] tamen *inſ.* G. Jenſ. [s] eſſe Jenſ. [t] effuſus G. Jenſ.

Burmannus Cic. Brut. c. 83, et Reineſ. Var. Lect. 3, 14, atque Epiſt. ad Daum. 22.

70. *orator probari in opere ſuo*] In opere ſuo h. e. in ipſis Comœdiis orator probatur Menander. In comœdiis nempe quæ laudantur, cauſæ in ſcenam videntur productæ, vel quaſi agerentur in foro, vel quaſi aliquis ad eos ſe compararet, ac meditaretur. Non autem appellat hic Fabius *mala judicia*, per ἐπίθετον, ſed negat eſſe mala; ſolenni illa et Ciceroniana argumentatione ab abſurdo. Orator eſt Menander, niſi dicere velis, quod abſurdum eſt, mala eſſe illa judicia—aut meditationes—non omnibus numeris abſolutas. Hæc cur monuerimus, intelliget, qui adnotationes ad h. l. virorum doctorum inſpiciet.

70. 'Επιτρέποντες] Qui præterea mentionem faciant harum fabularum, dabit Fabricius, qui etiam hic probat *Locros:* et ſane de Λοκροῖς, quos firmat etiam Gothanus liber, aliunde conſtat, et eſt inter Alexidis quoque fabulas deperditas hoc nomen; de λοχῷ non item. Potuit ſane etiam de *puerpera* vel *gravida* fabula plus una ſcribi. Sed de auctoritate jam ſermo eſt. Itaque *Locros* interim reſtituimus.

ſolicitatus, diu fuerit orator. *Philiſtus* quoque meretur, qui turbæ, quamvis bonorum poſt hos auctorum, eximatur [u], imitator Thucydidis: et ut multo infirmior, ita aliquatenus lucidior. *Ephorus*, ut Iſocrati viſum, calcari-
75 bus eget. *Clitarchi* probatur ingenium, fides infamatur. Longo poſt intervallo temporis natus *Timagenes*, vel hoc eſt ipſo probabilis, quod intermiſſam hiſtorias ſcribendi induſtriam nova laude reparavit. *Xenophon* non excidit
76 mihi, ſed inter philoſophos reddendus eſt. Sequitur oratorum ingens manus, cum decem ſimul Athenis ætas una tulerit: quorum longe princeps *Demoſthenes*, ac pene lex orandi fuit: tanta vis in eo, tam denſa omnia, ita quibuſdam nervis [x] intenta ſunt, tam nihil otioſum, is dicendi modus, ut nec quod deſit in eo, nec quod redundet inve-
77 nias. Plenior *Æſchines*, et magis fuſus, et grandiori ſimilis, quo minus ſtrictus eſt: carnis tamen plus habet, lacertorum minus. Dulcis in primis et acutus *Hyperides*: ſed minoribus cauſſis, ut non [a] dixerim utilior, magis par.
78 His ætate *Lyſias* major [b], ſubtilis atque elegans, et quo nihil, ſi oratori ſatis ſit docere [c], quæras perfectius: nihil enim eſt inane, nihil arceſſitum; puro tamen fonti, quam mag-
79 no flumini propior. *Iſocrates* [d] in diverſo genere dicendi nitidus et comtus, et palæſtræ, quam pugnæ magis accommodatus, omnes dicendi Veneres ſectatus eſt; nec immerito: auditoriis enim ſe, non judiciis compararat [e]: in [f] inventione facilis, honeſti ſtudioſus: in compoſitione
80 adeo diligens, ut cura ejus reprehendatur. Neque ego in his, de quibus ſum locutus, has ſolas virtutes, ſed has præcipuas puto: nec ceteros parum fuiſſe magnos. Quinetiam *Phalereum* illum *Demetrium* (quamquam is primus inclinaſſe eloquentiam dicitur) multum ingenii habuiſſe et facundiæ fateor, vel ob [g] hoc memoria dignum, quod ultimus eſt fere ex Atticis, qui dici poſſit orator: quem tamen in illo medio genere dicendi præfert omnibus Ci-
81 cero. Philoſophorum, ex quibus plurimum ſe traxiſſe

[u] exiſtimatur *id.* [x] verius Jenſ. [a] *om.* G. [b] minor *id.* [c] dicere Jenſ. [d] Iſocrate *id.* [e] comparat G. Jenſ. [f] *om.* G. [g] ab Jenſ.

74. *Ephorus calcaribus*] Cic. de Orat. 3, 9. *Dicebat Iſocrates, doctor ſingularis, ſe calcaribus in Ephoro, contra autem in Theopompo frenis uti ſolere.* Cenſuram hiſtoricorum eorundem fere qui hic memorantur, idem peragit de Orat. 2, 13.

80. *præfert—Cicero*] Reſpicit, puto, quod jam obſervatum Alme-

eloquentiæ M. Tullius confitetur, quis dubitet *Platonem*
eſſe præcipuum, ſive acumine diſſerendi, ſive eloquendi
facultate divina quadam et Homerica? multum enim ſu-
pra proſam orationem, et quam pedeſtrem Græci vocant,
ſurgit: ut mihi non hominis ingenio, ſed quodam Del-
phico videatur oraculo inſtinctus. Quid ego commemo- 82
rem *Xenophontis* jucunditatem illam inaffectatam, ſed
quam nulla poſſit affectatio conſequi? ut ipſæ finxiſſe ſer-
monem Gratiæ [h] videantur: et quod de *Pericle* veteris
comœdiæ teſtimonium eſt, in hunc transferri juſtiſſime
poſſit, in labris ejus ſediſſe quamdam perſuadendi deam.
Quid reliquorum *Socraticorum* elegantiam? Quid *Ariſtote-* 83
lem? quem dubito ſcientia rerum, an ſcriptorum copia,
an eloquendi [i] ſuavitate, an inventionum acumine, an va-
rietate operum, clariorem putem. Nam in *Theophraſto* tam
eſt eloquendi nitor ille divinus, ut ex eo nomen quoque
traxiſſe dicatur. Minus indulſere eloquentiæ *Stoici* veteres: 84
ſed cum honeſta ſuaſerunt, tum in colligendo [l], probando-
que, quæ inſtituerant, plurimum valuerunt: rebus tamen
acuti magis, quam (id quod ſane non affectant [m]) oratione
magnifici. [n] Idem nobis per Romanos quoque auctores 85
ordo ducendus eſt. Itaque ut apud illos Homerus, ſic apud
nos *Virgilius* auſpicatiſſimum dederit exordium, omnium
ejus generis poetarum, Græcorum noſtrorumque, illi haud
dubie proximus. Utar enim verbis iiſdem, quæ ex [o] Afro 86
Domitio juvenis accepi [p]: qui mihi interroganti, quem

[h] Græcis videatur *id.* [i] uſu *inſ.* Jenſ. uſus *inſ.* G. [l] eligendo Jenſ. [m] affectarunt G. [n] Quid *inſ.* Jenſ. [o] ab Jenſ. [p] excepi *id.*

lovenio, ad Orat. c. 27, qui alia quoque illius elogia citat ex de Orat. 2, 23, et Offic. 1, 1.

81. *Delphicò oraculo*] Huc pertinet illud Cic. Bruto c. 31. *Quis uberior in dicendo Platone? Jovem aiunt Philoſophi, ſi Græce loqueretur, ſic loqui. Deificum* oraculum Barthii merito hic deſtruxit Burmannus.

82. *in labris ejus ſediſſe*] Paſſim hoc Eupolidis fragmentum illuſtratum eſt, poſtquam ſignum quaſi bene de eo merendi ſuſtulit Politianus Miſc. c. 91. Et paucæ hebdomades ſunt, cum hunc locum tractavimus ad Plin. Epiſt. 1, 20, 17. Lectionem, quam ibi probavimus verſuum Eupolidis, etiam confirmat Ariſtidis Scholiaſtes, e quo tum inedito primum eos protulit Politianus. Vid. Tom. 2, p. 129. Jebb. Cæterum τὴν Πειθὼ, quam *perſuadendi deam* hic transfert Fabius, Ennius *Suadam, Leporem* Cicero, Horatius *Suadelam* vocarunt; quod idem jam docuerat Politianus.

83. *nomen traxiſſe*] Diog. Laert. 5, 38. Τοῦτον, Τύρταμον λεγόμενον, Θεόφραστον διὰ τὸ τῆς φράσεως θεσπέσιον Ἀριστοτέλης μετωνόμασεν. Reliquorum auctorum in hanc ſententiam verba copioſe laudat ad h. l. Menagius.

Homero crederet maxime accedere, *Secundus*, inquit, *eſt Virgilius, propior tamen primo, quam tertio.* Et hercle ut [q] illi naturæ cœleſti atque immortali ceſſerimus, ita curæ et diligentiæ vel ideo in hoc plus eſt, quod ei fuit magis laborandum: et quantum [r] eminentioribus vincimur, for-
87 taſſe æqualitate penſamus. Ceteri omnes longe ſequentur. Nam *Macer* et *Lucretius* legendi quidem, ſed non ut phraſin, id eſt, corpus eloquentiæ faciant: elegantes in ſua quiſque materia, ſed alter humilis, alter difficilis. *Attacinus* [s] *Varro* in iis, per quæ nomen eſt aſſecutus, interpres operis alieni, non ſpernendus quidem, verum ad
88 augendam facultatem dicendi parum locuples. *Ennium*, ſicut ſacros vetuſtate lucos, adoremus, in quibus grandia et antiqua robora jam non tantam habent ſpeciem, quantam religionem. Propiores alii, atque ad hanc phraſin [t], de qua loquimur, magis utiles. Laſcivus quidem in Heroicis quoque *Ovidius*, et nimium amator ingenii ſui:
89 laudandus tamen in [u] partibus. *Cornelius* autem *Severus*, etiamſi verſificator quam poeta melior, ſi tamen, ut eſt dictum, ad exemplar [x] primi libri bellum Siculum perſcripſiſſet, vindicaret [y] ſibi jure ſecundum locum. Sed [z] eum conſummari mors immatura non paſſa eſt: puerilia

[q] cum G. [r] quanto plus em. vincimus Jenſ. [s] Acatinus G. [t] *om.* G. Jenſ. [u] parcius *iid.* [x] exemplum G. [y] judic. Jenſ. [z] Varenum conſ. *Baſ. et al.* Terrenum *V. C. Alm.* Farrenum *Voſſ.* 1 *et* 3 *ap. Bur.*

86. *ut illi naturæ*] Ingenium itaque majus Homero tribuit Fabius; curæ et diligentiæ laudem ampliorem ob hoc ipſum Virgilio, quod *ei magis fuit laborandum*, ut nimirum, quod deeſſet ingenio, cura et arte expleret. Loco obſcuritatis nonnihil offundit illa figura, quod per communicationem quandam prima perſona pluralis utitur &c. *Æqualitatem* interpretor *æquabilitatem.*

87. *alter humilis, alter difficilis*] Macer etiam ille antiquus herbarum poeta, cujus nihil ætatem tulit, (ne de eo, qui nunc circumfertur hoc nomine quis cogitet) humilis eſt propter argumenti rationem; difficilis Lucretius et ipſe propter materiam abſtruſiorem.

87. *interpres operis alieni*] Argonauticorum Apollonii Rhodii.

89. *ut eſt dictum*] A quo? aut ubi? nam in hoc quidem opere non puto mentionem illius factam. An, quod hic de *bello Siculo* ſcripſiſſe dicitur, pars illius operis vel πάρεργον eſt *Ætna* carmen, quod ſub ejus nomine in Catalectis veterum Poetarum ponitur?

89. *Sed eum conſummari*] Putat Burmannus hic omnino latere nomen alicujus poetæ. Et ſuadet hoc propoſita ſupra varietas. Cum vero Gothanus et primæ editiones conſentiant, et præterea videantur hæc Severo Cornelio convenire, (ut de quo modo dixerit, eum *ad exemplar primi libri bellum Siculum non perſcripſiſſe*) neſcio an opus ſit quærere, quod forte nuſquam eſt.

tamen ejus opera[a] et maximam indolem oſtendunt, et
mirabilem[b], præcipue in ætate illa, recti generis volunta-
tem. Multum in *Valerio Flacco* nuper amiſimus. Ve- 90
hemens et poeticum ingenium *Saleii*[c] *Baſſi* fuit, nec ip-
ſum ſenectute maturum. *Rabirius* ac *Pedo* non indigni
cognitione, ſi vacet. *Lucanus* ardens, et concitatus, et
ſententiis clariſſimus, et, ut dicam quod ſentio, magis
oratoribus, quam poetis adnumerandus. Hos nominavi- 91
mus, quia Germanicum Auguſtum ab inſtitutis ſtudiis
deflexit cura terrarum, parumque diis viſum eſt, eſſe eum
maximum poetarum. Quid tamen iis ipſis ejus operibus,
in quæ, donato † imperio, juvenis ſeceſſerat ‡, ſublimius,

[a] operam Jenſ. [b] admir. G. Jenſ. [c] Salii *iid.* † *iid. et Bodl. itemque Voſſ.* 1 *et* 3 *ap. Burm. necnon Baſſ. et Lipſ.* donatus *vel.* natus *conj. Schel.* ‡ ſucceſſerat *omnes, puto. vid. not.*

90. *Saleii Baſſi*] Cujus honorificentiſſima mentio in Dialogo de Oratoribus c. 5 et 9; neque tamen ita diverſa ab hoc Fabii judicio, ut illo argumento dialogum ipſum illi abjudicem; quod a Barthio factum ad Stat. Theb. 10, 700, hic refert Burmannus.

91. *Germanicum Auguſtum*] Domitianum, cui adrepit more ſuo, et temporum miſeria, qua ſola excuſari forte poteſt indigna alioquin adulatio. De Arateorum interpretatione verſu hexametro ſcripta, quæ Cæſaris Germanici nomen præfert, accipiebat Rutgerſius Var. Lect. 2, 9, non improbante Nic. Heinſio ad Val. Flac. 1, 13, et Voſſio de Poetis Lat. 3, et de Matheſi 35. Sed Cæſari Germanico Druſi F. recte vindicarunt iſta Giraldus, et præſertim Triſtanus Com. p. 320, Burmanno laudatus hic et ad Val. Flaccum l. c. unde illud apparet liquido, ſcribere inſtituiſſe Domitianum *verſam Idumen* (Idumæam vaſtatam) *et Solymo nigrantem pulvere* (ab Hieroſolymarum expugnatione) *fratrem* ſuum Titum.

91. *donato imperio, juvenis ſeceſſerat*] Primo interpretabimur iſta verbis Taciti adpoſitis, quæ commentarii inſtar in difficillimorum unum Fabii locum eſſe poſſunt. Ita autem ille Hiſt. 4, extr. cum enarraſſet vanos Domitiani, tum Cæſaris, adverſus Titum fratrem, vel patrem forte ipſum, conatus, *Domitianus autem*, inquit, *ſperni a ſenioribus* juventam *ſuam cernens, modica quoque et uſurpata antea* munia imperii omittebat, *ſimplicitatis et modeſtiæ imagine in altitudinem conditus, ſtudiumque literarum et* amorem carminum *ſimulans, quo velaret animum, et fratris æmulationi ſubduceretur, cujus diſparem mitioremque naturam contra interpretabatur.* In hunc quaſi articulum temporis convenit illud Suetonii Domit. c. 2. *Simulavit et ipſe mire modeſtiam, in primiſque poeticæ ſtudium, tam inſuetum antea ſibi, quam poſtea ſpretum et abjectum.* conf. c. 20. Huc pertinet etiam Valerii Flacci procemium, in quo Poeta Veſpaſianum patrem alloquitur haud dubie his verbis; *Verſam proles tua*, Domitianus, *pangat* et carmine deſcribat *Idumen* ſ. Judæam: *Namque poteſt* propter divinum ingenium; et *Solymo nigrantem pulvere fratrem* Titum celebret. (Addamus obiter et quæ ſequuntur, cum difficultatis aliquid habere videantur. *Ille* Titus *tibi*, O Veſpaſiane, *cultuſque Deûm* per ἀποθέωσιν, *delubraque*

doctius, omnibus denique numeris præstantius? Quis enim caneret bella melius, quam qui sic egerit? Quem præsidentes studiis Deæ propius audirent? Cui magis
92 suas artes aperiret familiare numen Minervæ? Dicent hæc plenius futura secula. Nunc enim ceterarum fulgore virtutum laus ista [d] præstringitur. Nos tamen sacra literarum colentes feras, Cæsar, si non tacitum hoc prætermimus, et Virgiliano certe versu testamur,

Inter victrices hederam tibi serpere lauros.

93 Elegia Græcos quoque provocamus, cujus mihi tersus atque elegans maxime videtur auctor *Tibullus*. Sunt qui *Propertium* malint. *Ovidius* utroque lascivior: sicut du-

[d] ipsa *iid.*

genti Instituet, tanquam Deo etiam templum dicabit, quod genti vestræ in primis sacrum et sanctum erit. Neque enim opus est, ut poeta prodente Quinctiliano jam mortuus, et ista scribens vivo Vespasiano, vaticinatus fingatur de templo gentis Flaviæ a Domitiano condito: sed potuit facile existimare, honorem habitum iri Vespasiano eundem a suis, quem Julio Augustus habuit. Sed redeamus ad Fabium.) De hac re igitur agens, noster verbis utitur ad rationes temporum horum, et adulationem, egregie compositis. *Donato imperio* militari, condonato tum suspicionibus fratris, tum suo in optimarum artium studia amori, *in opera* poetica, h. e. ad ea elaboranda, a strepitu rerum gerendarum *secesserat* Domitianus. Sic nimirum legendum putamus post summos viros Lipsium ad Tac. l. c. et Schelium ad Dial. de Orat. c. 9, licet nondum prolatus sit liber, cujus auctoritate se tueri possit ea lectio. Interim habere adfinitatem quandam syllabas *suc* et *se* vel inde colligas, quod ex *succurro, succursus,* factum est Gallorum *secourir, secours.* Illud autem non opus est hic probari, *secedere* illos dici, et *secessum petere,* qui scribendi causa a negotiorum et hominum turba vel ad breve tempus, vel toto vitæ tenore, se removent. Vel Fabius noster cum discipulo suo Plinio exemplorum festivam copiam præbebunt in Thesauro Ling. Lat. quem cum maxime molimur.

91. *qui sic egerit*] Recte ostenderunt Gronovius Obss. 2, 3, et Burmannus ad h. l. itemque ad Ovid. Trist. 2, 230, atque ad Gratii Cyneg. 334, *Bella* etiam *agi*, et perperam tentatas esse id genus formulas: sed nescio tamen quomodo blandiatur mihi correctio Regii, qui pro *egerit* hic malit *gerit*. Multum certe hoc videtur plenius, cum non ad conatus modo juveniles pertineat, sed ad totius imperii tempus, et præsentem laudem.

92. *præsidentes studiis Deæ*] Qui *musica certamina* varia, in his *oratorum* etiam et *poetarum* instituerit. Vid. Sueton. Domit. c. 4, ubi etiam de Minerva. Sed de hac multo disertius c. 15, ubi *superstitiose* illam *coluisse* narratur &c.

92. *præstringitur*] Comparanda, quæ diximus ad f. 30. Certe hic magis placeret *præstinguitur*, quoniam ad obscuritatem, et visum impeditum refertur.

92. *Inter victrices*] Ecl. 8, 13. Horatii versus de Lucilio est Sat. 1, 4, 11, in quo illud *tollere* esse *delere, recidere, stilo verso inducere* docte ostendit hic Burmannus.

rior *Gallus*. Satyra quidem tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus est *Lucilius*, qui quosdam ita deditos sibi adhuc [e] habet amatores, ut eum non ejusdem modo operis auctoribus, sed omnibus poetis præferre non dubitent. Ego quantum ab illis, tantum ab Horatio dis- 94
sentio, qui *Lucilium fluere lutulentum* [f], et, *esse aliquid, quod tollere possis*, putat. Nam et [g] eruditio in eo mira, et libertas, atque inde acerbitas, et abunde salis. Multo [h] est tersior ac purus magis *Horatius*, et [i] ad notandos hominum mores præcipuus. Multum et veræ gloriæ, quamvis uno libro, *Persius* meruit. Sunt clari hodieque [k], 95
et qui olim nominabuntur. Alterum illud est [l], et prius Satyræ genus, quod [m] non sola carminum varietate mixtum condidit *Terentius Varro*, vir Romanorum eruditissimus. Plurimos hic libros, et doctissimos, composuit, peritissimus linguæ Latinæ, et omnis antiquitatis, et rerum Græcarum, nostrarumque, plus tamen scientiæ collaturus, quam eloquentiæ. *Iambus* non sane a Romanis celebra- 96
tus est, ut proprium opus; a quibusdam interpositus: cujus acerbitas in *Catullo* [n], *Bibaculo*, *Horatio*: quamquam illi epodos intervenire non [o] reperiatur. At Lyricorum

[e] *om.* Jens. [f] lutulenter *id.* [g] *om.* G. Jens. [h] Multum Jens. etiam *inf.* G. [i] et nisi labor ejus amore præc. G. Jens. *Lugd. Lips. conf. supra* 6, 3, 3. [k] hodie quoque *iid.* [l] etiam pr. G. Jens. *et Lips.* [m] sed *iid.* [n] Catulo Jens. [o] *Sic* G. Jens. *Lips. et plur. ap. Burm.* non *om. Regium secuti plerique.*

95. *qui olim nominabuntur*] *Clari* nempe *postgenitis: quatenus* (*heu nefas!*) *Virtutem incolumem odimus, Sublatam ex oculis quærimus invidi.* Horat. Od. 3, 24, 30. Add. supra 3, 1, 21.

95. *Alterum illud*] Puto retineri posse veterem lectionem, quæ conjecturæ Regii adhuc cedere in plerisque, recentioribus præsertim, coacta est, h. m. *Alterum illud, etiam prius* h. e. præstantius *satyræ genus, sed non sola carminum* lascive huc illuc desilientium *varietate mixtum*, verum etiam prosa tum Latina tum Græca interposita distinctum *condidit* apud Romanos *Varro* &c. Ita sane malim illud *prius* (modo sanum sit, et non ex compendio vocis *posterius perius* ortum) interpretari, quam cum summo viro Isaac. Casaubono de Satira Rom. 2, 2, p. 196, Varronianum genus *prius* vocare ideo, quod Ennium auctorem habeat, Lucilio majorem. Nimis enim diserte contradicere hæc interpretatio videtur his, quæ s. 93 dicit Fabius. Cæterum de illa varietate Satyræ Varronianæ optime discas ex fragmentis, quæ in bonis editionibus collecta exstant.

96. *ut proprium opus*] Ut aliquis totum librum iamborum dederit: quanquam iambos dederit haud unus.

96. *epodos intervenire non reperiatur*] Locus non satis clarus. Primo negatio in optimis quibusque libris reperta non videbatur negligenda. Deinde quid *epodos* sit, nescio an satis sit expeditum. Ab

idem *Horatius* fere ſolus legi dignus. Nam et inſurgit aliquando, et plenus eſt jucunditatis et gratiæ, et variis figuris et verbis feliciſſime[p] audax. Si quem adjicere velis, is[q] erit[r] *Cæſius Baſſus*, quem nuper vidimus: ſed
97 eum longe præcedunt ingenia viventium. Tragœdiæ ſcriptores, *Accius* atque *Pacuvius*, clariſſimi gravitate ſententiarum, verborum[s] pondere, et auctoritate perſonarum. Ceterum nitor, et ſumma in excolendis operibus manus, magis videri poteſt temporibus, quam ipſis defuiſſe. Virium tamen Accio plus tribuitur: Pacuvium videri doc-
98 tiorem, qui eſſe docti affectant, volunt. Jam *Varii Thyeſtes* cuilibet Græcorum comparari poteſt. *Ovidii Medea* videtur mihi oſtendere, quantum vir ille præſtare potuerit, ſi ingenio ſuo temperare, quam indulgere, maluiſſet. Eorum quos viderim, longe princeps *Pomponius Secundus*, quem ſenes parum[t] tragicum putabant, eruditione ac ni-
99 tore præſtare confitebantur. In comœdia maxime claudicamus[u]: licet Varro dicat[x], *Muſas*, Ælii[y] Stilonis ſententia, *Plautino*[z] *ſermone locuturas fuiſſe, ſi Latine loqui vellent*; licet *Cæcilium* veteres[a] laudibus ferant; licet *Terentii ſcripta* ad Scipionem Africanum referantur: quæ tamen ſunt in hoc genere elegantiſſima, et plus adhuc
100 habitura gratiæ, ſi intra verſus trimetros ſtetiſſent. Vix levem conſequimur umbram, adeo ut mihi ſermo ipſe Romanus non recipere videatur illam ſolis conceſſam Atticis Venerem, quando eam ne Græci quidem in alio genere linguæ obtinuerint. Togatis excellit *Afranius*: utinamque non inquinaſſet argumenta puerorum fœdis amo-
101 ribus, mores ſuos faſſus. At hiſtoria non ceſſerit Græcis,

[p] ferociſſime Jenſ. [q] *om.* G. [r] *om.* Jenſ. [s] verborumque G. Jenſ. [t] Pindarum Jenſ. [u] judicamus Jenſ. claudicavimus G. [x] *om.* G. Jenſ. [y] Epi Stoloni *iid.* [z] dicat *inſ. iid.* [a] in *inſ.* G.

hoc incipiamus. Qui Horatii librum quintum *Epodon* nomine appellarunt, ii hoc videntur ſpectaſſe, quod ejuſdem generis verſiculus brevior *accinit* quaſi et *ſuccinit* longiori, trimetro nempe dimetros. Ex hoc enim genere ſunt XI priora carmina, a quibus, ut a potiori parte, nomen tractum eſt. Ex hoc genere quanquam paullum diverſo eſt etiam Carmen XII, hexametris dactylicis ſubjecti ejuſdem generis tetrametri: nec multum abit tertium decimum. Cum igitur ἐπῳδὸς verſiculus *interveniat*, apud Horatium, ad quem iſta Fabii pertinere homines judicaſſent, et vix unum ultimum carmen iambos ſolos ſenarios habeat; conſequens erat, ut illud *non* delendum putarent. Sed quum nondum prolatus ſit liber, qui *non* illo careat, tutius et modeſtius viſum eſt illud ſervare, et referre totum hoc ad Catullum, ad quem ut remotiorem pronomen *illi* reſpicit commode: in hujus certe iambicis *epodos non reperitur*, quantum eorum ſupereſt hodie.

100. *mores ſuos faſſus*] Contradicit itaque ſuo diſcipulo Plinio,

nec opponere Thucydidi *Salluſtium* verear: nec indigne-
tur ſibi Herodotus æquari *T. Livium*, cum in narrando
miræ jucunditatis, clariſſimique candoris, tum in concio-
nibus, ſupra quam enarrari poteſt, eloquentem: ita [b] di-
cuntur omnia, cum rebus, tum perſonis, accommodata:
ſed affectus quidem [c], præcipue eos, qui ſunt dulciores,
ut parciſſime dicam, nemo hiſtoricorum commendavit
magis. Ideoque immortalem illam Salluſtii [d] velocitatem 102
diverſis virtutibus conſecutus eſt. Nam mihi egregie
dixiſſe videtur *Servilius Nonianus* [e], pares eos magis, quam
ſimiles: qui et ipſe a nobis auditus eſt, clari [f] vir ingenii [g],
et ſententiis creber [h], ſed minus preſſus, quam hiſtoriæ
auctoritas poſtulat. Quam, paullum ætate præcedens 103
eum *Baſſus Aufidius*, egregie, utique in libris belli Ger-
manici, præſtitit, genere ipſo probabilis in omnibus, ſed
in quibuſdam ſuis [i] ipſe viribus minor. Supereſt adhuc,

[b] Itaque Jenſ. [c] quidem pr. eos *om.* G. [d] Salluſtius Jenſ. [e] Nomianus G. Novianus Jenſ. [f] elatus G. clarus Jenſ. [g] ingenio G. Jenſ. [h] crebrior *iid.* [i] ſuis ipſe *om. iid.*

qui 4, 14, 5, Catullianis illis ſe tuetur,

Nam caſtum eſſe decet pium poe-
tam
Ipſum, verſiculos nihil neceſſe eſt.

De Plinio et pauciſſimis forte, ut voluerit, aliquis. Impuros poetas pleroſque certe *ſuos fateri mores*, certum eſt. Sed hac de re ad Plin. 4, 27, 4.

103. *Supereſt adhuc*] Si Plinium intelligit, cujus illum admonere debuit Aufidius Baſſus, *a* cujus *fine*, h. e. ubi ille deſiit, hiſtoriarum libros unum et triginta dedit, teſte ipſius filio adoptivo epiſt. 3, 5, 6: hunc igitur ſi intelligit, jam ſcripſiſſe iſta oportet ante Domitiani imperium, (cum Tito imperante ille perierit) et hoc rerum potiente modo retractaſſe atque edidiſſe. Poteſt etiam fieri, ut a nomine, quod Domitiano forte inviſum eſſet, abſtinuerit lubens in ipſa quoque retractatione, vel emendatione. Tacitus quidem, obſervante etiam Lipſio ad hunc Fabii locum inter teſtimonia de illo relatum, cum Domitianus rerum potiretur, nondum quidquam ediderat. Pertinent forte ad Plinium etiam quæ ſequuntur. *Habet amatores* laudatoreſque hiſtoriarum ſuarum, *nec* tamen *imitatores*; quod difficilius eſt, ſcilicet, (ut de Seneca ſ. 126) *ut libertas*, qua utitur in ſcriptis ſuis, quam et ipſam laudare quam amare facilius eſt: *quamquam circumciſis* et omiſſis in repetita forte libri prælectione atque retractatione, *quæ dixiſſet* in hoc genere paullo aſperius, *ei* libertati ipſe *nocuerit*, eamque obſcuraverit, ut jam non ita appareat. Solitum fuiſſe Plinium libertate magna in ſcribendo uti, non modo varii operis immortalis loci demonſtrant; ſed illud etiam, quod (auctore filio epiſt. 3, 5, 6,) potius aliud ſcripſit quidvis quam hiſtoriam *ſub Nerone noviſſimis annis, cum omne ſtudiorum genus paullo liberius et erectius periculoſum ſervitus feciſſet.* Hæc de loco obſcuriuſculo: ſi quis melius quid attulerit, facile nos in partes ſuas traducet.

et exornat ætatis noſtræ gloriam, vir ſeculorum memoria
104 dignus, qui olim nominabitur, nunc intelligitur. Habet
amatores, nec imitatores [k], ut libertas, quamquam circumciſis
quæ dixiſſet, ei nocuerit. Sed elatum abunde
ſpiritum, et audaces ſententias deprehendas etiam in iis,
quæ manent. Sunt et alii ſcriptores boni: ſed nos ge-
105 nera deguſtamus, non [l] bibliothecas excutimus. Oratores
vero vel præcipue Latinam eloquentiam parem [m] facere
Græcæ poſſunt. Nam *Ciceronem* cuicumque eorum [n]
fortiter oppoſuerim. Nec ignoro, quantam mihi concitem
pugnam, cum præſertim id non ſit propoſiti, ut eum
Demoſtheni comparem hoc tempore: neque enim attinet,
cum Demoſthenem in primis legendum, vel ediſcendum
106 potius putem. Quorum ego virtutes pleraſque arbitror
ſimiles, conſilium, ordinem dividendi [o], præparandi,
probandi rationem, omnia denique, quæ ſunt [p] inventionis.
In eloquendo eſt aliqua diverſitas: denſior ille, hic
copioſior; ille concludit adſtrictius, hic latius; pugnat
ille acumine ſemper, hic frequenter [q] et pondere; illi nihil
detrahi poteſt, huic nihil adjici; curæ plus in illo, in
107 hoc naturæ. Salibus certe, et commiſeratione (qui duo
plurimum affectus valent) vincimus. Et fortaſſe epilogos
illi mos civitatis abſtulerit: ſed et nobis illa, quæ Attici
mirantur, diverſa Latini ſermonis ratio minus permiſerit.
In epiſtolis quidem, quamquam ſunt utriuſque, nulla con-
108 tentio eſt. Cedendum vero in hoc quidem [r], quod ille [s]
et prior fuit, et ex magna parte Ciceronem, quantus eſt,
fecit [t]. Nam mihi videtur M. Tullius, cum ſe totum ad
imitationem Græcorum contuliſſet, effinxiſſe vim Demoſt-
109 henis, copiam Platonis, jucunditatem Iſocratis. Nec vero
quod in quoque optimum fuit, ſtudio conſecutus eſt tantum,
ſed plurimas, vel potius omnes ex ſe ipſo virtutes
extulit immortalis ingenii beatiſſima ubertate [u]. Non

[k] immerito *MS. Bodl. et plur. ap. Burm.* immeritores *vel* immeritorem *al. ibid.* [l] *om.* Jenſ. [m] non *inſ. id.* [n] ita *inſ.* G. [o] videndi G. Jenſ. [p] *om.* Jenſ. [q] frequentior *id.* [r] *om.* G. Jenſ. [s] *om.* G. [t] *Sic* G. Jenſ. facit *al.* [u] ubertas Jenſ.

105. *ut eum—comparem*] Et tamen videris hoc ipſum facere paullo poſt, Fabi: et quî hoc minuat augeatque pugnam, ſi compares Demoſtheni Ciceronem vel non compares? Fateor me hic non ſatis clarum videre. Dicam interim, Fabium negare hoc modo, ſed dedita opera comparationem utriuſque non ſcribere, qualem, ut hoc utar, dedit paullo poſt hæc tempora Plutarchus.

enim *pluvias* (ut ait Pindarus) *aquas colligit, sed vivo gur-*
gite exundat, dono quodam providentiæ genitus, in quo
totas vires[x] suas eloquentia[z] experiretur. Nam quis do- 110
cere diligentius, movere vehementius potest? Cui tanta
umquam jucunditas affuit? ut[a] ipsa illa, quæ extorquet,
impetrare eum credas, et, cum transversum vi sua judicem
ferat[b], tamen ille non rapi videatur, sed sequi. Jam in[c] 111
omnibus, quæ dicit, tanta auctoritas inest, ut dissentire
pudeat: nec advocati studium, sed testis aut judicis adfe-
rat fidem. Cum interim[d] hæc omnia, quæ vix singula
quisquam[e] intentissima cura consequi posset, fluunt illa-
borata: et illa, qua nihil pulchrius auditu est, oratio[f]
præ se fert tamen felicissimam facilitatem. Quare non 112
immerito ab hominibus ætatis suæ *regnare in judiciis* dic-
tus est: apud posteros vero id[g] consecutus, ut Cicero jam
non hominis nomen, sed eloquentiæ habeatur. Hunc igi-
tur spectemus, hoc propositum nobis sit exemplum, ILLE
se profecisse sciat, cui Cicero valde placebit. Multa in 113
Asinio Pollione inventio[h], summa diligentia, adeo ut qui-
busdam etiam nimia videatur: et consilii et animi satis:
a nitore et jucunditate Ciceronis ita longe abest, ut videri
possit seculo[i] prior. At *Messala* nitidus et candidus, et
quodammodo præ se ferens in dicendo nobilitatem suam;
viribus minor. *C.* vero *Cæsar* si foro tantum vacasset, 114
non alius ex nostris contra Ciceronem nominaretur: tanta
in eo vis est, id acumen, ea concitatio, ut illum eodem
animo dixisse, quo bellavit, appareat. Exornat tamen
hæc omnia mira sermonis, cujus proprie studiosus fuit,
elegantia. Multum ingenii in *Cœlio*, et præcipue in ac- 115
cusando multa urbanitas, dignusque vir, cui et mens me-

[x] virtutes suas experiretur eloquentia Jens. [z] eloquentiæ G. [a] *om.* Jens. [b] feriat Jens. [c] *om. id.* [d] inter *id.* [e] quamquam G. [f] *om. id.* [g] est *ins.* G. Jens. [h] invenio *iid.* [i] secundo Jens.

109. *ut ait Pindarus*] Non puto exstare hodie apud Pindarum tale quid.

112. *regnare in judiciis*] Respicit huc ipse Fam. 7, 24, *Olim, cum regnare existimabamur*, et Fam. 9, 18, *amisso regno forensi*.

114. *cujus proprie studiosus*] Quid si *proprii sermonis studiosum* hic prædicari Cæsarem dicamus? Certe notum est, rigidum hujus virtutis exactorem fuisse. Nam *tanquam scopulum fugere* jussit *verbum insolens*; quod ex primo ipsius de analogia libro refert Gellius 1, 10. Nisi forte *proprie studiosus* est in primis et maxime studiosus.

115. *mens melior*] Minus libidinosa et procax, quod in Clodiæ familiaritate demonstravit, quo nomine defensus est a Cicerone: minus porro iracunda et αὐθάδης, cujus vestigia multa sunt in octavo Ciceronis epistolarum.

lior, et vita longior contigiſſet. Inveni qui *Calvum* præferrent omnibus, inveni qui Ciceroni[l] crederent, eum nimia contra ſe calumnia verum ſanguinem perdidiſſe: ſed eſt et ſancta et gravis[m] oratio, et caſtigata, et frequenter vehemens quoque. Imitator eſt autem Atticorum: fecitque illi properata mors injuriam, ſi quid adjecturus[n], non
116 ſi quid detracturus fuit. [o] Et *Servius Sulpicius*[p] inſignem non[q] immerito famam tribus orationibus meruit. Multa, ſi cum judicio legatur[r], dabit imitatione digna *Caſſius Severus:* qui, ſi ceteris virtutibus colorem et gravitatem
117 orationis adjeciſſet, ponendus inter præcipuos foret. Nam et ingenii plurimum eſt in eo, et acerbitas mira et urbanitas, et vis ſumma: ſed plus ſtomacho, quam conſilio dedit: præterea ut[s] amari ſales, ita[t] frequenter amaritu-
118 do ipſa ridicula eſt. Sunt et[u] alii multi diſerti, quos perſequi longum eſt. Eorum, quos viderim, *Domitius Afer*, et *Julius Africanus*, longe præſtantiſſimi. Verborum arte ille, et toto genere dicendi præferendus, et quem in numero veterum locare[x] non timeas: hic concitatior, ſed in cura verborum nimius, et compoſitione nonnumquam longior, et tranſlationibus parum modicus. Erant clara
119 et nuper ingenia. Nam et *Trachalus*[z] plerumque ſublimis, et ſatis apertus fuit, et quem velle optima crederes: auditus tamen major. Nam et vocis, quantam in nullo cognovi, felicitas; et pronuntiatio vel ſcenis ſuffectura, et decor[a]: omnia denique ei, quæ ſunt extra, ſuperfuerunt. Et *Vibius Criſpus*, compoſitus, et jucundus, et delectationi natus: privatis tamen cauſſis, quam publicis,
120 melior. *Julio Secundo* ſi longior contigiſſet ætas, clariſſi-

[l] Ciceronem *id.* [m] brevis *id.* [n] ſibi *inſ.* G. [o] Inſignis *inſ.* Jenſ. [p] non *inſ.* G. [q] *om.* Jenſ. [r] legantur G. [s] et Jenſ. [t] ut *inſ. id.* [u] *om.* G. autem Jenſ. [x] habere Jenſ. [z] Trachallus *id.* [a] decora *id.*

115. *Ciceroni crederent*] In Bruto c. 82, ubi inter alia, *Accuratius quoddam dicendi et exquiſitius adferebat genus: quod quamquam ſcienter eleganterque tractabat, nimium tamen inquirens in ſe, atque ipſe ſeſe obſervans, metuenſque ne vitioſum colligeret, etiam verum ſanguinem deperdebat.* Hæc eſt illa *calumnia*, quæ κακιζότεχνον fecit. Vid. ſupra ad 8, pr. 31. *Infelicem calumniandi ſe pœnam* damnat etiam noſter 10, 3, 10. et 10, 4, 3. et *infelicem verborum cavillationem* 10, 7, 14. add. omnino 12, 10, 77.

116. *tribus orationibus*] Quarum meminit etiam 10, 7, 30.

117. *plus ſtomacho*] Vide de viri ingenio ad 10, 1, 22: de *acerbitate autem* (τῆς δριμύτητος) *urbana*, et *amaris ſalibus*, illam Plutarchi narratiunculam, quam referimus ad 9, 2, 27.

119. *vocis—felicitas*] Vid. 12, 5, 6.

mum profecto nomen oratoris apud poſteros foret. Adje-
ciſſet enim, atque adjiciebat ceteris virtutibus ſuis, quod
deſiderari poteſt. Id eſt autem, ut eſſet multo magis
pugnax, et ſæpius ad curam rerum ab elocutione reſpi-
ceret [b]. Ceterum interceptus quoque magnum ſibi vin- 121
dicat locum. Ea eſt facundia, tanta in explicando, quod
velit, gratia: tam candidum et lene [c] et ſpecioſum di-
cendi genus: tanta verborum, etiam quæ aſſumta ſunt,
proprietas: tanta in quibuſdam ex periculo petitis ſignifi-
cantia. Habebunt qui poſt nos de oratoribus ſcribent, 122
magnam eos, qui nunc vigent, materiam vere laudandi [e].
Sunt enim ſumma hodie, quibus illuſtratur forum, inge-
nia. Namque et conſummati jam patroni veteribus æmu-
lantur, et eos juvenum ad optima tendentium imitatur ac
ſequitur induſtria. Superſunt, qui de philoſophia ſcrip-
ſerunt [f], quo in genere pauciſſimos adhuc eloquentes li- 123
teræ Romanæ tulerunt. Idem igitur *M. Tullius*, qui, ut
ubique, etiam in hoc opere *Platonis* æmulus extitit.
Egregius vero, multoque, quam in orationibus, præſtan-
tior *Brutus*, ſuffecit ponderi rerum: ſcias eum ſentire,
quæ dicit. Scripſit non parum multa *Cornelius Celſus*,
Scepticos [g] ſecutus, non ſine cultu ac nitore. *Plancus* [h] 124
in Stoicis rerum cognitione utilis. In Epicureis levis
quidem, ſed non injucundus tamen auctor [i] eſt *Catius*.
Ex induſtria *Senecam* in omni genere eloquentiæ diſtuli,
propter vulgatam falſo de me opinionem, qua [l] damnare 125
eum, et inviſum quoque habere ſum creditus. Quod ac-
cidit mihi, dum corruptum et omnibus vitiis fractum di-
cendi genus revocare ad ſeveriora judicia contendo.
Tum [m] autem ſolus hic fere in manibus adoleſcentium
fuit. Quem non equidem omnino conabar excutere, ſed 126
potioribus præferri non ſinebam, quos ille non deſtiterat

[b] reſipiſc. *id.* [c] leve *id. Vid. not. ad* 10, 1, 52. [e] laudanda Jenſ. [f] ſcripſerint G. Jenſ. [g] Sextios *iid.* [h] Plautus Jenſ. [i] ductorem. Ex *id.* [l] quia G. Jenſ. [m] Cum *iid.*

121. *ex periculo petitis*] Vid. ad 2, 11, 3, et 8, 6, 11.

124. *Scepticos ſecutus*] Diſciplinas prope omnes ſtilo proſecutum eſſe docet noſter 12, 11, 24. Opus hoc ſceptici, per omnes partes ire eorum, quæ ſciri putantur, ut factum a Sexto Empirico. Legentes præfationem operis, quod ſolum hodie ſupereſt, facile vident, eum ſcepticum quidem ſe non profiteri, ſcepticos tamen in hoc ſecutum, quod ſententias diverſas commemorat, nihil facile adſeverat &c.

124. *Catius*] Ille, cujus *ſpectra* (εἴδωλα Epicuri) ridet Tullius Fam. 15, 16 et 19.

inceſſere, cum diverſi ſibi conſcius generis, placere ſe in dicendo poſſe iis [n], quibus illi placerent, diffideret. Amabant autem eum magis, quam imitabantur: tantumque ab illo defluebant, quantum ille ab antiquis deſcenderat.
127 Foret enim optandum, pares, aut ſaltem proximos, illi viro fieri. Sed placebat propter ſola vitia, et ad ea ſe quiſque dirigebat effingenda, quæ poterat: deinde cum ſe
128 jactaret eodem modo dicere, Senecam infamabat. Cujus et multæ alioqui, et magnæ virtutes fuerunt: ingenium facile et copioſum, plurimum ſtudii, multarum rerum cognitio: in qua tamen aliquando ab iis, quibus inquirenda quædam mandabat, deceptus eſt. Tractavit etiam
129 omnem fere ſtudiorum materiam. Nam et orationes ejus, et poemata, et epiſtolæ, et dialogi feruntur [o]. In philoſophia parum diligens, egregius tamen vitiorum inſectator fuit [p]. Multæ in eo claræque ſententiæ, multa etiam morum gratia legenda: ſed in eloquendo corrupta pleraque, atque eo pernicioſiſſima, quod abundant dulci-
130 bus vitiis. Velles eum ſuo ingenio dixiſſe, alieno judicio. Nam ſi aliqua [q] contemſiſſet, ſi parum concupiſſet, ſi non omnia ſua amaſſet, ſi rerum pondera minutiſſimis ſententiis non fregiſſet: conſenſu potius eruditorum, quam pue-
131 rorum amore comprobaretur. Verum ſic quoque jam robuſtis, et ſeveriore genere ſatis firmatis legendus, vel ideo, quod exercere poteſt utrumque judicium [r]. Multa enim (ut dixi) probanda in eo, multa etiam admiranda ſunt: eligere modo curæ ſit, quod utinam ipſe feciſſet. Digna enim fuit illa natura, quæ meliora vellet; quæ [s], quod voluit, effecit [t].

II. Ex his ceteriſque lectione dignis auctoribus et verborum ſumenda copia eſt [u], et varietas figurarum, et componendi ratio: tum ad exemplum virtutum omnium mens dirigenda. Neque enim dubitari poteſt, quin artis pars magna contineatur *imitatione*. Nam ut invenire primum fuit, eſtque præcipuum: ſic ea, quæ bene inventa ſunt,
2 utile ſequi. Atque omnis vitæ ratio ſic conſtat, ut, quæ probamus in aliis, facere ipſi velimus. Sic literarum ductus, ut ſcribendi fiat uſus, pueri ſequuntur: ſic muſici vocem docentium, pictores opera priorum, ruſtici probatam

[n] in *iid.* [o] efferuntur Jenſ. [p] *om.* G. [q] nihil æqualium G. Jenſ.
[r] judicem G. [s] *om.* Jenſ. [t] efficit *id.* [u] *om.* G. Jenſ.

126. *Amabant—magis, quam imitabantur*] Sic paullo ante ſ. 104.

experimento culturam in exemplum intuentur [x]. Omnis
denique diſciplinæ initia ad propoſitum ſibi præſcriptum
formari videmus. Et Hercle neceſſe eſt, aut ſimiles aut 3
diſſimiles bonis ſimus. Similem raro natura [z] præſtat,
frequenter imitatio. Sed hoc ipſum, quod tanto facilio-
rem nobis rationem rerum omnium facit, quam fuit iis,
qui nihil, quod ſequerentur, habuerunt, niſi caute et cum
judicio apprehenditur, nocet. Ante omnia igitur imita- 4
tio per ſe ipſa non ſufficit, vel quia pigri eſt ingenii, con-
tentum eſſe iis, quæ ſunt ab aliis inventa. Quid enim
futurum erat temporibus illis, quæ ſine exemplo fuerunt,
ſi homines nihil niſi quod jam cognoviſſent, faciendum
ſibi aut cogitandum putaſſent? Nempe nihil fuiſſet in-
ventum. Cur igitur [a] nefas eſt reperiri aliquid a nobis, 5
quod ante non fuerit? An illi [b] rudes ſola mentis natura
ducti ſunt in hoc, ut tam multa generarent, nos ad quæ-
rendum non eo ipſo concitemur, quod certe ſcimus inve-
niſſe eos, qui quæſierunt [c]? Et cum illi, qui nullum cu- 6
juſquam [d] rei habuerunt [e] magiſtrum, plurima in poſteros
tradiderint [f], nobis uſus aliarum rerum ad eruendas [g] alias
non proderit, ſed nihil habebimus [h], niſi beneficii alieni?
QUEMadmodum quidam pictores in id ſolum ſtudent,
ut deſcribere tabulas menſuris ac lineis ſciant. Turpe 7
etiam illud eſt, contentum eſſe id conſequi, quod imiteris.
Nam rurſus quid erat [i] futurum, ſi nemo [k] plus effeciſſet
eo, quem [l] ſequebatur? Nihil in poetis ſupra *Livium An-
dronicum*; nihil in hiſtoriis ſupra *Pontificum annales* habe-
remus: ratibus adhuc navigaremus: non eſſet pictura,
niſi quæ lineas modo extremas umbræ, quam corpora in

[x] tuentur Jenſ. [z] naturam G. *male.* [a] ergo Jenſ. [b] illa G. [c] quæſierit G. quæſierint Jenſ. [d] cujuſque G. [e] habuerint Jenſ. [f] tradiderunt *id.* [g] erudiendas *id.* [h] habemus G. [i] eſſet G. [k] nihil G. [l] quæ Jenſ.

II, 5. *Cur igitur nefas*] Ut hic *nefas* ſic *fas* ſ. 9 ad *fatum* quoddam ſive æternam legem refertur, qua perfectiones rerum poſſibiles (φιλοσοφητέον γὰρ) determinantur: h. e. qua ſui quidam fines rebus earumque virtutibus adſignantur, ultra quos adſcendere per conditionem ſuam illis non liceat. Sic 11, 3, 181, *Neque tamen illud eſt nefas.* Simile mox 10, 2, 26, *Totum exprimere pene homini inconceſſum.* Et quoties *licet* ita ponitur?

7. *Pontificum annales*] Incunabula illa quaſi hiſtoriæ Romanæ, de quibus Cic. de Orat. 2, 12. *Ab initio rerum Romanarum—res omnes ſingulorum annorum mandabat literis Pontifex Maximus, efferebatque* (*referebat* malit cum Lambino Pearcius) *in album, et proponebat tabulam domi, poteſtas ut eſſet populo cognoſcendi; hi etiam nunc annales maximi nominantur.*

7. *lineas umbræ*]. Hanc picturæ originem adſignant omnes: cui de-

8 ſole feciſſent, circumſcriberet. Ac ſi omnia percenſeas, nulla ſit ars, qualis inventa eſt, nec intra initium ſtetit: niſi forte noſtra potiſſimum tempora damnamus hujus infelicitatis, ut nunc demum nihil creſcat. Nihil enim [m]
9 creſcit ſola imitatione. Quod ſi prioribus adjicere fas non eſt, quomodo ſperare poſſumus [n] illum oratorem perfectum? cum [o] in iis, quos maximos adhuc novimus, nemo ſit inventus, in quo nihil aut deſideretur, aut reprehendatur. Sed etiam qui ſumma [p] non appetunt, conten-
10 dere potius, quam ſequi debent. Nam QUI agit, ut prior ſit, forſitan etiam, ſi non tranſierit, æquabit. Eum vero nemo poteſt æquare, cujus veſtigiis ſibi utique inſiſtendum putat. Neceſſe eſt enim, ſemper ſit poſterior, qui ſequitur. Adde quod plerumque facilius eſt plus facere, quam idem. Tantam enim difficultatem habet ſimilitudo, ut ne ipſa quidem natura in hoc ita evaluerit [q], ut non res, quæ ſimillimæ videantur [r], diſcrimine aliquo diſcernantur.
11 Adde quod quidquid alteri ſimile eſt, neceſſe eſt minus ſit eo, quod imitatur, UT umbra corpore, et imago facie, et actus hiſtrionum veris affectibus. Quod in orationibus quoque evenit. Namque iis, quæ in exemplum aſſumimus, ſubeſt natura, et vera vis: contra omnis imitatio
12 ficta eſt, et ad alienum propoſitum accommodatur. Quo [s] ſit, ut minus ſanguinis ac virium declamationes habeant, quam orationes: quod in illis vera, in his aſſimulata materia eſt. Adde quod ea, quæ in oratore [t] maxima ſunt, imitabilia non ſunt, *ingenium*, *inventio* [u], *vis*, *facilitas*, et
13 quidquid arte non traditur. Ideoque plerique, cum verba quædam ex orationibus excerpſerunt, aut aliquos compoſitionis certos pedes, mire a ſe, quæ legerunt, effingi arbi-

[m] autem. [n] poſſimus ullum *id.* [o] cum in iis *om.* G. [p] ſummam G. Jenſ. [q] valuerit Jenſ. [r] videntur G. [s] quod Jenſ. *male.* [t] oratione *id.* [u] inventioni fac. G. inventiones Jenſ.

beatur, non convenit. vid. Plin. H. N. 35, 3, ſ. 5. Athenag. Legat. pro Chriſtian. p. 59. Dechair. &c.

9. *illum oratorem perfectum*] Quem doctrinæ cauſa non deformant modo, ſed exiſtere etiam poſſe aliquando, bonæ ſpei cauſa docent rhetores. Hoc opus Ciceronis tum in tribus de Oratore libris, tum in eo, qui ſimpliciter Orator inſcriptus eſt. Hoc etiam noſter agit toto opere. Vid. procem. ſ. 6, et mox 10, 2, 28.

10. *res—ſimillimæ—diſcernantur*] Viveres hodie, Fabi, videres Philoſophos ſerio hoc demonſtrare, non eſſe duo in rerum natura plane ſimilia, vel, ut loquuntur viri magni, indiſcernibilia, (*indiſcretæ* res *ſimilitudinis* dixit Plinius) et hoc ſi admiſſum ſit, plura et maxima quædam inde efficere. Sed nihil ſub ſole novum: et nos hoc non agimus.

trantur: cum et [x] verba intercidant invaleſcantque [z] tem-
poribus, ut quorum certiſſima ſit regula in conſuetudine,
eaque non ſua natura ſint bona aut mala, (nam per ſe ſoni
tantum ſunt) ſed prout opportune proprieque aut ſecus
collocata ſunt: et compoſitio cum rebus accommodata
ſit [a], tum ipſa varietate gratiſſima. Quapropter exactiſſi-
mo judicio circa hanc partem ſtudiorum examinanda ſunt 14
omnia. Primum, quos imitemur: nam ſunt plurimi, qui
ſimilitudinem peſſimi cujuſque et corruptiſſimi concupie-
rint [b]. Deinde in ipſis, quos elegerimus, quid ſit, ad [c]
quod efficiendum [d] nos comparemus. Nam in magnis
quoque auctoribus incidunt aliqua vitioſa, et a doctis in- 15
ter ipſos etiam mutuo reprehenſa: atque UTINAM tam bona
imitantes dicerent melius, quam mala pejus dicunt [e]. Nec
vero ſaltem iis, quibus ad evitanda vitia judicii ſatis fuit,
ſufficiat imaginem virtutis effingere, et ſolam, ut ſic dixe-
rim, cutem, vel potius illas Epicuri figuras, quas e ſum-
mis corporibus dicit effluere. Hoc autem iis accidit, qui
non introſpectis penitus virtutibus, ad primum ſe velut 16
adſpectum orationis aptarunt: et cum iis feliciſſime ceſſit
imitatio, qui [f] verbis atque numeris ſunt non multum
differentes, vim dicendi atque inventionis non aſſequun-
tur, ſed plerumque declinant in pejus, et proxima virtuti-
bus vitia comprehendunt, fiuntque pro *grandibus tumidi,*
preſſis exiles, fortibus temerarii, lætis corrupti, compoſitis ex-
ſultantes, ſimplicibus negligentes. Ideoque qui horride at-
que incompoſite quamlibet [g] frigidum illud et inane ex- 17

[x] *om.* G. [z] invaleſcant Jenſ. [a] *om.* G. Jenſ. [b] concupierunt *iid.* [c] *om.* G. Jenſ. [d] nobis efficiendum comp. G. [e] dicant Jenſ. [f] *om.* G. Jenſ. [g] *Sic* G. *et Vallæ liber.* quidlibet *al.*

13. *verba intercidant*] Ex illo Horat. A. P. 60. ſq.

Ut ſilvis folia pronos mutantur in annos,
Prima cadunt—
Multa renaſcentur, quæ jam cecidere, cadentque
Quæ nunc ſunt in honore vocabula.

15. *Nec vero ſaltem*] Pro *ne quidem*, ut 6, 2, 19. 6, 4, 15, ubi vid.

15. *illas Epicuri figuras*] A quibus ſunt *ſpectra* illa *Catiana*, de quibus ad 10, 1, 124. Diſertiſſime, ut ſolet, Lucretius 4, 48; cujus verba cum reſpexerit aperte noſter, hic adſcribenda ſunt.

Dico igitur rerum effigias tenueſque figuras
Mittier ab rebus ſummo de corpore earum;
Quæ quaſi membrana vel cortex nominitanda eſt,
Quod ſpeciem ac formam ſimilem gerit ejus imago,
Quoiuſcunque cluet de corpore fuſa vagari.

16. *compoſitis exſultantes*] Exceſſus itaque numeroſæ et compoſitæ orationis eſt *exſultans*, cum rhythmi nimis aperti, ut ii ad quos ſaltatur. vid. 9, 4, 66.

tulerunt [h], antiquis se pares credunt: qui carent cultu atque sententiis, Atticis scilicet [i]: qui præcisis conclusionibus obscuri, Sallustium atque Thucydidem superant: tristes ac jejuni Pollionem æmulantur: otiosi et supini, si quid modo longius circumduxerunt, jurant ita Ciceronem
18 loquuturum [l] fuisse. Noveram quosdam, qui se pulchre expressisse genus illud cœlestis hujus in dicendo viri sibi viderentur, si in clausula posuissent, *Esse videatur.* Ergo primum est, ut, quod imitaturus est quisque, intelligat, et, quare bonum sit, sciat. Tum in suscipiendo onere con-
19 sulat suas vires. Nam quædam sunt inimitabilia [m], quibus aut infirmitas naturæ non sufficiat, aut diversitas repugnet. Nec, cui tenue ingenium erit, sola velit fortia et abrupta: cui [n] forte quidem, sed indomitum, amore subtilitatis [o] et vim suam perdat, et elegantiam, quam cupit, non assequatur [p]. Nihil est enim tam indecens, quam
20 cum mollia dura [q] fiunt. Atque ego illi præceptori, quem instituerам in libro secundo, tradidi [r] non ea sola docenda esse, ad quæ quemque discipulorum natura compositum videret. Nam is et adjuvare debet, quæ in quoque eorum invenerit [s] bona, et, quantum fieri potest, adjicere, quæ desunt, et emendare quædam et mutare. Rector enim est alienorum ingeniorum atque formator: diffici-
21 lius est naturam suam fingere. Sed ne ille quidem doctor, quamquam omnia, quæ recta sunt, velit esse in suis auditoribus quam plenissima, in eo tamen, cui naturam obstare viderit, laborabit. Id quoque vitandum, (in quo magna pars errat) ne in oratione poetas nobis et historicos, in illorum [t] operibus oratores aut declamatores imi-

[h] extulerint G. [i] *om.* G. [l] loquutum G. [m] imitabilia G. Jens. [n] qui *iid.* [o] sublimitatis G. [p] pers. G. Jens. [q] dure fiunt G. durescunt Jens. *et Bodl. ac plur. ap. Burm.* [r] credidi Jens. [s] invenit *id.* [t] illis G. Jens.

18. *Esse videatur*] Vid. 9, 4, 73.

19. *mollia dura sunt*] An nihil peccarint librarii, haud equidem dixerim. Sententiam video quam postulet argumentatio Fabii. Si is cui forte ingenium erit idemque indomitum, subtilis præter naturam suam esse velit; hinc vim perdat suam, illinc elegantiam, cui studet, non adsequatur. Quid ita? Nihil enim tam indecens, quam cum ea quæ sunt natura sua dura et virilia, studio et adfectatione fiunt mollia: sunt enim similia Herculi in crocota Omphales, aut elephanto, puerperæ Romanæ delicias imitanti. Hæc sententia aperta. Sed utrum eam Fabius ita obscure, ambigue certe, posuerit, non dixerim; nisi forte studio voluit etiam alterum comprehendere, indecens et hoc esse, si quæ mollia sunt per suam naturam, adfectatione fiant dura.

tandos putemus. Sua cuique propoſita lex, ſuus cuique 22
decor eſt. Nec comœdia in cothurnos aſſurgit, nec con-
tra tragœdia ſocco ingreditur. Habet tamen omnis elo-
quentia aliquid commune. Id imitemur, quod commune
eſt. Etiam hoc ſolet incommodi accidere iis, qui ſe uni 23
alicui generi dediderunt, ut ſi aſperitas his placuit alicu-
jus, hanc etiam in leni [u] ac remiſſo cauſſarum genere non
exuant: ſi [x] tenuitas, aut nuditas, in aſperis gravibuſque
cauſſis ponderi rerum parum reſpondeant: cum ſit diverſa
non cauſſarum modo inter ipſas conditio, ſed in ſingulis [z]
etiam cauſſis [a] partium; ſintque [b] alia leniter [u], alia aſpe-
re, alia concitate, alia remiſſe, alia docendi, alia movendi
gratia dicenda [c]: quorum omnium diſſimilis atque di-
verſa inter ſe ratio eſt. Itaque ne hoc quidem ſuaſerim, 24
uni ſe alicui proprie, quem per omnia ſequatur, addicere [d].
Longe perfectiſſimus Græcorum *Demoſthenes*, aliquid ta-
men aliquo in loco melius alii. Plurima ille [e]: ſed non
qui maxime imitandus, etiam [f] ſolus imitandus eſt. Quid 25
ergo? non eſt ſatis omnia ſic dicere, quo modo *Marcus
Tullius* dixit? Mihi quidem ſatis eſſet, ſi omnia conſequi
poſſem. Quid tamen nocet [g], vim *Cæſaris*, aſperitatem
Cælii, diligentiam *Pollionis*, judicium *Calvi*, quibuſdam
in locis aſſumere? Nam præter id, quod prudentis eſt [h], 26
quod in quoque optimum eſt, ſi poſſit, ſuum facere: tum
in tanta rei difficultate unum intuentes, vix aliqua pars
ſequitur. Ideoque cum totum exprimere, quem elegeris,
pene ſit homini inconceſſum: plurium bona ponamus
ante oculos, ut aliud ex alio hæreat, et, quo quidque loco
conveniat, aptemus. Imitatio autem (nam ſæpius idem 27
dicam) non ſit tantum in verbis. Illuc intendenda mens,
quantum fuerit illis viris decoris in rebus atque perſonis,
quod conſilium, quæ diſpoſitio, quam omnia etiam, quæ
delectationi videantur data, ad victoriam ſpectent: quid
agatur prooemio, quæ ratio et quam varia narrandi, quæ
vis probandi ac refellendi, quanta in affectibus omnis ge-

[u] levi *et* leviter Jenſ. *vid. not. ad* 10, 1, 52. *Sed hic quidem nihil mutaverim.* [x] ſed Jenſ. [z] ſimilis *id.* [a] cauſſæ partibus G. [b] qui *inſ.* Jenſ. [c] dicent *id.* [d] adjicere. Longe omnium perf. G. Jenſ. [e] *Sic* G. Jenſ. illi *al.* [f] etiam ſ. im. *om.* G. [g] noceret G. Jenſ. [h] *om.* G.

26. *totum exprimere—inconceſſum*] Plin. epiſt. 5, 10. *Ut pictores pulchram abſolutamque faciem raro, niſi in pejus, effingunt: ita ego ab hoc archetypo labor et decido.* Illud *inconceſſum* comparamus cum formula *nefas* 10, 2, 5.

neris movendis ſcientia, quamque[i] laus ipſa popularis utilitatis gratia aſſumta, quæ tum[l] eſt pulcherrima, cum ſequitur, non cum arceſſitur. Hæc ſi perviderimus[m],
28 tum vere imitabimur. Qui vero etiam propria his bona adjecerit, ut ſuppleat, quæ deerant, circumcidat, ſi quid redundabit, is erit (quem quærimus) perfectus orator: quem nunc conſummari potiſſimum oportebat, cum tanto plura exempla bene dicendi ſuperſint[n], quam illis, qui adhuc ſummi ſunt, contigerunt[o]. Nam erit hæc quoque laus eorum, ut priores ſuperaſſe, poſteros docuiſſe dicantur.

III. Et[p] hæc quidem auxilia extrinſecus adhibentur: in iis autem, quæ nobis ipſis paranda ſunt, ut laboris, ſic utilitatis etiam longe plurimum affert ſtilus. Nec immerito M. Tullius hunc *optimum effectorem ac magiſtrum dicendi vocat.* Cui ſententiæ perſonam L. Craſſi in diſputationibus, quæ ſunt de oratore, adſignando, judicium ſuum
2 cum illius auctoritate conjunxit. Scribendum ergo quam diligentiſſime, et quam plurimum. Nam UT terra altius effoſſa generandis alendiſque ſeminibus fecundior eſt: ſic profectus non a ſummo petitus, ſtudiorum fructus et[q] fundit uberius, et fidelius continet. Nam, ſine hac quidem conſcientia[r], ipſa illa ex tempore dicendi facultas inanem modo loquacitatem dabit, et verba in labris naſ-
3 centia. Illic radices, illic fundamenta ſunt: illic opes velut ſanctiore quodam ærario[s] reconditæ, unde ad ſubitos quoque caſus, cum res exiget, proferantur. Vires faciamus ante omnia, quæ ſufficiant labori certaminum[t], et

[i] *Sic* G. quantaque *al.* [l] tamen Jenſ. [m] prævid. *id.* [n] ſuperſunt G. Jenſ. [o] contigerint Jenſ. [p] At G. Jenſ. [q] *Sic* G. *Baſſ.* effundit *al.* [r] *Vid. leg.* conſtantia. [s] ſacrario Jenſ. [t] certantium G.

III, 1. *M. Tullius*] De Orat. 1, 33.

2. *ſine hac quidem conſcientia*] Explicant quidem Stigelius et Landſidelius hunc locum ita, *niſi tibi conſcius ſis laboris.* Sed non video equidem, quid ad rem faciat *conſcientia:* quin δοκησισοφίαν et loquacitatem parere poteſt illa laboris conſcientia et cogitatio. *Conſtantia* opus eſt, ut *quam diligentiſſime* ſcribamus et *quam plurimum,* quod poſtulat Fabius. Adeo parum hæc diſtant in antiqua ſcriptura, ut vix dubitem ita Quinctilianum dediſſe.

3. *ærario*] Non diſplicebat hic *ſacrarium,* quod præfert Jenſonii editio, cum notum ſit in templis eorumque ὀπισθοδόμοις, repoſitos fuiſſe theſauros publicos non minus quam privatos. Sed adjectum epitheton *ſanctius,* ærario quaſi proprium, *ſacrario* vix ſine ταυτολογίας vitio addi poteſt. Itaque nihil mutandum.

3. *labori certaminum*] Cum reſpectu ad ſacra Græcorum, vel ſolennia Romanorum, et ipſa quoque

usu non exhauriantur. NIHIL enim rerum ipsa [u] natura 4
voluit magnum effici cito, præposuitque pulcherrimo cui-
que operi difficultatem; quæ nascendi quoque hanc fe-
cerit legem, ut majora animalia diutius visceribus paren-
tum [x] continerentur. Sed cum sit duplex quæstio, *quo
modo*, et *quæ* maxime scribi oporteat, jam hinc ordinem
sequar. Sit primo vel tardus, dum diligens, stilus: quæ- 5
ramus optima, nec protinus se offerentibus gaudeamus:
adhibeatur judicium inventis, dispositio probatis. De-
lectus enim rerum verborumque agendus [z] est, et pondera
singulorum examinanda. Post [a] subeat ratio collocandi,
versenturque omni modo numeri: non, ut quodque se
proferet verbum, occupet locum. Quæ quidem ut dili- 6
gentius exsequamur, repetenda sæpius erunt scriptorum [b]
proxima. Nam præter id, quod sic melius junguntur
prioribus sequentia, calor quoque ille cogitationis, qui
scribendi mora refrixit, recipit ex integro vires, et VELUT
repetito spatio sumit impetum; quod in certamine saliendi
fieri videmus, ut conatum longius petant, et ad illud, quo
contenditur, spatium cursu ferantur: UTque in jaculando
brachia reducimus, et, expulsuri tela, nervos retro tendi-
mus. Interim tamen, si feret [c] flatus, danda sunt vela, 7
dum nos indulgentia illa non fallat. Omnia enim nostra,
dum nascuntur, placent: alioqui nec scriberentur. Sed
redeamus ad judicium, et retractemus suspectam facilita-
tem. Sic scripsisse Sallustium accepimus: et sane mani- 8
festus est etiam ex opere ipso labor. Virgilium quoque
paucissimos die composuisse versus, auctor est Varus.
Oratoris quidem alia conditio est [d]. Itaque hanc moram 9
et solicitudinem initiis impero. Nam primum hoc consti-
tuendum, hoc obtinendum est, ut quam optime scriba-
mus: celeritatem dabit consuetudo. Paullatim res fa-
cilius se ostendent, verba respondebunt, compositio seque-
tur [e]: cuncta denique, UT in familia bene instituta, in

[u] ipsa natura *om.* G. [x] parentis G. *recte, puto.* [z] habendus Jens. [a] ea *ins.* G. Jens. [b] scriptori Jens. [c] fuerit G. fieret Jens. [d] *om.* Jens. [e] persequetur G. *Quid si* per se sequetur? *Sed* proseq. *Alm. et Voss.*

Diis dicata, spectaculorum certamina. Quin ipsa illa oratorum professio, *certamen* est, ἀγὼν, et togata quædam militia.

4. *majora animalia diutius*] Elegans est de elephante locus Achillis Tatii ab Almelovenio indicatus lib. 4, p. 225. sq. Κύει μὲν αὐτὸν ἡ μήτηρ, χρονιώτατον δέ. Καὶ γὰρ δέκα ἐνιαυτοῖς πλάττει τὴν σποράν. Μετὰ δὲ τοσαύτην ἐτῶν περίοδον τίκτεται, ὅταν ὁ τόκος γέρων γένηται. Διὰ τοῦτο, οἶμαι, γίνεται μέγας τὴν μορφὴν, ἄμαχος τὴν ἀλκὴν, πολὺς τὴν βιοτὴν, βραδὺς τὴν τελευτήν.

10 officio erunt. Summa hæc eſt rei, CITO ſcribendo non fit, ut bene ſcribatur: bene ſcribendo fit, ut cito. Sed tum maxime, cum facultas illa contigerit, reſiſtamus, ut provideamus [f], et FEROCIENTES [g] equos frenis quibuſdam coerceamus: quod non tam moram faciet, quam novos impetus dabit. Nec enim rurſus eos, qui robur aliquod in ſtilo fecerint, ad infelicem calumniandi ſe pœnam
11 alligandos puto. Nam quomodo ſufficere civilibus officiis poſſit, qui ſingulis actionum partibus inſeneſcat? Sunt autem, quibus nihil ſit ſatis; omnia mutare, omnia aliter dicere, quam occurrit, velint [h]: increduli quidam, et de ingenio ſuo peſſime meriti, qui diligentiam putant,
12 facere ſibi ſcribendi difficultatem. Nec promtum eſt dicere, utros peccare validius putem, quibus omnia ſua placent, an quibus nihil. Accidit enim [i] etiam ingenioſis adoleſcentibus frequenter, ut labore conſumantur, et in ſilentium uſque deſcendant nimia bene dicendi cupiditate. Qua de re memini narraſſe mihi Julium Secundum illum, æqualem meum, atque a me, ut notum eſt, familiariter amatum, miræ facundiæ virum, infinitæ tamen curæ,
13 quid [l] eſſet ſibi a patruo ſuo dictum. Is fuit Julius Florus, in eloquentia Galliarum (quoniam ibi demum exercuit eam [m]) princeps, alioqui inter paucos diſertus, et dignus illa propinquitate. Is cum Secundum, ſcholæ adhuc operatum, triſtem forte vidiſſet, interrogavit, quæ cauſſa
14 frontis tam obductæ [n]? nec diſſimulavit adoleſcens, tertium jam diem eſſe, ex [o] quo omni labore materiæ ad ſcribendum deſtinatæ non inveniret exordium: quo ſibi non præſens tantum dolor, ſed etiam deſperatio in poſterum fieret. Tum Florus arridens, *Numquid tu*, inquit,
15 *melius dicere vis, quam potes?* Ita ſe res habet. Curandum eſt, ut quam optime dicamus: dicendum tamen pro facultate. Ad profectum [p] enim opus eſt ſtudio, non indignatione. Ut poſſimus autem ſcribere etiam plura, et celerius, non *exercitatio* modo præſtabit, in qua ſine dubio multum eſt, ſed etiam *ratio*, ſi non reſupini, ſpectanteſque tectum, et cogitationem murmure agitantes, exſpectaverimus, quid obveniat, ſed [q] quid res poſcat, quid perſo-

[f] prohibeamus G. Jenſ. *et plur.* [g] *om.* G. efferentes Jenſ. *et plur. ap. Burm. Optimum puto* efferentes ſe equos. [h] velut Jenſ. [i] *om.* G. Jenſ. [l] quod G. [m] eum G. [n] adductæ G. abd. Jenſ. [o] *om.* G. [p] perf. G. *male.* [q] *om.* G. Jenſ.

10. *calumniandi ſe*] Vid. 10, 1, 115.

nam deceat, quod ſit tempus, qui judicis animus, in-
tuiti, humano quodam modo ad ſcribendum acceſſerimus.
Sic nobis et initia, et quæ ſequuntur, natura ipſa præſcri-
bit. Certa ſunt enim pleraque, et, niſi conniveamus, in 16
oculos incurrunt: ideoque nec indocti nec ruſtici diu
quærunt, unde incipiant: quo pudendum eſt magis, ſi
difficultatem facit doctrina. Non ergo putemus, ſemper
optimum eſſe, quod latet; [r] immuteſcamus alioqui, ſi ni-
hil dicendum videatur, niſi quod non [s] invenimus. Di- 17
verſum eſt huic eorum vitium, qui primo [t] decurrere per
materiam ſtilo quam velociſſimo volunt, et ſequentes ca-
lorem atque impetum, ex tempore ſcribunt, hanc *ſilvam*
vocant: repetunt deinde, et componunt, quæ effude-
rant [u]: ſed verba emendantur et numeri, manet in rebus
temere congeſtis, quæ fuit [x], levitas. Protinus ergo ad- 18
hibere curam rectius erit, atque ab initio ſic opus ducere,
ut cælandum, non ex integro fabricandum ſit. Aliquan-
do tamen affectus ſequemur, in quibus fere plus calor,
quam diligentia, valet. Satis apparet ex eo, quod hanc
ſcribentium negligentiam damno, quid de illis dictandi
deliciis ſentiam. Nam in ſtilo quidem quamlibet [z] prope- 19

[r] nec *inſ.* G. ne *inſ.* Jenſ. [s] *om.* G. *forte recte. vid. not.* [t] primum G. quaſi *inſ.* Jenſ. [u] effuderunt G. [x] fudit G. Jenſ. *credo, recte.* [z] et *inſ.* Jenſ.

18. *dictandi deliciis*] Scilicet jam tum notabilis erat ea mollities, ut circa ſcribendi artem negligentiores eſſent homines in aliquo faſtigio conſtituti: (vid. 1, 1, 28,) quæ poſtea ita invaluit, ut *dictare* jam eſſet eruditorum hominum opus, quemadmodum antea *ſcribere*. Itaque *vario dictandi genere* ſupergreſſum ſe alios dicit Sidonius Apollin. 8, 6, et ab initio ejuſdem epiſtolæ conjungit *ſtudia certandi, dictandi, lectitandique*. Vid. quæ hic Savaro, itemque ad *latiſſimæ dictationis campum* 9, 9. Hinc apud Caſſiodorum Var. 8, 13, ex perſona Athalarici Regis Ambroſius *dictationibus adhibetur*, et ſubjicitur, *Omnia bona cumulat lingua diſerta:* et, *Quod a nobis præcipitur, gratia dictantis ornatur*. Sermo eſt de Quæſturæ dignitate, cui nihil hodie ſimilius munere Secretariorum intimorum. Hinc nati *de arte dictandi* (h. e. epiſtolas ſcribendi) libelli. Quæ cum ita ſint, non erraſſe cenſeo, qui Eginhardi de Carolo M. verba c. 25 ita interpretantur, ut ſcribendi artis et formandorum ſtilo, calamo, penna, elementorum imperitum fuiſſe dixerit: quod nec in mentem venire aliter poteſt cuiquam ipſa verba intuenti, *Tentabat et ſcribere*, inquit, *tabulaſque et codicillos ad hoc in lectulo ſub cervicalibus circumferre ſolebat, ut cum vacuum tempus eſſet*, manum effingendis literis adſuefaceret. *Sed parum proſpere ſucceſſit labor præpoſterus ac ſero inchoatus*. At incredibile eſt, doctum adeo principem pingere literas neſciſſe? At non minus incredibile, niſi crederemus Caſſiodoro, Quæſtorem Principis in ſcribendis quæ formaret Edictis Principalibus manu ſua non uſum,

rato[a] dat aliquam cogitationi moram non conſequens celeritatem ejus manus: ille, cui dictamus, urget, atque interim pudet etiam dubitare, aut reſiſtere, aut mutare,
20 quaſi conſcium infirmitatis noſtræ timentes. Quo fit, ut non rudia tantum, et fortuita, ſed impropria interim, dum ſola eſt connectendi ſermonis cupiditas, effluant: quæ nec ſcribentium curam, nec dicentium impetum conſequantur. At idem ille, qui excipit, ſi tardior in ſcribendo, aut inertior in legendo, VELUT offenſator fuerit, inhibetur curſus, atque omnis, quæ erat, conceptæ mentis
21 intentio mora et interdum iracundia excutitur. Tum illa, quæ apertiorem animi motum ſequuntur, quæque ipſa animum quodammodo concitant, quorum eſt jactare manum, torquere vultum, ſimul vertere latus, et interim objurgare, quæque Perſius notat, cum leviter[b] dicendi genus ſignificat,

Nec pluteum, inquit, *cædit, nec demorſos ſapit ungues*;

22 etiam ridicula ſunt, niſi cum ſoli ſumus. Denique ut ſemel, quod eſt potentiſſimum, dicam: ſecretum (quod[c] dictando perit) atque liberum arbitris locum, et quam altiſſimum ſilentium ſcribentibus maxime convenire nemo dubitaverit. Non tamen protinus audiendi, qui credunt, aptiſſima in hoc nemora ſilvaſque; quod[d] illa cœli libertas, locorumque amœnitas, ſublimem animum, et beatio-
23 rem ſpiritum parent. Mihi certe jucundus hic magis,

[a] perpetrato G. [b] *malim,* leniter. *Lapſus facillimus.* [c] in G.
[d] quid—parant? G.

ſed dictaſſe. At ſunt loca auctorum idoneorum, ubi *ſcripſiſſe* Carolus dicitur? At potuit hoc per alios. Sed *correxit,* Thegano teſte de geſtis Ludov. c. 7, *libros ſacros?* Ita nimirum, ut ipſe oculis uteretur, et quid corrigi deberet, oſtenderet. Ex Synodo ad S. Macram profertur, *Carolum adnotaſſe quædam in tabulis, quas ad capitium lecti ſui cum graphio haberet, et cum conſiliariis inde tractaſſe*; idque *quidam ab illis audiſſe* dicitur, *qui interfuerunt.* Nempe animadverſi ſunt pugillares: quid ſibi vellent? aliquis pro ſua de Carolo opinione interpretatus eſt. Oſtendit doctiſſimus Fontaninus Vindic. Diplom. 2, 3, p. 170, Caroli tempeſtate vulgo principes viros et epiſcopos quoque ejus artis imperitos fuiſſe. A quibus ea res initiis profecta ſit, ſatis hic ipſe Fabii locus docet, et Plinii utriuſque conſuetudo. Junior enim de avunculo ſuo narrat 3, 5, 15: de ſe 9, 36, 2. 9, 40, 2, &c.

20. *impropria*] Quam late illa vox pateat, cognoſces ex 8, 2, 3 et 6. Illa formula *connectendi ſermonis* videtur e Græco συνείρειν tracta, qua de conjunctis ſine more modoque verbis in primis utuntur.

21. *Perſius notat*] Sat. 1, 106.

22. *qui credunt*] In quibus eſt Plinius ipſe diſcipulus noſtri epiſt. 1, 6 et 9. 36, 6.

quam ſtudiorum hortator, videtur eſſe ſeceſſus. Namque
illa ipſa, quæ delectant, neceſſe eſt avocent[e] ab intentione
operis deſtinati. Neque enim ſe bona fide in multa ſimul
intendere animus totum poteſt: et, quocumque[f] reſpexe-
rit, deſinit intueri, quod propoſitum erat. Quare ſilvarum 24
amœnitas, et[g] præterlabentia flumina, et inſpirantes ramis
arborum auræ, volucrumque cantus, et ipſa late circum-
ſpiciendi libertas, ad ſe trahunt: ut mihi remittere potius
voluptas iſta[h] videatur cogitationem, quam intendere.
Demoſthenes melius, qui ſe in locum, ex quo nulla exau- 25
diri[i] vox, et ex quo nihil proſpici poſſet, recondebat[l], ne
aliud agere mentem cogerent oculi. Ideoque lucubran-
tes, ſilentium noctis, et clauſum cubiculum, et lumen
unum velut tectos[m] maxime teneat. Sed cum in omni 26
ſtudiorum genere, tum in hoc præcipue bona valetudo,
quæque eam maxime præſtat, frugalitas, neceſſaria eſt:
cum tempora ab ipſa rerum natura ad quietem refectio-
nemque nobis data, in acerrimum laborem convertimus.
Cui tamen non plus irrogandum eſt, quam quod ſomno
ſupererit, haud[n] deerit. Obſtat enim diligentiæ ſcribendi 27
etiam fatigatio: et[o] abunde, ſi vacet, lucis ſpatia ſuffi-
ciunt: occupatos in noctem neceſſitas agit. Eſt tamen
lucubratio, quoties ad eam integri ac refecti venimus, op-
timum ſecreti genus. Sed ſilentium et ſeceſſus, et undi- 28
que liber animus, ut ſunt maxime optanda, ita non ſem-

[e] advoc. Jenſ. *male.* [f] quo reſpexit G. Jenſ. [g] *om.* G. [h] ipſa G. [i] audiri G. [l] recumbebat Jenſ. [m] rectos G. Jenſ. vel etiam lectus *conj. Burm.* [n] aut *iid. male.* [o] quod Jenſ.

23. *avocent*] Lepide laudatus ſemel iterumque Plinius 9, 36, 1. *Clauſæ feneſtræ manent: mire enim ſilentio et tenebris animus alitur. Ab iis quæ avocant abductus et liber, et mihi relictus, non oculos animo, ſed animum oculis ſequor, qui eadem quæ mens vident, quoties non vident alia.*

25. *Demoſthenes*] Hoc eſt μελετητήριον illud Demoſthenis, de quo Plutarchus in vita illius p. 1556, ſqq. Steph. ubi et reliquæ viri exercitationes enarrantur. Add. noſter 11, 3, 54 et 68.

25. *ſilentium noctis*] Vid. locus Plinii ad ſ. 23 advocatus: it. noſter 10, 6, 1.

25. *velut tectos*] Ne quid obſtrepere poſſit animo, eumque turbare vel avocare. Veriſſima ſunt quæ de *lecto* hic commemorat Burmannus, de quibus agimus etiam ad Plin. 7, 27, 7. Sed quod vix aliter ſolerent quam in lecto commentari, ut cœnare nimirum et fabulari, et omnia; propter quod *cubicula* ſunt Romanis ea etiam membra domus, in quibus interdiu verſantur: ideo non puto hic lecti talem mentionem injectam a Fabio, quippe non neceſſariam; qui enim in *cubiculo* eſt, *cubare*, ſi non inambulat, in lecto certe eſſe, Romana conſuetudine videtur.

per poſſunt contingere: ideoque non ſtatim, ſi quid ob-
ſtrepet, abjiciendi codices erunt, et deplorandus dies: ve-
rum incommodis repugnandum, et hic faciendus uſus, ut
omnia, quæ impediunt, vincat intentio: quam ſi tota
mente in opus ipſum direxeris, nihil eorum, quæ oculis
29 vel auribus incurſant, ad animum perveniet. An vero
frequenter etiam fortuita hoc cogitatio præſtat, ut obvios
non videamus, et itinere deerremus: non conſequemur [p]
idem, ſi et voluerimus? Non eſt indulgendum cauſſis de-
ſidiæ. Nam ſi non niſi refecti, non niſi hilares, non niſi
omnibus aliis [q] curis vacantes, ſtudendum exiſtimaveri-
30 mus, ſemper erit, propter quod nobis ignoſcamus. Qua-
re in turba, itinere, conviviis [r] etiam faciat ſibi cogitatio
ipſa ſecretum. Quid alioqui fiet, cum in medio foro, tot
circumſtantibus judiciis, jurgiis, fortuitis etiam clamori-
bus, erit ſubito continua oratione dicendum, ſi particulas,
quas ceris mandamus, niſi in ſolitudine reperire non poſ-
ſumus? Propter quæ idem ille tantus amator ſecreti De-
moſthenes, in litore, in quod [s] ſe [t] maximo cum ſono fluc-
tus illideret [u], meditans, conſueſcebat concionum fremitus
31 non expaveſcere. Illa quoque minora (ſed nihil in ſtudiis
parvum eſt) non ſunt tranſeunda, ſcribi optime ceris, in
quibus facillima eſt ratio delendi: niſi forte viſus infir-
mior membranarum potius uſum exiget: quæ ut juvant
aciem, ita crebra [x] relatione, quoad intinguntur calami,
32 morantur manum, et cogitationis impetum frangunt. Re-
linquendæ autem in utrolibet genere contra [z] vacuæ ta-
bellæ, in quibus libera adjicienti [a] ſit excurſio. Nam in-
terim pigritiam emendandi anguſtiæ faciunt, aut certe
novorum interpoſitione priora confundunt [b]. Ne latas
quidem ultra modum eſſe ceras velim, expertus juvenem
ſtudioſum alioqui prælongos habuiſſe ſermones, quia illos

[p] conſequamur G. [q] *om.* Jenſ. [r] vel concione *inſ. iid.* [s] quo G. Jenſ. [t] *om.* G. [u] illiderentur G. illideretur Jenſ. [x] crebro relationi Jenſ. [z] eum *inſ.* G. Jenſ. [a] adjiciendi *iid.* [b] confundant *iid.*

30. *circumſtantibus judiciis*] *Quatuor enim in una baſilica judicia coguntur.* vid. infra 12, 5, 6.

30. *Demoſthenes, in litore*] *Ad Phalericum—ad fluctum aiunt declamare ſolitum Demoſthenem, ut fremitum adſueſceret voce vincere* Cic. de Fin. 5, 2.

31. *facillima ratio delendi*] Verſo ſtilo, et qua latior eſt inducto verbis quæ improbantur. vid. 10, 4, 1.

32. *latas—ceras*] Eodem jure poterat monere, ne literæ nimis magnæ ſcribentem morentur, ne tenuiores juſto obtundant aciem, aut longas nimis orationes eadem ratione qua latiores ceræ efficiant.

numero verſuum metiebatur: idque vitium, quod fre-
quenti admonitione corrigi non potuerat, mutatis codici-
bus eſſe ſublatum. Debet vacare etiam locus, in quo no- 33
tentur, quæ ſcribentibus ſolent extra ordinem, id eſt ex
aliis, quam qui ſunt in manibus loci [c], occurrere. Irrum-
punt enim optimi nonnumquam ſenſus, quos neque inſe-
rere oportet, neque differre tutum eſt: quia interim ela-
buntur, interim memoriæ ſui [d] intentos, ab alia inven-
tione declinant: ideoque optime ſunt in depoſito.

IV. Sequitur *emendatio*, pars ſtudiorum longe utiliſſima.
Neque enim ſine cauſſa creditum eſt, ſtilum [e] non minus
agere, cum delet. Hujus autem operis eſt, *adjicere, de-
trahere, mutare*. Sed facilius in his ſimpliciuſque judi-
cium, quæ replenda vel dejicienda ſunt: premere vero
tumentia, humilia extollere, luxuriantia adſtringere, inor-
dinata digerere [f], ſoluta componere, exſultantia coercere,
duplicis operæ. Nam et damnanda ſunt, quæ placue- 2
rant; et invenienda, quæ fugerant. Nec dubium eſt,
optimum eſſe emendandi genus, ſi ſcripta in aliquod tem-
pus reponantur, ut ad ea poſt intervallum, velut nova at-
que aliena, redeamus, ne nobis ſcripta noſtra, tamquam [g]
recentes fœtus, blandiantur. Sed neque hoc contingere 3
ſemper poteſt, præſertim oratori, cui ſæpius ſcribere ad
præſentes uſus neceſſe eſt: et ipſa emendatio finem habet.
Sunt enim qui ad omnia ſcripta, tamquam vitioſa, red-
eant, et, quaſi nihil fas ſit rectum eſſe, quod primum eſt,
melius exiſtiment, quidquid eſt aliud: idque faciant, quo-
ties librum in manus [h] reſumſerint, SIMILES medicis eti-
am integra ſecantibus. Accidit itaque, ut cicatricoſa ſint,
et exſanguia, et cura pejora. Sit igitur aliquando, quod 4
placeat, aut certe quod ſufficiat: ut opus poliat lima, non
exterat. Temporis quoque eſſe debet modus. Nam quod
Cinnæ Smyrnam novem annis accepimus ſcriptam, et

[c] locis *iid.* [d] *Sic iid. et plur. ap. Burm.* ſive *al.* [e] *om.* G. [f] di-
rigere G. [g] quaſi Jenſ. [h] manibus reſumſerunt *id.*

IV, 1. *cum delet*] Vid. ad 10, 3, 31.

1. *exſultantia*] Vid. ad 9, 4, 66.

3. *melius exiſtiment*] Vid. ad 10, 1, 115.

4. *Cinnæ Smyrnam*] De qua jam laudatum hic eſt epigramma Catulli p. 319. Voſſ.

Smyrna mei Cinnæ nonam poſt
denique meſſem
Quam cœpta eſt, nonamque edita
poſt hiemem.

Notum eſt illud Menagii, puto:

Illa Capellani dudum exſpectata
puella
Longo poſt tandem tempore prodit
anus.

Panegyricum Iſocratis, qui parciſſime, decem annis dicunt elaboratum, ad oratorem nihil pertinet: cujus nullum erit, ſi tam tardum fuerit, auxilium.

V. Proximum eſt, ut dicamus, *quæ præcipue ſcribenda* ſint. Hoc [i] exuberantis [l] quidem eſt operis, ut explicemus, quæ ſint materiæ: quæ prima aut ſecunda, aut deinceps tractanda ſint: nam id factum eſt etiam primo libro, quo puerorum; et ſecundo, quo jam robuſtorum ſtudiis ordinem dedimus: ſed, de quo [m] nunc agitur, unde
2 copia ac facilitas maxime veniat? Vertere Græca in Latinum veteres noſtri oratores optimum judicabant. Id ſe L. Craſſus in illis Ciceronis de Oratore libris dicit factitaſſe. Id Cicero ſua ipſe perſona frequentiſſime præcipit: quin etiam libros Platonis atque Xenophontis edidit hoc genere tranſlatos. [n] Id Meſſalæ placuit: multæque ſunt ab eo ſcriptæ ad hunc modum orationes: adeo ut etiam cum illa Hyperidis pro Phryne difficillima Romanis ſub-
3 tilitate contenderet. Et manifeſta eſt exercitationis hujuſce ratio. Nam et rerum copia Græci auctores abundant, et plurimum artis in eloquentiam intulerunt: et hos transferentibus, verbis uti optimis licet: omnibus enim utimur noſtris. Figuras vero, quibus maxime ornatur oratio, multas ac varias excogitandi etiam neceſſitas quædam eſt: quia plerumque a Græcis Romana diſſen-
4 tiunt. Sed et illa ex Latinis converſio multum et ipſa contulerit. Ac de carminibus quidem neminem credo dubitare, quo ſolo genere exercitationis dicitur uſus eſſe Sulpicius. Nam et ſublimis ſpiritus attollere orationem poteſt: et verba, poetica libertate audaciora, non [o] præſumunt eadem [p] proprie [q] dicendi facultatem. Sed et ip-

[i] Nec G. Hæc eſt imperantibus Jenſ. [l] id *inſ.* G. Jenſ. [m] *Forte leg.* hoc. [n] Marco *inſ.* Jenſ. [o] et G. Jenſ. [p] eandem *iid.* [q] *om.* Jenſ.

4. *decem annis*] Plutarchus in vita. Op. Mor. 1540. H. Steph. Τὸν πανηγυρικὸν ἔτεσι δέκα συνέθηκεν, οἱ δὲ δεκαπέντε λέγουσι, et tamen addit, ὃν μετενηνοχέναι ἐκ τοῦ Γοργίου τοῦ Λεοντίνου καὶ Λυσίου.

V, 2. *L. Craſſus*] Cic. de Orat. 1, 34.

3. *omnibus enim utimur noſtris*] In interpretatione e Græcis quidquid verborum bonorum adhibeamus noſtrum eſt, nemo occupavit, libere utimur; at in altero exercitationis genere, quo aliorum vel poetarum vel oratorum, Romanorum quidem, ſenſus aliis verbis Latinis conamur reddere, difficultatem res habet, cum optima jam occupata ſint &c. Adde vero ſ. 5.

4. *non præſumunt—facultatem*] Quæ libera oratione ſcripta ab aliis eodem genere, commutata tamen, dicere conamur, ea hoc habent incommodum, ut *præſumta* fere ſint, vel occupata, ut modo dicebamus,

ſis ſententiis adjicere licet [r] oratorium robur, et omiſſa
ſupplere, et effuſa ſubſtringere. Neque ego παράφρασιν [s] 5
eſſe interpretationem tantum volo, ſed circa eoſdem ſen-
ſus certamen atque æmulationem. Ideoque ab illis diſ-
ſentio, qui vertere orationes Latinas vetant, quia, optimis
occupatis, quidquid aliter dixerimus, neceſſe ſit eſſe de-
terius. Nam neque ſemper eſt deſperandum, aliquid illis,
quæ dicta ſunt, melius poſſe reperiri: neque adeo jeju-
nam ac pauperem natura eloquentiam fecit, ut una de re
bene dici, niſi ſemel, non poſſit. Niſi forte hiſtrionum 6
multa circa voces eaſdem variare geſtus poteſt, orandi mi-
nor vis, ut dicatur aliquid, poſt [t] quod in eadem materia
nihil dicendum ſit. Sed eſto, neque melius, quod inve-
nimus, ſit [u], neque par: eſt certe proximus locus. An [x] 7
vero ipſi non bis ac ſæpius de eadem re dicimus, et qui-
dem continuas nonnumquam ſententias? Niſi forte con-
tendere nobiſcum poſſumus, cum aliis non poſſumus.
Nam ſi uno tantum [z] genere bene diceretur [a], fas erat ex-
iſtimari præcluſam nobis a prioribus viam [b]. Nunc vero
innumerabiles ſunt modi, plurimæque eodem viæ ducunt.
Sua [c] brevitati gratia, ſua copiæ, alia tranſlatis virtus, alia 8
propriis. Hoc oratio recta, illud figura declinata com-
mendat. Ipſa denique utiliſſima eſt exercitationi difficul-
tas. Quid? quod auctores maximi ſic diligentius cog-
noſcuntur? Non enim ſcripta lectione ſecura tranſcurri-
mus: ſed tractamus ſingula, et neceſſario introſpicimus,
et, quantum virtutis habeant, vel hoc ipſo cognoſcimus,
quod imitari non poſſumus. Nec aliena tantum tranſ- 9
ferre, ſed etiam noſtra pluribus [d] modis tractare proderit:
ut ex induſtria ſumamus ſententias quaſdam, eaſque verſe-
mus quam numeroſiſſime, VELUT eadem cera aliæ atque
aliæ formæ duci ſolent. Plurimum autem parari faculta- 10

[r] liceat *id.* [s] periphraſin Jenſ. [t] præter G. Jenſ. [u] eſſe *iid.*
[x] an non ipſi nos G. an non ipſi ac Jenſ. [z] *om.* G. Jenſ. [a] dicetur *iid.*
[b] in dicendo *inſ. iid.* [c] ſive brevitatis gr. ſive Jenſ. [d] plurimis G. Jenſ.

ea, quæ ſunt optima: ſed poetice dicta *non præſumunt*, præripiunt, intercipiunt, *facultatem eadem proprie*, demtis poetici ſtili phaleris, *dicendi*: ita utitur hoc verbo 11, 1, 27.

9. *Velut eadem cera*] Demetrius Περὶ Ἑρμηνείας ſ. 317. ſq. Ὥσπερ τὸν αὐτὸν κηρὸν, ὁ μέν τις κύνα ἔπλασεν, ὁ δὲ βοῦν, ὁ δὲ ἵππον· οὕτω καὶ πρᾶγμα ταυτὸν ὁ μὲν ἀποφαινόμενος καὶ κατηγορῶν φησιν· ἕτερος δὲ τὸ αὐτὸ ὑποθητικῶς προοίσεται κ. τ. λ. Longior enim eſt locus, ſed lectu digniſſimus. Adde verſiculos Plinii epiſt. 7, 9, 11, *Ut laus eſt ceræ* &c. itemque Cic. de Orat. 3, 45, de verbis; *Ea nos cum jacentia ſuſtulimus e medio, ſicut molliſſimam ceram ad noſtrum arbitrium formamus et fingimus.*

tis exiſtimo ex ſimpliciſſima quaque materia. Nam in illa multiplici *perſonarum, cauſſarum, temporum, locorum, dictorum, factorum* diverſitate facile deliteſcet [e] infirmitas, tot ſe undique rebus, ex quibus aliquam apprehendas, offe-
11 rentibus. Illud virtutis indicium [f] eſt, fundere, quæ natura contracta ſunt, augere parva, varietatem ſimilibus, voluptatem expoſitis dare, et bene dicere multa de paucis. In hoc optime facient infinitæ quæſtiones, quas vocari ϑέσεις diximus, quibus Cicero jam princeps in republica
12 exerceri ſolebat. His confinis eſt deſtructio et confirmatio ſententiarum. Nam cum ſit ſententia decretum quoddam atque præceptum; quod de re, idem de judicio rei quæri poteſt. Tum loci communes, quos etiam ſcriptos ab oratoribus ſcimus. Nam qui hæc recta tantum, et in nullos flexus recedentia copioſe tractaverit, utique in illis plures excurſus recipientibus magis abundabit, eritque in
13 omnes cauſſas paratus [g]. Omnes enim generalibus quæſtionibus conſtant. Nam quid intereſt, *Cornelius Tribunus plebis quod codicem legerit*, reus ſit: an quæramus [h], *Violeturne majeſtas, ſi magiſtratus rogationem ſuam populo ipſe recitaverit? Milo Clodium rectene occiderit*, veniat in judi-

[e] delireſcit G. *male.* [f] judicium Jenſ. [g] gratus G. Gracchus Jenſ. [h] quæratur G.

11. *diximus*] Supra 3, 5, 5. In his *Cicero jam princeps in rep.* exerceri ſe teſtatur ad Att. 9, 4. *Ne me totum ægritudini dedam, ſumſi mihi quaſdam tanquam* ϑέσεις &c. Tales etiam ſunt ea quæ *Paradoxa* vocantur.

12. *deſtructio et confirmatio*] Ea quæ Græcis rhetoribus eſt ἀνασκευὴ ϗ κατασκευὴ, (de qua v. g. Theon p. 64, ſq. Camer.) proprie ad narrationes pertinet. Sic accipit etiam noſter 2, 4, 18. Sed hic etiam ad ſententias refert. Nimirum quæ ſequuntur, ita declaro. *Sententia* eſt decretum ſ. præceptum ſ. judicium de re. Si igitur de re ipſa poteſt quæri, et in utramque partem diſputari; poterit etiam ſententia de eadem lata vel defendi vel oppugnari. *Deſtruere* in hac materia eſſe refutare, redarguere, non novum noſtro, qui jam 8, 3, 21, *deſtruere teſtem* dixerit.

12. *loci communes*] De quibus 2, 1, 11. 2, 4, 22. præſertim Cic. de Orat. 3, 27.

13. *quod codicem legerit*] Vid. ad 4, 4, 8; et add. ſimillimum exemplum ex Plut. Caton. Jun. p. 1416. Steph. Metellus Trib. pl. legem promulgabat de credenda Pompeio ejuſque exercitui urbe: Ἔνθα τοῦ ὑπηρέτου τὸν νόμον προχειρισαμένου, τοῦ δὲ Κάτωνος (qui et ipſe Tribunus plebis eſſet, atque intercedendi poteſtatem haberet) οὐκ ἐῶντος ἀναγινώσκειν· τοῦ δὲ Μετέλλου παραλαβόντος αὐτὸν, ϗ ἀναγινώσκοντος, ὁ μὲν Κάτων ἐξήρπασε τὸ βιβλίον· ὁ δὲ Θέρμος (collega ipſe quoque) ἀπὸ στόματος τοῦ Μετέλλου τὸν νόμον ἐπισταμένου ϗ λέγοντος, ἐπέσχε τῇ χειρὶ τὸ στόμα, ϗ τὴν φωνὴν ἀπέκλεισεν. Vim itaque interpretantur duo tribuni plebis, quod collega ipſis vetantibus legem recitaret, cui vim aliam opponere nihil dubitant.

cium : an, *Oporteatne inſidiatorem interfici, vel pernicioſum*
reipublicæ civem, etiam ſi non inſidietur ? Cato Marciam ho-
neſtene tradiderit Hortenſio : an, *Conveniatne res talis bono*
viro ? De perſonis judicatur, ſed de rebus contenditur.
Declamationes vero, quales in ſcholis rhetorum dicuntur, 14
ſi modo ſunt ad veritatem accommodatæ, et orationibus
ſimiles, non tantum dum adoleſcit profectus, ſunt utiliſſi-
mæ, quæ inventionem et diſpoſitionem pariter exercent,
ſed etiam cum eſt conſummatus, ac jam in foro clarus.
Alitur enim atque eniteſcit, VELUT pabulo lætiore, fa-
cundia, et aſſidua contentionum aſperitate fatigata reno-
vatur. Quapropter hiſtoriæ nonnumquam ubertas in 15
aliqua exercendi ſtili parte ponenda, et dialogorum liber-
tate geſtiendum. Ne carmine quidem ludere contrarium
fuerit : SICUT athletæ, remiſſa quibuſdam temporibus
ciborum atque exercitationum certa neceſſitate, otio et
jucundioribus epulis reficiuntur. Ideoque mihi videtur 16
M. Tullius tantum intuliſſe eloquentiæ lumen, quod in
hos quoque ſtudiorum receſſus excurrit. Nam ſi [i] nobis
ſola materia fuerit ex litibus, neceſſe eſt, DETERATUR
fulgor, et dureſcat articulus, et ipſe ille mucro ingenii
quotidiana pugna retundatur. Sed quemadmodum fo- 17
renſibus certaminibus exercitatos, et quaſi militantes [l] re-
ficit ac reparat hæc velut ſagina dicendi : ſic adoleſcentes
non debent nimium in falſa rerum imagine detineri, et
inanibus ſimulacris : uſque adeo, ut difficile ab his di-
greſſos ſit aſſuefacere, ne ab illa, in qua prope conſenuerint,
UMBRA vera diſcrimina, velut quemdam ſolem, reformi-
dent : quod accidiſſe etiam Porcio Latroni, qui primus 18
clari nominis profeſſor fuit, traditur : ut cum ei, ſummam
in ſcholis opinionem obtinenti, cauſſa in foro eſſet oranda,
impenſe petierit, uti ſubſellia in baſilicam transferrentur.
Ita illi cœlum novum fuit, ut omnis ejus eloquentia con-
tineri tecto ac parietibus videretur. Quare juvenis, qui 19
rationem inveniendi eloquendique a præceptoribus dili-
genter acceperit, (quod non eſt infiniti [m] operis, ſi docere
ſciant et velint [n]) exercitationem quoque modicam fuerit
conſecutus, oratorem ſibi aliquem (quod apud majores

[i] *om.* Jenſ. [l] militares Jenſ. [m] finiti G. Jenſ. [n] vel exercit. Jenſ.

16. *dureſcat articulus*] Qui *mollis* deſideratur ad exercitationes armorum. Vid. 2, 12, 2.

19. *quod apud majores*] Hoc de ſe narrat Cicero in Bruto c. 89. ſq.

fieri ſolebat [o]) deligat, quem ſequatur, quem imitetur, judiciis interſit quam plurimis, et ſit certaminis, cui deſti-
20 natur, frequens ſpectator. Tum cauſſas vel eaſdem, quas agi audierit, ſtilo et ipſe componat, vel etiam alias, veras modo, et utrimque [p] tractet, et, QUOD in gladiatoribus fieri videmus, decretoriis exerceatur, ut feciſſe Brutum diximus pro Milone. Melius hoc, quam reſcribere veteribus orationibus, ut fecit Seſtius [q] contra Ciceronis actionem habitam pro eodem, cum alteram partem ſatis
21 noſſe non poſſet ex ſola defenſione. Citius autem ſic [r] idoneus erit juvenis, quem præceptor coegerit in declamando quam ſimillimum eſſe veritati, et per totas ire materias: quarum nunc facillima, et maxime favorabilia decerpunt. Obſtat huic, quod ſecundo libro [s] poſui, frequens [t] turba diſcipulorum, et conſuetudo claſſium certis diebus audiendarum: nonnihil etiam perſuaſio patrum, numerantium potius declamationes, quam æſtimantium.
22 Sed (quod dixi primo, ut arbitror, libro) nec ille ſe bonus præceptor majore numero, quam ſuſtinere poſſit, onerabit: et nimiam loquacitatem recidet [u], ut omnia, quæ ſunt in controverſia, non (ut quidam volunt) quæ in rerum natura, dicantur [v]: et vel longiore potius dierum ſpatio laxabit dicendi neceſſitatem, vel materias [x] dividere per-
23 mittet [z]. Una [a] enim diligenter effecta plus proderit, quam plures inchoatæ [b] et quaſi deguſtatæ. Propter quod accidit, ut nec ſuo loco quidque [c] ponatur: nec illa, quæ prima ſunt, ſervent ſuam legem: juvenibus floſculos omnium partium in ea, quæ ſunt dicturi, congerentibus: quo fit, ut timentes, ne ſequentia perdant, priora confundant.

VI. Proxima ſtilo *cogitatio* eſt, quæ et ipſa vires ab hoc accipit, et eſt inter ſcribendi laborem, extemporalemque fortunam media quædam, et neſcio an uſus frequentiſſimi [d]. Nam ſcribere nec ubique, nec ſemper poſſumus: cogitationi temporis ac loci plurimum eſt. Hæc paucis

[o] ſolet G. [p] utrumque G. Jenſ. [q] Ceſtius *Baſil. vid. not.* [r] ſi *iid.* [s] loco G. [t] fere G. Jenſ. [u] recidere G. [v] ducantur Jenſ. [x] ſibi *inſ.* Jenſ. [z] permittit G. [a] una enim *om.* G. Jenſ. [b] incohatæ *iid.* [c] quidquam G. [d] frequentiſſimus G.

20. *Brutum diximus*] Vid. 10, 1, 23.

20. *ut fecit Seſtius*] Vix dubito veram eſſe lectionem ſupra propoſitam. Legenda eſt pars poſterior procemii ad librum 3 Excerpt. Controv. Senecæ, ut Ceſtium Ciceromaſtiga cognoſcamus, quem inter alia *recitaſſe* ait *in Milonem.*

21. *ſecundo libro*] 2, 4, 15. *Primo,* 1, 2, 15.

admodum horis magnas etiam cauffas complectitur. Hæc, quoties intermiffus eft fomnus [e], ipfis noctis tenebris adjuvatur. Hæc inter medios rerum actus aliquid invenit vacui [f], nec otium patitur. Neque vero rerum ordinem 2
modo (quod ipfum fatis erat) intra fe ipfa difponit, fed verba etiam copulat, totamque ita contexit orationem, ut ei nihil præter manum defit. Nam memoriæ quoque plerumque inhæret fidelius, quod [g] nulla fcribendi fecuritate laxatur. Sed ne ad hanc quidem vim cogitandi perveniri poteft aut fubito, aut cito. Nam primum facienda 3
multo [h] ftilo forma eft, quæ nos etiam [i] cogitantes fequatur, tum affumendus ufus paullatim, ut pauca primum complectamur animo, quæ reddi fideliter poffint: mox per incrementa tam modica, ut onerari fe labor ille non fentiat, augenda ufu, et exercitatione multa continenda eft, quæ quidem maxima ex parte memoria conftat: ideoque aliqua mihi in illum locum differenda funt. Eo 4
tamen pervenit, ut is, cui non refragetur ingenium, acri ftudio adjutus tantum confequatur, ut [l] ea [m] etiam, quæ cogitarit, quæque fcripferit, atque [n] edidicerit, in dicendo fidem fervent. Cicero certe Græcorum Metrodorum Scepfium [o], et Eriphylum [p] Rhodium, noftrorumque [q] Hortenfium tradidit, quæ cogitaverant, ad verbum in agendo

[e] fonus G. [f] vacuum otium non pat. Jenf. [g] quæ G. [h] *om.* G. [i] incogit. Jenf. [l] *Hic locus ita videtur legendus:* ut eandem quæ cogitarit, quam quæ fcripferit, atque edidicerit, in dicendo fidem fervent. *Sed jam nefcio unde Obr.* ut ea etiam quæ cog. æque ac quæ fcripf. *eadem fententia.* [m] *om.* G. *et Voff.* [n] an G. [o] Ephefium Jenf. [p] Emphylum G. [q] noftrorum *id.*

VI, 1. *tenebris adjuvatur*] Vid. 10, 3, 25.

3. *quæ—memoria conftat*] Cogitatio, de qua hic agitur, conftat et continetur memoria, ut tum demum utilis fit, fi memoria poffint femel cogitata retineri, et expromi in tempore. Agit autem de memoria 11, 2.

4. *Eo tamen pervenit*] Iterum intelligitur *cogitatio*, quæ ad illud faftigium pervenit ac perducitur. Similis formula eft mox 10, 7, 19.

4. *ut ea etiam*] Ut nunc legitur, nihil dicit Fabius quod ad rem pertineat: de commodo cogitationis fermonem ei effe apparet, quod in eo, nifi fallimur, ineft maxime; quod compendifacere fcriptionis et edifcendi laborem licet his, qui cogitatione complecti caufam totam didicerint. Hanc fententiam exprimi, et Obrechtiana lectione et noftris conjecturis, apparet.

4. *Metrodorum Scepfium*] Hanc orthographiam probant Cll. Viri Pearce apud Cic. de Orat. 2, 88; Davif. Tufcul. 1,24; Harduin. Plin. H. N. 7, 24; auctoritate præfertim Strabonis 13, p. 609, Cafaub. ubi de patria viri *Scepfi* Troadis urbe. Sed *Eriphylum* aut *Emphylum Rhodium* neque apud Ciceronem, neque alias, adhuc invenire licuit. De reliquis memoriofis deinde 11, 2, ubi f. 14 *Eurypilus* occurrit, æque ignotus.

5 retuliſſe. Sed ſi forte aliquis inter dicendum effulſerit [r]
extemporalis color, non ſuperſtitioſe cogitatis demum eſt
inhærendum. Neque enim tantum habent curæ, ut non
ſit dandus et fortunæ locus, cum ſæpe etiam ſcriptis ea,
quæ ſubito nata ſunt, inſerantur. Ideoque totum hoc
exercitationis genus ita inſtituendum eſt [s], ut et digredi
6 ex eo, et redire in id facile poſſimus. Nam ut primum
eſt, domo afferre paratam dicendi copiam, et [t] certam:
ita refutare temporis munera longe ſtultiſſimum eſt. Quare
cogitatio in hoc præparetur, ut nos fortuna decipere
non poſſit, adjuvare poſſit. Id autem fiet memoriæ viribus,
ut illa [u], quæ complexi animo ſumus [x], fluant ſecura [z],
non [a] ſolicitos et reſpicientes, et una ſpe ſuſpenſos
recordationis, non ſinant providere [b]: alioqui vel extemporalem
temeritatem malo, quam male cohærentem cogi-
7 tationem. Pejus enim quæritur retrorſus, quia cum illa
deſideramus, ab aliis avertimur: et ex memoria potius
repetimus, quam ex materia. Plura ſunt autem, ſi [c] utrumque
quærendum eſt, quæ inveniri poſſunt, quam quæ
inventa ſunt.

VII. Maximus vero ſtudiorum fructus eſt, et velut præmium quoddam ampliſſimum [d] longi laboris, *ex tempore dicendi facultas*: quam qui non erit conſecutus, mea quidem ſententia civilibus officiis renuntiabit, et ſolam ſcribendi facultatem potius ad alia opera convertet. Vix enim bonæ fidei viro convenit auxilium in publicum polliceri, quod in [e] præſentiſſimis quibuſque periculis deſit:

r effluxerit *id.* s *om. id.* t et certam *om. id.* u ea G. Jenſ. x ſimus *iid.* z *om.* G. a ne Jenſ. b prævidere *id.* c ſtrictius *inſ. id. vid. not.* d *om.* G. amplius Jenſ. e *om.* G. Jenſ.

5. *extemporalis color*] *Calorem* Obrechti, qui placet etiam Burmanno, recepiſſem, ſi vel uno in libro inveniſſem. Cæterum huc facit, quod de Gallione narrat Seneca Exc. Controv. 3. Pr. Elzevir. *Sine commentario nunquam dixit—Sed cum procedere nollet niſi inſtructus, libenter ab inſtrumentis recedebat. Ex tempore coactus dicere, infinito ſe antecedebat. Nunquam non utilius erat illi deprehendi quam præparari* &c.

7. *ſi utrumque quærendum*] Quid ſi pro *utrumque utcumque* legamus, i. e. quovis modo, omnino. *Si* quacunque ratione *quærendum* eſt, ſi neceſſitas cogit dicentem memoria fallente quærere, potius antrorſus quærat, cum *plura* ſint *quæ inveniri* ab homine non ſtupido *poſſunt*, *quam quæ* domi jam ab eo *inventa* et in commentarios relata, memoriæ quidem commendata *ſunt*. Quærendum, inquam, non quid dixerimus, omiſerimus; ſed quid jam dicendum ſit. Aliquoties hæc vox labendi librariis occaſionem dedit. Vid. 11, 2, 24. 11, 3, 101.

ut[f] indicare[g] portum, ad quem navis accedere, niſi leni-
bus ventis vecta, non poſſit. Siquidem innumerabiles 2
accidunt ſubitæ neceſſitates, vel apud magiſtratus, vel re-
præſentatis[h] judiciis continuo agendi. Quarum ſi qua,
non dico cuicumque[i] innocentium civium, ſed amico-
rum ac propinquorum alicui evenerit, ſtabitne mutus, et
ſalutarem petentibus vocem, ſtatim[k], ſi non ſuccurratur,
perituris, moras et ſeceſſum et ſilentium quæret, dum
illa[l] verba fabricentur[m], et memoriæ inſidant, et vox ac
latus præparetur? Quæ vero patitur hoc ratio, ut quiſ- 3
quam ſit orator[n] imparatus[o] ad caſus? Quid, cum adver-
ſario reſpondendum erit, fiet? Nam ſæpe ea, quæ opinati
ſumus, et contra quæ ſcripſimus, fallunt, ac tota ſubito
cauſſa mutatur. Atque UT gubernatori ad incurſus[p]
tempeſtatum, ſic agenti ad varietatem cauſſarum ratio
mutanda eſt. Quid porro multus ſtilus, et aſſidua lectio, 4
et longa ſtudiorum[q] ætas facit, ſi manet eadem, quæ fuit
incipientibus, difficultas? Periiſſe profecto confitendum
eſt præteritum laborem, cui ſemper idem laborandum eſt.
Neque ego hoc ago, ut ex tempore dicere malit, ſed ut
poſſit. Id[r] autem maxime hoc modo conſequemur. No- 5
ta ſit primum dicendi via. Neque enim prius contingere
curſus poteſt, quam ſcierimus, quo ſit et qua pervenien-
dum. Nec ſatis eſt, non ignorare, quæ ſunt cauſſarum
judicialium partes, aut quæſtionum ordinem recte diſpo-
nere, quamquam iſta ſunt[s] præcipua: ſed quid quoque
loco primum ſit, quid ſecundum, ac deinceps: quæ ita
ſunt natura copulata, ut mutari aut intervelli ſine confu-
ſione non poſſint. Quiſquis autem viam[t], qua[u] ſit ingre- 6
diendum, diſcet[x], ducetur[z] ante omnia rerum ipſa ſerie,
velut duce: propter quod homines etiam modice exerci-
tati, facillime tenorem in narrationibus ſervant. Deinde,
quid quoque loco quærant, ſcient, nec circumſpectabunt;

[f] *om. iid.* [g] intrare *iid.* indicare *et in marg.* monſtrare *jam Aſc.* 1519. f. *it. Lugd.* 1538. 8. *tum Colin. &c.* [h] præſentatis G. [i] cujuſque *id.* [k] ſtatimque G. Jenſ. [l] illic *conj. Schel. ad Dial. de Oratt.* c. 9. [m] fabricetur Jenſ. [n] aliquando *inſ.* G. Jenſ. [o] mittere caſus G. mitteretur caſus Jenſ. [p] quoque *inſ.* Jenſ. [q] ſtudio G. [r] Idem Jenſ. [s] ſint *id.* [t] via *id.* [u] qua ſit ingr. *om.* G. Jenſ. [x] *om.* Jenſ. [z] duretur *inſ.* Jenſ.

VII, 1. *ut indicare portum*] Repetendum *ἀπὸ τοῦ κοινοῦ*, *vix bonæ fidei viro convenit*; quod cum non obſervaret aliquis, mutavit *indicare* in *intrare*.

5. *mutari aut intervelli*] Conf. 12, 9, 17.

nec offerentibus ſe aliunde ſenſibus turbabuntur, nec confundent ex diverſis orationem, velut ſalientes huc, illuc,
7 nec [a] uſquam inſiſtentes. Poſtremo habebunt modum et finem, qui eſſe citra diviſionem nullus poteſt: expletis pro facultate omnibus, quæ propoſuerint, perveniſſe ſe ad ultimum ſentient. Et hæc quidem *ex arte*, illa vero *ex ſtudio:* ut copiam ſermonis optimi, quemadmodum præceptum eſt, comparemus; multo ac fideli ſtilo ſic formetur [b] oratio, ut ſcriptorum colorem, etiam [c] quæ ſubito effuſa ſunt, reddant; ut cum multa ſcripſerimus, etiam [d]
8 multa dicamus. Nam *conſuetudo* et *exercitatio* facilitatem maxime parit, quæ ſi paullulum [e] intermiſſa fuerit, non [ee] velocitas illa modo tardatur [f], ſed et [ff] *νάρκημα* ipſum coit

[a] nec uſquam *om.* G. [b] comparetur G. [c] ea G. Jenſ. [d] qui *inſ.* Jenſ. [e] paullum G. Jenſ. paulum G. 2. [ee] *om.* G. 2. [f] *om.* G. Jenſ. tradatur G. 2. [ff] et *νάρκημα om.* G. Jenſ. G. 2. *ſine nota lacunæ. it. Ald. Baſſ. Primum video νάρκημα in Aſcenſ.* 1519. *f.* ſed ipſum atque concurrit *V. C. Alm. vid. not.*

7. *quemadmodum præceptum eſt*] Ab initio inde hujus libri.

8. *νάρκημα ipſum*] Quomodo *coeat νάρκημα*, id eſt, contrahatur, intermittenda exercitatione, intelligere mihi videor, ut nimirum *vulnera*, *cicatrices*, *aqua*, et multa alia *coire* dicuntur, cum partes earum rerum propius ſibi admoventur &c. Sed quomodo *concurrit νάρκημα*; An hoc dicit Fabius, ita celeriter hoc vitium, hunc torporem contrahi, ut non *coire* videatur, ſed *concurrere?* Sed neque Werlhofii mei interpretatione fraudabo meos lectores. Ille *ὀξύμωρον* ineſſe arbitratur Fabii verbis; torpor ille non coit modo, comitaturque dicentem, ſed una cum oratione illius procurrit, ut quantumvis feſtinantem non deſerat. Sed quod maxime mihi probatur, illud ultimo loco ponam. Videtur illud *νάρκημα* recentioris alicujus conjecturæ, non libro antiquo, deberi, et uſus hic quoque fuiſſe Fabius formula ſuæ ætatis nondum, quod ſciam, ſatis obſervata: verbo, ſcripſiſſe videtur, *ſed os ipſum coit atque concurrit*; vel quod malim ex veſtigiis V. C. Almel. *ſed ipſum os quoque concurrit.* Quid ſibi velit formula *os concurrit*, jam declarandum eſt. Seneca de Benef. 2, 1, *Cum homini probo ad rogandum os concurrat, et ſuffundatur rubor; qui hoc tormentum remittit, multiplicat munus ſuum.* Idem de Ira 3, 15, pr. de Harpago, quem poſt horribilem cœnam interrogavit rex, *Quomodo eſſet acceptus? Non defuerunt miſero verba*, non os concurrit. *Apud regem, inquit, omnis cœna jucunda eſt.* Idem Epiſt. 11, *Quibuſdam tremunt genua dicturis: quorumdam dentes colliduntur, lingua titubat*, labra concurrunt. Audiamus ipſum Fabium 11, 3, 56, *Concurſus oris, et cum verbis ſuis colluctatio:* et 11, 3, 121, *cum ore concurrente rixari, ſi memoria fefellerit, aut cogitatio non ſuffragetur. Concurrit* igitur *os*, cum turbato per pudorem et quemcunque æſtum animi ſanguine, oris muſculi invitis etiam trahuntur et quaſi convelluntur, ut fluctuum concurrentium, aut coruſcantium ſubito nubium ſpecies quædam circa labia (quibuſdam etiam circa frontem) exoriatur. Cives mei per Franconiam aiunt: *Es blitzt ihm im Geſichte.*

atque concurrit. Quamquam enim opus eſt naturali qua-
dam mobilitate animi, ut, dum proxima dicimus, ſtruere
ulteriora poſſimus, ſemperque noſtram vocem proviſa et
formata cogitatio excipiat: vix tamen aut natura, aut ra- 9
tio in tam multiplex officium diducere animum queat, ut
inventioni, diſpoſitioni, elocutioni, ordini rerum verbo-
rumque, tum iis, quæ dicit, quæ ſubjuncturus eſt, quæ
ultra ſpectanda ſunt, adhibita vocis, pronuntiationis, geſ-
tus obſervatione, una ſufficiat. Longe enim præcedat 10
oportet intentio, ac præ ſe res agat: quantumque dicendo
conſumitur, tantum ex ultimo prorogetur: ut donec per-
veniamus ad finem, non minus proſpectu procedamus,
quam gradu, ſi non interſiſtentes offenſanteſque brevia
illa atque conciſa ſingultantium modo ejecturi ſimus [g].
Eſt igitur uſus quidam irrationalis [h], quem Græci ἄλογον 11
τριβὴν vocant, quo [i] manus in ſcribendo decurrit, quo [i]
oculi totos ſimul in lectione verſus, flexuſque eorum et
tranſitus intuentur, et ante ſequentia vident, quam priora
dixerunt. Quo conſtant miracula illa in ſcenis pilariorum
ac ventilatorum, ut ea, quæ emiſerint, ultro venire in
manus credas, et qua jubentur decurrere. Sed hic uſus 12
ita proderit, ſi ea, de qua locuti ſumus, ars anteceſſerit, ut
ipſum illud, quod in ſe rationem non habet, in ratione
verſetur. Nam mihi ne dicere quidem videtur, niſi qui
diſpoſite, ornate, copioſe dicit. Sed nec [k] tumultuarii nec 13
fortuiti ſermonis contextum mirabor umquam, quem jur-
gantibus etiam mulierculis ſuperfluere video: quem [l] ſi
calor ac ſpiritus tulit, (frequenter enim [m] accidit, ut ſuc-

[g] ſumus G. Jenſ. [h] irrationabilis *iid.* [i] qua *bis iid.* [k] *om.* Jenſ. [l] cum cum eo quod ſi G. *et* Jenſ. *niſi quod hic alterum* cum *om.* [m] *om.* Jenſ.

10. *præcedat intentio*] Vid. 11, 2, 3.

11. *quo manus in ſcribendo*] Cic. de Orat. 2, 30. *Neque enim, quoties verbum aliquod eſt ſcribendum nobis, toties ejus verbi literæ cogitatione ſunt conquirendæ: nec quoties cauſa dicenda eſt, toties ad ejus cauſæ ſepoſita argumenta revolvi nos oportet; ſed habere certos locos, qui, ut literæ ad verbum ſcribendum, ſic illi ad cauſam explicandam, ſtatim occurrant.*

11. *pilariorum ac ventilatorum*] Protulit *Pilarium omnium eminentiſſimum* ex Fabretti Inſcr. 4, p. 25, [250,] Burmannus. Nec habeo dicere, an alias occurrant hæc nomina: res quidem ſatis aperta. Sunt *pilarii* illi θαυματοποιοὶ, qui manuum agilitate illudunt ſpectatoribus, ut emittere videantur manu vel ſub pocillo reponere pilulam, quam retinent manu, vel in os ſibi injiciunt &c. *Ventilatores* iidem vocantur, quod ventilantium inſtar projicere manum ac retrahere ſolent, variaque geſticulatione fucum faciunt ſpectatoribus.

ceſſum extemporalem conſequi cura non poſſit) Deum
tunc adfuiſſe, cum id eveniſſet, veteres oratores (ut Cicero
14 dicit [n]) aiebant. Sed ratio manifeſta eſt. Nam bene
concepti affectus et recentes rerum imagines continuo
impetu feruntur, quæ nonnumquam mora ſtili refrigeſ-
cunt, et dilatæ non revertuntur. Utique vero cum infe-
lix illa verborum cavillatio acceſſit, et curſus ad ſingula
veſtigia reſtitit, non poteſt ferri [o] contorta vis, ſed, ut op-
time vocum ſingularum cedat electio, non continua, ſed
15 compoſita eſt. Quare capiendæ ſunt illæ, de quibus dixi,
rerum imagines, quas vocari φαντασίας indicavimus, om-
niaque, de quibus dicturi erimus, *perſonæ*, *quæſtiones*, *ſpes*,
metus [p], habenda in oculis, in affectus recipienda. PEC-
TUS eſt enim, quod diſertos facit, et vis mentis. Ideo-
que imperitis quoque, ſi modò [q] ſunt aliquo affectu conci-
16 tati, verba non deſunt. Tum [r] intendendus animus, non
in aliquam rem unam, ſed in plures ſimul continuas:
UT, ſi per aliquam rectam viam mittamus oculos, ſimul
omnia, quæ ſunt in ea circaque, intuemur, non ultimum
tantum videmus, ſed uſque ad ultimum. Addit [s] ad di-
cendum etiam pudor ſtimulos, addit [t] et dicendorum ex-
ſpectata laus: mirumque [u] videri poteſt, quod, cum ſtilus
ſecreto gaudeat, atque omnes arbitros reformidet, extem-
poralis actio auditorum frequentia, UT miles congeſtu
17 ſignorum, excitatur. Namque et difficiliorem cogitatio-
nem exprimit et expellit dicendi neceſſitas, et ſecundos
impetus auget placendi cupido. Adeo præmium [x] omnia
ſpectant, ut eloquentia quoque, quamquam plurimum ha-
beat in ſe voluptatis, maxime tamen præſenti fructu lau-
18 dis opinioniſque ducatur. Nec quiſquam tantum fidat

[n] *om.* G. [o] furti Jenſ. *male.* [p] motus G. [q] non *inſ.* Jenſ. *male.* [r] Tamen *id.* [s] *om.* G. [t] habet G. Jenſ. [u] utrumque Jenſ. [x] pretium omnia expectant G. Jenſ.

13. *ut Cicero dicit*] Reſpicitne ad de Orat. 1, 46, *Sermone noſtro conquirimus eum virum, qui ſit ejus artis antiſtes, cujus cum ipſa natura homini magnam facultatem daret, tamen eſſe Deus putatur*, (intelligit recte Pearcius, *qui dederit illam facultatem*) *ut et ipſum, quod erat hominis proprium, non partum per nos, ſed divinitus ad nos delatum videretur*. Cæterum ſi nomen quæris hujus Dei, eſt Mercurius: quamobrem ſtatim etiam *caducei* mentionem facit Tullius.

14. *verborum cavillatio*] Quam etiam *calumniam* vocat. Vid. 10, 1, 115.

15. *rerum imagines*] De quibus egit 6, 2, 29. 8, 3, 64. Add. 11, 3, 62. 12, 10, 6.

16. *congeſtu ſignorum*] Ubi plura in unum locum ſigna congeruntur, iiſque prælatis fit in hoſtem impetus,

ingenio, ut id ſibi ſperet incipienti ſtatim poſſe contin-
gere ; ſed, ſicut in cogitatione præcepimus [z], ita facilita-
tem [a] quoque extemporalem a parvis initiis paullatim per-
ducemus ad ſummam : quæ neque perfici neque conti-
neri, niſi uſu, poteſt. Ceterum pervenire eo debet, ut 19
cogitatio non utique melior ſit ea, ſed tutior ; cum hanc
felicitatem [b] non in [c] proſa modo multi ſint conſecuti, ſed
etiam in [c] carmine, ut Antipater Sidonius, et Licinius
Archias : credendum enim Ciceroni eſt : non quia noſtris
quoque temporibus non et fecerint quidam hoc, et fa-
ciant : quod tamen ipſum non tam probabile puto [d], (ne-
que enim habet aut uſum res, aut neceſſitatem) quam ex-
hortandis in hanc ſpem, qui foro præparantur, utile exem-
plum. Neque vero tantam eſſe umquam fiduciam facili- 20
tatis velim [e], ut non breve ſaltem tempus, quod nuſquam [f]
fere deerit, ad ea, quæ dicturi ſumus, diſpicienda ſuma-
mus, quod quidem in judiciis ac foro datur ſemper. Ne-
que enim quiſquam eſt, qui cauſſam, quam non didicerit,
agat. Declamatores quoſdam perverſa ducit ambitio, ut 21
expoſita controverſia protinus dicere velint : quin etiam,
quod eſt in primis frivolum ac ſcenicum, verbum petant,
quo incipiant. Sed tam contumelioſos in ſe ridet invicem
eloquentia : et QUI ſtultis videri eruditi volunt [g], ſtulti
eruditis videntur. Si qua tamen fortuna tam ſubitam fe- 22
cerit agendi neceſſitatem, mobiliore quodam opus erit in-
genio, et vis omnis intendenda rebus, et in præſentia re-
mittendum aliquid ex cura verborum, ſi ſequi utrumque
non dabitur. Tum et tardior pronuntiatio moras habet,
et ſuſpenſa ac velut dubitans oratio : ut tamen deliberare,
non hæſitare, videamur. Hoc, DUM egredimur e portu, 23
ſi nos nondum aptatis ſatis armamentis aget [h] ventus :
deinde paullatim ſimul euntes aptabimus vela, et diſpone-
mus rudentes, et impleri ſinus optabimus. Id potius,
quam ſe inani [i] verborum torrenti dare, quaſi tempeſtati-
bus, quo [k] volent, auferendum. Sed non minore ſtudio 24

[z] præcipimus *iid.* [a] facult. G. [b] facilit. G. Jenſ. [c] *om. iid. bis.* [d] credo G. [e] *om.* G. Jenſ. [f] nunquam G. [g] velint G. [h] agit G. [i] mari G. [k] qui G. Jenſ.

18. *in cogitatione præcepimus*] Paullo ante 10, 6, 3.

19. *pervenire debet*] Vid. 10, 6, 4.

19. *Antipater—Archias*] De illo Cic. de Orat. 3, 50 : de hoc pro ipſo c. 8.

continetur hæc facultas, quam paratur. Ars enim ſemel percepta, non labitur †: ſtilus quoque intermiſſione paullo admodum de celeritate deperdit: promtum hoc, et in expedito poſitum, exercitatione ſola continetur. Hac uti ſic optimum eſt, ut quotidie dicamus audientibus pluribus, maxime de quorum ſimus[l] judicio ac opinione[m] ſoliciti: rarum eſt enim, ut ſatis ſe quiſquam vereatur. Vel ſoli[n] tamen dicamus potius, quam[o] non omnino dicamus.
25 Eſt illa[p] exercitatio cogitandi, totaſque materias vel ſilentio (dum tamen quaſi dicat intra[q] ſe ipſum) perſequendi, quæ nullo non et[r] tempore et[s] loco, quando non aliud agimus, explicari poteſt: et eſt in parte utilior, quam
26 hæc proxima. Diligentius enim componitur, quam illa, in qua contextum dicendi intermittere[t] veremur. Rurſus illa[u] prior plus confert, vocis firmitatem, [x]oris facilitatem, motum corporis, qui et ipſe, ut dixi, excitat oratorem, et jactatione[z] manus, pedis ſupploſione, SICUT cauda leones facere dicuntur, hortatur. Studendum vero
27 ſemper, et ubique. Neque enim fere tam eſt ullus dies occupatus, ut nihil lucri[a], vel ut Cicero Brutum facere

† capitur *iid. et plur. ap. Burm.* labitur *jam Aſc.* 1519. *f. Lugd.* 1538. 8vo. *&c.* [l] ſumus *iid.* [m] optione G. [n] ſolita dic. G. Jenſ. [o] quam animo dic. G. *Vid. leg.* omnino non dic. [p] alia G. Jenſ. [q] contra ipſum Jenſ. [r] ex G. eſt Jenſ. [s] re, Jenſ. [t] intromitt. G. [u] in alia G. Jenſ. [x] firmitate, oris facilitate, motu *iid. Quid ſi* firmitati, oris facilitati, motu *i. e.* motui? [z] jactationem—ſupploſionem G. [a] lucrative ut G. Jenſ.

24. *Ars enim—labitur*] Tria ſunt in oratore, quorum hic ita mentionem facit Fabius, ut alterum altero facilius vel retineri vel excidere doceat. I. *Ars* ipſa ſ. via dicendi, ratione ac præceptis comprehenſa. Hæc ſi bene ſemel percepta fuerit, *non labitur*, aut effluit animo; huic itaque nihil nocet intermiſſio. II. *Stilus*, ſive ſcribendi facultas. Hic ipſe quoque non multum, ſed aliquid tamen, amittit de celeritate ſua, ſi intermiſſus aliquamdiu fuerit. III. Sed extemporalitas, *promtum illud et in expedito poſitum*, mox perit, niſi perpetua exercitatione contineatur. Ponimus autem veram lectionem eſſe *labitur*. Si *capitur*, quod habent veteres libri, revocandum alicui videatur, is interpretari poterit ex eo verbi intellectu, quo *captus oculis, mente, membris*, dicitur, qui uſum eorum amiſit. Sed auctorem ejus formulæ requiro.

26. *ut dixi*] An reſpicit ad 1, 2, 31? Quæ enim 11, 3, 65, ſqq. præcipit, de his non uſus videtur fuiſſe præterito tempore, *dixi*.

26. *cauda leones*] Plin. H. N. 8, 16, ſ. 19. *Leonum animi index cauda—Immota ergo placidus, clemens, blandientique ſimilis, quod rarum eſt: crebrior enim iracundia. Ejus in principio, terra verberatur: incremento terga, ceu quodam incitamento, flagellantur.*

27. *ut Cicero Brutum*] Nondum inventus eſt locus; hinc tanto difficilius de vera lectione ſtatuere. Diligentiam quidem illius commendat in Orat. 10. *Jam quantum illud*

tradit, operæ ad ſcribendum, aut ad legendum, aut di-
cendum rapi aliquo momento temporis poſſit. Siquidem
C. Carbo etiam in tabernaculo ſolebat hac uti exercita-
tione dicendi. Ne [b] id quidem tacendum eſt, quod eidem 28
Ciceroni placet, nullum noſtrum uſquam negligentem eſſe
ſermonem: quidquid loquemur, ubicumque, ſit pro ſua
ſcilicet portione perfectum. Scribendum certe numquam [c]
eſt magis, quam cum multa dicemus ex tempore. Ita
enim ſervabitur pondus, innatans [d] illa verborum facilitas
in altum reducetur [e], SICUT ruſtici proximas vitis radices
amputant [f], quæ illam in ſummum ſolum ducant, ut infe-
riores penitus deſcendendo firmentur. Ac neſcio an, u- 29
trumque cum cura et ſtudio fecerimus, invicem proſit, ut
ſcribendo dicamus diligentius, dicendo ſcribamus facilius.
Scribendum ergo, quoties licebit; ſi id non dabitur, co-
gitandum: ab utroque excluſi, debent tamen adniti [g], ut
neque deprehenſus orator, neque litigator deſtitutus eſſe
videatur. Plerumque autem multa agentibus accidit, ut 30
maxime neceſſaria, et utique initia ſcribant, cetera, quæ
domo afferunt [h], cogitatione complectantur, ſubitis ex
tempore occurrant. Quod feciſſe M. Tullium [i] commen-
tariis ipſius apparet. Sed feruntur aliorum quoque, et
inventi forte, ut eos dicturus quiſque compoſuerat, et in
libros digeſti: ut cauſſarum quæ ſunt actæ a Servio Sul-
picio, cujus tres orationes exſtant. Sed hi, de quibus lo- 31
quor, commentarii ita ſunt exacti, ut ab ipſo mihi in me-
moriam poſteritatis eſſe videantur compoſiti. Nam Cice-
ronis ad præſens modo tempus aptatos libertus Tyro con-
traxit: quos non ideo excuſo, quia non probem, ſed ut
ſint magis admirabiles. In hoc genere prorſus recipio
hanc brevem annotationem, libelloſque, qui vel manu te-
neantur, et ad quos interim reſpicere fas ſit. Illud, quod 32
Lænas præcipit, diſplicet mihi, [l] quæ ſcripſerimus [m], in

[b] Nec Jenſ. [c] nuſquam *id.* [d] intrans G. trans in Jenſ. [e] re-ducatur G. Jenſ. [f] amputent Jenſ. [g] inviti G. vincere Jenſ. [h] af-ferant *id.* [i] ſuis comm. app. G. [l] ne (nec G.) in iis *inſ.* G. Jenſ. [m] vel *inſ.* Jenſ.

eſt, quod in maximis occupationibus nunquam intermittis ſtudia doctrinæ! ſemper aut ipſe ſcribis aliquid, aut me vocas ad ſcribendum.

28. *innatans—facilitas*] Vid. ad 7, 1, 45. Illud ruſticorum opus, quod hic tangit noſter, ablaqueatio eſt, deſcripta diſertiſſime et accommodate ad hunc locum a Colum. 4, 8, int. Geſner. Nimirum *proximæ vitis radices* ſunt, ſuperficiei proximæ, ἐπιπολάζεσαι.

30. *tres orationes*] Quarum mentio etiam 10, 1, 116.

ſummas, ſive commentarios et capita, conferre: facit enim et diſcendi negligentiam hæc ipſa fiducia, et lacerat ac deformat orationem. Ego autem ne ſcribendum quidem puto, quod [non [n]] ſimus [o] memoria proſecuturi. Nam hic quoque [p] accidit, ut revocet nos cogitatio ad illa ela-
33 borata, nec ſinat præſentem fortunam experiri. Sic anceps inter utrumque animus æſtuat, cum et ſcripta perdidit [q], et non quærit nova. Sed de memoria deſtinatus eſt libro proximo locus, nec huic parti ſubjungendus, quia ſunt alia prius nobis dicenda.

[n] *Hoc* non *inſeruit ex conj. Regius*; *retinuere Ald. Colin. it. Capper.* [o] ſumus G. [p] hoc G. [q] perdit G. Jenſ.

32. *lacerat ac deformat*] Cum enim quædam eorum, quæ ſcripta ſunt in commentariis amplioribus, memoriæ adhuc obverſentur, quædam exciderint, quædam ex parte tantum ſe oſtendant, emergantque: hinc tenorem orationis multum interpellari, ac diſſimilitudinem quandam oriri neceſſe eſt, quin illa *concurrentis oris* vitia exiſtere, de quibus 11, 3, 121.

32. *quod* [*non*] *ſimus—proſecuturi*] Non video, quî abeſſe poſſit negatio. Ex diſciplina Fabii aut ſcribenda eſt actio, et memoria complectenda: aut, ſi hoc fieri per anguſtias temporis non poſſit, ne ſcribenda quidem. Hoc toto capite de memoria 11, 2, inculcat. Hoc ipſa hic ſeries cogit. Incluſi tamen, ut lector tanto facilius moneatur, hic tentatum aliquid contra libros.

M. FABII QUINCTILIANI

DE

INSTITUTIONE ORATORIA

LIBER UNDECIMUS.

PARATA, ſicut ſuperiori libro continetur, facultate ſcribendi, cogitandique, et ex tempore etiam, cum res poſcet, orandi, proxima eſt cura, ut *dicamus apte:* quam virtutem quartam elocutionis Cicero[a] demonſtrat, quæque[b] meo
2 quidem judicio maxime neceſſaria eſt[c]. Nam cum ſit ornatus orationis varius et multiplex, conveniatque alius alii: niſi fuerit accommodatus rebus atque perſonis, non modo non[d] illuſtrabit eam, ſed etiam deſtruet, et vim rerum in contrarium vertet. Quid enim prodeſt, eſſe verba et Latina, et ſignificantia, et nitida, figuris etiam numeriſque elaborata, niſi cum iis, in quæ judicem duci forma-
3 rique volumus, conſentiant? Si genus ſublime dicendi parvis in cauſſis, parvum limatumque grandibus, lætum triſtibus, lene aſperis, minax ſupplicibus, ſubmiſſum concitatis, trux atque violentum jucundis adhibeamus? UT monilibus, et margaritis, ac veſte longa, quæ ſunt orna-

[a] eſſe *inſ.* G. [b] eſt *inſ.* G. Jenſ. [c] *om. iid.* [d] *om. Voſſ. ap. Burm. vid. not.*

I, 1. *Cicero*] De Orat. 3, 10. *Quinam igitur dicendi eſt modus melior, quam ut Latine, ut plane, ut ornate, ut ad id, quodcunque agetur, apte congruenterque dicamus?*

2. *non modo non illuſtrabit*] Poterat alicui in mentem venire, poſterius *non* in hoc commate recte abeſſe in libris Voſſianis; nec ſane poteſt negari, producta eſſe a viris doctis exempla, ubi etiam nulla ſequente nova negatione illud poſterius *non* omittatur. Sed cum hoc genus exempla rariſſima ſint, et plane rationi adverſa; aliorum autem plena omnia, et ratio in promtu: malim librariorum fidem accuſare, quoties non ſequitur *nedum, ne quidem, vix,* aut ex eo genere aliquid. Hæc etiam Perizonii ſententia ad Sanct. Minerv. 4, 7, 5 et 6. p. 694. ſq.

menta feminarum, deformentur [e] viri, nec habitus trium-
phalis, quo nihil excogitari potest augustius, feminas de-
ceat. Hunc locum Cicero breviter in tertio de oratore 4
libro perstringit: neque tamen [f] videri potest quidquam
omisisse, dicendo, *non omni caussæ, nec auditori, nec per-
sonæ, nec tempori congruere orationis unum genus.* Nec fere
pluribus in Oratore eadem. Sed illic L. Crassus, cum
apud summos oratores, hominesque eruditissimos dicat,
satis habet, partem hanc velut notare inter agnoscentes.
Et hic Cicero alloquens Brutum testatur esse hæc ei nota, 5
ideoque brevius a se dici, quamquam sit fusus locus, trac-
teturque a philosophis latius. Nos institutionem professi,
non solum scientibus ista, sed etiam discentibus tradimus:
ideoque paullo pluribus verbis debet [g] haberi venia.
Quare notum sit nobis ante omnia, quid *conciliando, do-* 6
cendo, movendo judici conveniat: quid quaque parte ora-
tionis petamus. Ita neque vetera, aut [h] translata, aut
ficta verba in [i] *incipiendo* [l], *narrando, argumentando* tracta-
bimus, neque decurrentes [m] contexto nitore circuitus, ubi
dividenda erit caussa, et in partes suas digerenda [n], neque
humile atque quotidianum sermonis genus, et composi-
tione ipsa dissolutum, epilogis dabimus, nec jocis [o] lacri-
mas, ubi opus erit miseratione, siccabimus. Nam ornatus 7
omnis non tam sua, quam rei, cui adhibetur, conditione
constat: nec plus refert, quid dicas, quam quo loco. Sed
totum hoc, *apte dicere*, non *elocutionis* tantum genere con-
stat, sed est [p] cum *inventione* commune. Nam si tantum
habent etiam [q] verba momentum, quanto res ipsæ majus?
Quarum quæ esset observatio, suis locis subinde subjeci-
mus. Illud est [r] diligentius docendum [s], eum demum di- 8
cere apte, qui, non solum *quid* [t] *expediat*, sed etiam *quid*
deceat, inspexerit. Nec me fugit, plerumque hæc esse
conjuncta. Nam quod decet [u], fere prodest: neque alio
magis animi judicum conciliari, aut, si res in contrarium
tulit, alienari solent. Aliquando tamen et hæc dissen- 9

[e] deformantur G. *Sed nihil mutandum.* [f] tam G. [g] decet G. *male.* [h] nec G. [i] *om.* G. Jens. [l] imponendo G. [m] decurrentis G. Jens. [n] dirigenda G. [o] locis G. [p] etiam G. Jens. [q] et *id.* [r] etiam G. [s] dicendum Jens. [t] quod G. [u] deceat G. Jens.

4. *Cicero*] De Orat. 3, 55. Nec tamen hæc Fabii verba ita accipienda, quasi plane nihil, præter verba laudata, esset apud Ciceronem de hoc argumento. Sunt enim pluscula. Ita illud *aptum*, quod πρέπον vocat, tractat in Oratore c. 21. sq.

8. *quod decet, fere prodest*] Vid. quæ laudamus ad 8, pr. 19.

tiunt. Quoties autem pugnabunt, ipſam utilitatem vincet quod decet. Nam quis neſcit, nihil magis profuturum ad abſolutionem Socrati [x] fuiſſe, quam ſi eſſet uſus illo judiciali genere defenſionis, et oratione ſubmiſſa conciliaſſet judicum animos ſibi, crimenque ipſum ſolicite
10 redarguiſſet? Verum id eum minime decebat: ideoque ſic egit, ut qui pœnam ſuam honoribus ſummis eſſet æſtimaturus. Maluit enim vir [z] ſapientiſſimus, quod ſupereſſet ex vita, ſibi perire [a], quam quod præteriſſet. Et quando ab hominibus ſui temporis parum intelligebatur, poſterorum ſe judiciis reſervavit, brevi detrimento jam ultimæ ſenectutis ævum ſæculorum omnium conſecutus.
11 Itaque quamvis Lyſias, qui tum in dicendo præſtantiſſimus habebatur, defenſionem illi ſcriptam attuliſſet [b], uti ea noluit: cum bonam quidem, ſed parum ſibi convenientem, judicaſſet. Quo vel ſolo patet, non perſuadendi, ſed bene dicendi finem in oratore ſervandum, cum interim perſuadere deforme ſit. Non fuit hoc utile abſolu-
12 tioni: ſed (quod eſt majus) homini fuit. Et [c] nos ſecundum communem potius loquendi conſuetudinem, quam ipſam veritatis regulam, diviſione hac utimur [d], ut ab eo, quod deceat, utilitatem ſeparemus. Niſi forte prior ille Africanus, qui patria cedere, quam [e] cum tribuno plebis humillimo contendere de innocentia ſua maluit, inutiliter ſibi videtur conſuluiſſe: aut P. Rutilius, vel quum illo pene Socratico genere defenſionis eſt uſus, vel quum, re-

[x] Socratis Jenſ. [z] *om. id.* [a] aperire Jenſ. *male.* [b] obtul. G. Jenſ.
[c] Etiam Jenſ. [d] utamur G. [e] quantum tr. G.

9. *Socrati*] Tractat hunc locum in primis Xenophon, et rationis, quam ſecutus ſit Socrates, cauſas reddit in Apologiæ Socratis principio.

10. *pœnam—æſtimaturus*] Cic. de Orat. 1, 54, *Erat enim Athenis, reo damnato, ſi fraus capitalis non eſſet, quaſi pœnæ æſtimatio* &c. Legendus enim totus eſt locus, ſi cui hic brevis nimis videatur Fabius. *Pœnæ*, inquam, *æſtimatio*. Neque enim audiendus videtur Lambinus, licet etiam doctiſſimo Pearcio fere perſuaſerit, de omittendo nomine *pœnæ*, quod tum libri antiqui tuentur, (v. g. editio Omniboni 1495, f.) tum hic ipſe Fabii locus: et cum *lis æſtimari* dicitur, eadem *pœna* æſtimatur, quæ pretium *litis* aut facinoris eſt.

11. *non perſuadendi*] Qua de re ſupra copioſe diſputat 2, 15. int.

12. *Africanus, qui patria*] Enarrat Liv. 38, 51. ſq.

12. *P. Rutilius*] De quo tum alia Cic. de Orat. 1, 53, tum iſta, *Cum eſſet ille vir exemplum innocentiæ, cumque illo nemo neque integrior eſſet in civitate neque ſanctior, non modo ſupplex judicibus eſſe noluit, ſed ne ornatius quidem aut liberius cauſam dici ſuam, quam ſimplex ratio veritatis ſinebat.* Add. Val. Max. 6, 4, 4.

vocante eum[f] P. Sylla, manere in exilio maluit, quid[g] sibi maxime conduceret, nesciebat. Hi vero parva illa, 13 quæ abjectissimus quisque animus utilia credit, si cum virtute conferantur, despicienda judicaverunt: ideoque perpetua sæculorum admiratione celebrantur. Neque nos simus tam humiles, ut, quæ laudamus, inutilia credamus. Sed hoc[h] qualecumque discrimen raro admodum evenit[i]. 14 Ceterum[l] idem fere (ut dixi) in omni genere caussarum et proderit, et decebit. Est autem, quod omnes et semper et ubique, suadere[m] ac dicere honeste[n]: contraque[o] neminem ullo umquam in loco, turpiter. Minora vero, quæque[p] sunt ex mediis, plerumque[q] sunt talia, ut aliis sint concedenda, aliis non sint, aut *pro persona*, *tempore*, *loco*, *caussa* magis ac minus vel excusanda[r] debeant videri, vel reprehendenda. Cum dicamus autem de rebus 15 aut alienis, aut nostris, dividenda ratio est eorum, dum sciamus pleraque neutro loco convenire. In primis igitur[s] OMNIS sui vitiosa jactatio est, eloquentiæ tamen in oratore præcipue: affertque audientibus non[t] fastidium modo, sed plerumque etiam odium. Habet enim mens 16 nostra natura sublime quiddam et erectum, et impatiens superioris. Ideoque abjectos, aut submittentes se, libenter allevamus, quia hoc facere tamquam majores videmur: et, quoties discessit æmulatio, succedit humanitas. At qui se supra modum extollit, premere ac despicere creditur, nec tam se majorem, quam minores ceteros facere. Inde invident humiliores. Hoc vitium est eorum, 17 qui nec cedere[u] volunt, nec possunt contendere: rident

[f] eo G. [g] quod G. Jens. [h] *om.* G. [i] eveniet G. *recte.* [l] *om.* G. [m] persuadere G. [n] *Sic* G. Jens. *it. Voss.* 1, 3, *ap. Burm.* facereque deceat *inf. al.* [o] contra quem Jens. [p] quæ G. [q] plura G. Jens. [r] excusata *iid.* [s] enim Jens. [t] non fast. *om.* G. [u] credere Jens.

14. *Est autem, quod*] *Est* quiddam *quod omnes, et semper, et ubique,* decet: quidnam? *suadere ac dicere honeste. Contra* est, quod *neminem ullo umquam in loco* decet: quid? suadere ac dicere *turpiter.* Si ita expleveris brevitatem Fabii, apparet non opus esse verbis illis, quæ injusta possessione deturbavimus; quin eis pulcherrimam sententiam obscurari et corrumpi. Aperte eam firmat s. 42.

15. *neutro loco convenire*] Quæ non conveniunt, cum de nobis dicimus, ea neque decora sunt, cum de aliis &c.

15. *vitiosa jactatio*] Cic. Divin. in Cæc. 11, *Cum omnis arrogantia odiosa est, tum illa ingenii atque eloquentiæ multo molestissima.* Id. Orat. 42, *Eloquentiam illi ipsi qui consecuti sunt, tamen ea se valere dissimulant* &c. plura enim sunt ibi Patre eloquentiæ dignissima.

ſuperiores, improbant boni[x]. Plerumque vero deprehendas arrogantium[z] fallacem de[a] ſe opinionem : ſed in veris[b] quoque ſufficit conſcientia. Reprehenſus eſt in hac parte non mediocriter Cicero, quamquam is quidem rerum a ſe geſtarum major, quam eloquentiæ, fuit in ora-
18 tionibus utique jactator. At plerumque illud quoque non ſine aliqua ratione fecit[c]. Aut enim tuebatur eos, quibus erat uſus adjutoribus in opprimenda conjuratione, aut reſpondebat invidiæ : cui tamen non fuit par, ſervatæ patriæ pœnam paſſus exſilium : ut illorum, quæ egerat[d] in conſulatu, frequens commemoratio poſſit videri non glo-
19 riæ magis, quam defenſioni, data. Eloquentiam quidem cum pleniſſimam diverſæ partis advocatis concederet, ſibi numquam in agendo immodice arrogavit. Illius ſunt[e] enim, *Si quid eſt in me ingenii, judices, quod ſentio quam ſit exiguum :* et, [f] *Nam quo minus ingenio poſſum, ſubſidium*
20 *mihi diligentia comparavi.* Quinetiam contra Q. Cæcilium de accuſatore[g] in Verrem conſtituendo, quamvis multum eſſet in hoc quoque momenti, uter ad agendum magis idoneus veniret, dicendi tamen facultatem magis

[x] *Sic* G. *Sic conjecerat Reg. Sic MSS. plur. ap. Bur. et Obr.* bonis Jenſ. bonos *al.* [z] arrogantiam G. [a] de ſe *om.* G. [b] *Sic* G. *et plur. ap. Bur.* in his veri *al.* [c] facit G. Jenſ. [d] egerat conſul G. [e] ſunt enim *om.* G. [f] et quia minus G. et quod minus Jenſ. [g] accuſatorem G.

17. *improbant boni*] Jactatorem oderunt omnes, ſed diverſo modo, pro diverſo hominum vel animo vel ſtatu. *Invident humiliores*, qui contendere non poſſunt, ſi iidem non ſint patientes, ut velint cedere : *rident ſuperiores*, ut hominem abſurdum, et qui fruſtra conetur ; *improbant boni* viri, qui neque invidere volunt, neque ridere, in re miſericordia potius, quam invidia vel riſu adeo digna. Sic eadem emendationis noſtræ rationem reddidimus.

17. *ſed in veris quoque*] *In veris* quoque eloquentiæ bonis *ſufficit* ſapienti viro *conſcientia* ſua, quo minus opus eſſe putat, ut aliorum admirationem de ſe prædicando concitet. Hæc ſententia, puto, planiſſima eſt et digna Fabio. Qui alteram lectionem prætulere, non indicarunt, qua re inducti fecerint ; aut quorſum illud *his* referendum ſit.

17. *major, quam eloquentiæ*] Hoc enim jactationis genus vel maxime deprecatur loco modo laudato, ſ. Divin. in Cæc. 11.

19. *Si quid eſt*] Principium Orationis pro Archia Poeta. *Nam quo minus* pro Quinctio c. 1.

20. *de accuſatore*] Non damnanda eſt temere Gothana lectio. Quid ſi fuit vetus formula et titulus, ut *de in jus vocando, de in litem jurando*, ſic *de conſtituendo accuſatorem?* Varro R. R. 3, 9, 12, *in ſupponendo ova*. De Gerundiis in *dum* plura exempla protulimus in Lexico Ruſtico, et plura volentes remiſimus ad Drakenb. ad Sil. 15, 105.

illi detraxit, quam arrogavit ſibi: *ſeque non conſequutum, ſed omnia feciſſe, ut poſſet eam conſequi,* dixit. In epiſtolis 21
aliquando familiariter apud amicos, nonnunquam in dialogis, aliena [h] tamen perſona, verum de eloquentia ſua dicit. Et [i] aperte tamen gloriari, neſcio an ſit magis tolerabile, vel ipſa vitii hujus ſimplicitate, quam illa jactatione [ii] perverſa, ſi abundans opibus pauperem ſe [k], nobilis obſcurum, et potens infirmum, et [l] diſertus imperitum plane et infantem vocet. Ambitioſiſſimum gloriandi ge- 22
nus eſt, etiam deridere. Ab aliis ergo laudemur. Nam ipſos, ut Demoſthenes ait, *erubeſcere, etiam cum ab aliis laudabimur* [ll], *decet.* Neque hoc dico, non aliquando de rebus a ſe geſtis oratori eſſe dicendum, ſicut eidem Demoſtheni pro Cteſiphonte: quod tamen ita emendavit, ut neceſſitatem id faciendi oſtenderet, invidiamque omnem in eum regereret [m], qui hoc ſe coegiſſet. [n] Et M. 23
Tullius ſæpe dicit de oppreſſa conjuratione Catilinæ: ſed

[h] cum perſona G. Jenſ. [i] Verum gloriari Kapp. *et V. C. Alm.* [ii] jactatio *conj. Rollin.* [k] *Sic V. C. Alm. Vaſc.* 1542. *f. Steph.* neget *inſ. al.* [l] *Sic quos modo laudavimus, et inſuper* G. Jenſ. quam ſi ſe diſ. *al. ab Aſcenſ. inde* 1519. *f.* [ll] laudamur Jenſ. [m] regeret *id.* [n] Sed *inſ. id.*

20. *ſeque non conſequutum*] Moderate ſane Div. in Cæc. 12, *Fortaſſe dices, Quid? ergo hæc in te ſunt omnia,* quæ modo ab actore hujus cauſſæ deſideraſti? *utinam quidem eſſent! veruntamen ut eſſe poſſent, magno ſtudio mihi a pueritia eſt elaboratum.* Cæterum de toto hoc crimine jactantiæ Ciceroni impacto vid. Andr. Schott. Ciceron. a Calumn. Vind. c. 2.

21. *quam illa jactatione*] Non eſt opus conjectura Rollini, intelligitur enim ἀπὸ τοῦ κοινοῦ *gloriari.* Cæterum quibus auctoribus hic immutaverimus lectionem, ab aliquo inde tempore receptam, indicatum eſt. Tanto æquius eam ferent idonei judices, ſi gradus corruptionis inſpiciant. Primo ſcioli alicujus opere inculcatum eſt præter Fabii ſententiam illud *neget.* Deinde cum obſervaret Aſcenſius, puto, (poſt Jenſonium atque Aldum certe aliquis) parum ſic ſibi conſtare ſententiam, pro *et* induxit *quam*; qua ratione tectum aliquo modo vitium eſt: ſed, ut ſolet, perverſa curatione auctum.

22. *Ambitioſiſſimum*] Hic cauſam adfert, cur perverſa illa, quam adhuc deſcripſit, jactatio tantopere exoſa ſit. *Ironia* enim eſt, *deriſio* eſt, quæ accedit, ut cumulus quidam, jactationi: qui ad dictum modum ſe jactat, ille inſuper *etiam deridet.* Eam hic vim habet ἡ *etiam,* quam εἶτα Græcorum, et ipſum *etiam* ſexcenties alias, v. g. Ter. Eun. 5, 2, 21, *Vix me contineo, quin involem in Capillum: monſtrum!* etiam *ultro deriſum advenit!*

22. *neceſſitatem id faciendi*] In procem. c. 2. Πολλάκις λέγειν ἀναγκασθήσομαι περὶ ἐμαυτοῦ. Πειράσομαι μὲν οὖν ὡς μετριώτατα τοῦτο ποιεῖν· ὅ, τι δ' ἂν τὸ πρᾶγμα αἰτὸ ἀναγκάζῃ, τούτου τὴν αἰτίαν οὗτός ἐστι δίκαιος ἔχειν, ὁ τοιοῦτον ἀγῶνα ἐνστησάμενος.

23. *Et M. Tullius*] Eleganter ipſe cauſam dicit pro Domo c. 35, *Quis unquam audivit, cum ego de me niſi coactus ac neceſſario dicerem?* &c.

modo id virtuti Senatus, modo providentiæ Deorum immortalium aſſignat. Plerumque contra inimicos atque obtrectatores plus vindicat ſibi. Erant enim tuenda, cum
24 objicerentur. In carminibus utinam pepercisset, quæ non deſierunt carpere maligni,

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ:

et,

O fortunatam natam me conſule Romam:

et, *Jovem illum, a quo in concilium deorum advocatur:* et, *Minervam, quæ omnes eum artes edocuit:* quæ ſibi ille, ſe-
25 cutus quædam Græcorum exempla, permiſerat. Verum eloquentiæ ut indecora jactatio, ſic nonnumquam concedenda fiducia eſt. Nam quis reprehendat hæc? *Quid putem? contemtumne me? Non video nec in vita, nec in gratia, nec in rebus geſtis, nec in hac mea mediocritate ingenii,*
26 *quid deſpicere poſſit Antonius.* Et paullo poſt apertius: *An decertare mecum voluit contentione dicendi? Hoc quidem beneficium eſt. Quid enim plenius, quid uberius, quam mihi*
27 *pro me, et contra Antonium dicere?* Arrogantes et illi, qui ſe judicaſſe de cauſſa, nec aliter affuturos fuiſſe proponunt.

24. *Cedant arma*] Quantas tragœdias de hoc verſu, quem in Poemate de conſulatu ſuo Tullius poſuerat, Piſo excitaverit, videre licet ex reſponſione Ciceronis c. 29, ſq. ubi etiam Plutarchi cenſuram adfert Lambinus. Pro ultimo verbo verſus, *linguæ, laudi* eſt in Ciceronis l. c. et tuentur Gronovius pater, atque Grævius. Reſpondit de eodem crimine etiam Antonio Phil. 2, 8.

24. *O fortunatam*] Alterum crimen, in quo malum etiam poetam dicunt Ciceronem; quod lepide illi etiam exprobrat Juvenalis 10, 122, et qui ibi laudantur a Grangæo. Sed defendit laudatus modo Schottus c. 10.

24. *Jovem—Minervam*] Etiam hæc varie objecta ab inimicis, Clodio præſertim, qui fictionem poeticam e libris de conſulatu arripuerant. Retorquet aſperrime pro Domo c. 34, *Hic tu me etiam gloriari vetas. Negas eſſe ferenda, quæ ſoleam de me prædicare; et homo facetus inducis etiam ſermonem urbanum ac venuſtum: me dicere ſolere, eſſe me Jovem: eundemque dictitare, Minervam eſſe ſororem meam. Non tam inſolens ſum,* (intell. ſi vera dicis, Clodi) *quod Jovem eſſe me dico, quam ineruditus, quod Minervam ſororem Jovis eſſe exiſtimo.* Hæc unice vera lectio, a Grutero prolata, et repetita a Gronovio: quam poſtea deſertam non oportuit. Reliqua, quibus Clodium configit, omittimus, quia ſine varietate leguntur. Cæterum Minervam præter ceteros Deos cultam a Cicerone, vel illa *Cuſtos urbis,* in Capitolio ab ipſo poſita, ſatis declarat.

25. *Quid putem*] Phil. 2, 1. Illa tamen *Quid enim plenius* &c. non tam ad laudem eloquentiæ Tullianæ, quam ad argumenti ubertatem pertinent, in quo oratio deeſſe vel minus diſerto non poſſit.

Nam et inviti judices audiunt præſumentem partes ſuas: nec hoc oratori contingere inter adverſarios, quod Pythagoræ inter diſcipulos contigit, poteſt, *Ipſe dixit.* Sed iſtud magis minuſve [o] vitioſum eſt pro perſonis dicentium. Defenditur enim aliquatenus *ætate, dignitate, auctoritate:* 28
quæ tamen vix in ullo tanta fuerint, ut non hoc affirmationis genus temperandum ſit aliqua moderatione, ſicut omnia, in quibus patronus argumentum ex ſe ipſo petet. Quod fuiſſet tumidius [p], ſi [q] criminis loco eſſe [r] negaſſet Cicero, Equitis Romani eſſe filium, ſe defendente. At ille fecit hoc etiam favorabile, conjungendo cum judicibus dignitatem ſuam: *Equitis autem Romani eſſe filium, criminis loco poni ab accuſatoribus, neque his judicantibus oportuit, neque defendentibus nobis.* Impudens, tumultuoſa, 29
iracunda actio, omnibus indecora: ſed ut quiſque ætate [s], dignitate, uſu præcedit, magis in ea reprehendendus [t]. Videas autem rixatores quoſdam neque judicum reverentia, neque agendi more ac modo, contineri. Ex quo ipſo mentis habitu manifeſtum ſit, tam in ſuſcipiendis, quam in agendis cauſſis nihil penſi habere. Profert enim mores 30
plerumque oratio, et animi ſecreta detegit. Nec ſine cauſſa Græci prodiderunt, *Ut vivat* [u], *quemque etiam dicere.* Humiliora illa vitia, ſubmiſſa adulatio, affectata ſcurrilitas, in rebus ac verbis parum modeſtis ac pudicis vilis pudor,

[o] minervæ G. *ex compendiis ſyllabarum* us *et* er *in MSS.* [p] timidius Jenſ. [q] niſi G. [r] *om.* G. Jenſ. [s] erat G. [t] reprehendens G. reprehendes Jenſ. [u] juvat G. Jenſ.

27. *præſumentem partes*] Occupantem et præripientem: ſic ſumi diximus 10, 5, 4.

28. *Equitis autem Romani*] Ex Cœliana c. 2.

29. *magis—reprehendendus*] Cum enim impudentia, tumultus, iræ, ſoleant eſſe malæ cauſæ vel imbecillorum hominum præſidia, turpiter etiam ad ea confugit, qui alia habet, quibus nitatur. Solebat aliquis literarum omnium expers ventitare ad Academicas diſputationes, atque interrogatus, cur id ageret, reſpondere, ſe videre velle, uter vinceret. Cum objiceretur, quî id poſſet Latinæ linguæ rudis? At ego, inquit, uter iraſcatur obſervo; cum enim liquido mihi conſtat cauſa eſſe vel eruditione inferiorem.

30. *Ut vivat, quemque*] Pervulgata Græcis Latiniſque ſcriptoribus ſententia; quorum loca dederunt Menag. ad Diog. Laert. 1, 58, ſive illud Solonis, Λόγον εἴδωλον εἶναι τῶν ἔργων, et Daviſ. ad Cic. Tuſc. 5, 16; qui tamen in eo fallitur, quod hic apud Fabium legendum putat, *vivit*, non *vivat*; cum tamen indefinita oratio conjunctivum poſtulet.

30. *vilis pudor*] h. e. contemtus, conculcatus; verbo, impudentia. Pertinet huc illud Apuleii Apol. p. 274. extr. Elmenh. *Pudor veluti veſtis, quanto obſoletior eſt, tanto incurioſius habetur.*

in omni negotio neglecta auctoritas: quæ fere accidunt
31 iis, qui nimium aut blandi esse, aut ridiculi volunt. Ipsum etiam eloquentiæ genus alios aliud decet. Nam neque tam plenum, et erectum, et audax, et præcultum [x] senibus convenerit, quam pressum, et mite, et limatum, et quale intelligi vult Cicero, cum dicit, orationem suam cœpisse *canescere*; sicut vestibus quoque non purpura coc-
32 coque [z] fulgentibus illa ætas satis apta sit. In juvenibus etiam uberiora paullo, et pene periclitantia feruntur. At in iisdem siccum, et solicitum, et contractum dicendi propositum, plerumque affectatione ipsa severitatis invisum est: quando etiam morum senilis auctoritas immatura in
33 adolescentibus creditur. Simpliciora militares decent. Philosophiam ex professo (ut quidam faciunt) ostentantibus, parum decori sunt plerique orationis ornatus, maximeque ex affectibus, quos illi vitia dicunt. Verba quoque exquisitiora, et compositio numerosa tali proposito [a]
34 diversa. Non enim solum illa lætiora, qualia a Cicerone dicuntur, *Saxa atque solitudines voci respondent*; sed etiam illa, quamquam plena sanguinis, *Vos enim jam, Albani tumuli atque luci, vos, inquam, imploro atque testor, vosque, Albanorum obrutæ aræ, sacrorum populi Romani sociæ et*
35 *æquales*; non conveniant barbæ illi atque tristitiæ. At vir civilis, vereque sapiens, qui se non otiosis disputationibus, sed administrationi reipublicæ dediderit [b], (a qua longissime isti, qui philosophi vocantur, recesserunt) omnia, quæ ad efficiendum oratione, quod proposuerit [c], valent, libenter adhibebit: cum prius, quod [d] honestum sit, efficere in animo suo constituerit. Est quod principes de-
36 ceat, aliis non concesseris. Imperatorum ac triumphalium [e] separata est aliqua ex parte ratio eloquentiæ: sicut Pompeius abunde disertus rerum suarum narrator: et hic,

[x] petulcum G. [z] crocoque G. Jens. [a] proposita G. propositio Jens. *male utrumque.* [b] dederit G. [c] proposuerint Jens. [d] quid G. Jens. [e] triumphantium Jens.

31. *orationem—canescere*] Bruto c. 2. *Cum ipsa oratio jam nostra canesceret, haberetque suam quandam maturitatem et quasi senectutem.*

31. *purpura coccoque*] Non ausim damnare antiquam lectionem *crocoque*. Phrygibus objicitur Æn. 9, 614, *picta croco et fulgenti murice vestis*. Neque me movet, *crocotas* fuisse mulierum et effeminatorum: nec enim sexum hic distinguit Quinctilianus; et est etiam in feminis ætatis aliquod hac parte discrimen.

34. *Saxa atque solitudines*] Pro Archia 8. *Vos enim Albani* pro Milon. 31.

qui bello civili se interfecit, Cato eloquens senator fuit. Idem dictum sæpe in alio liberum, in alio furiosum, in 37
alio superbum est. Verba adversus Agamemnonem a Thersite habita ridentur: da[f] illa Diomedi, aliive cui pari[g], magnum animum[h] ferre præ se videbuntur. *Ego te consulem putem,* inquit L. Crassus Philippo, *cum tu me non putes senatorem?* Vox honestissimæ libertatis, non tamen ferres[i] quemcumque dicentem. Negat se magni 38
facere aliquis poetarum, *utrum Cæsar ater an albus homo sit:* insania: verte, ut[k] idem Cæsar de illo dixerit, arrogantia est. Major in personis observatio est apud comicos tragicosque. Multis enim utuntur[l], et variis. Eadem et eorum, qui orationes aliis scribebant[m], fuit ratio; et declamantium est. Non enim semper ut advocati, sed plerumque ut litigatores dicimus. Verum etiam in iis caus- 39
sis, quibus advocamur[n], eadem[o] differentia diligenter est custodienda. Utimur enim fictione personarum, et velut ore alieno loquimur: dandique sunt iis, quibus vocem accommodamus, sui mores. Aliter enim P. Clodius, aliter Appius Cæcus: aliter Cæcilianus ille, aliter Terentianus pater fingitur. Quid asperius lictore Verris? *Ut adeas,* 40
tantum dabis. Quid fortius illo, cujus inter ipsa verberum supplicia una vox audiebatur, *Civis Romanus sum?* Quam dignæ Milonis in peroratione ipsa voces eo viro, qui pro republica seditiosum civem toties compescuisset, quique insidias virtute superasset? Denique non modo quot in 41
caussa, totidem in prosopopœia sunt varietates: sed hoc etiam plures, quod in his puerorum, feminarum, populo-

[f] at G. Jens. [g] par G. [h] *om.* G. [i] feres G. *forte* feras. [k] in G. [l] utimur G. [m] scribebat G. [n] advocamus G. Jens. [o] ea G.

37. *a Thersite*] 'Ιλ. β'. 225—242. *Ego te consulem* Cic. de Orat. 3, 1, extr. *aliquis poetarum,* Catullus car. 92. Quod autem *insaniam* vocat Fabius, ita verum puto, si constet, Cæsare Dictatore ista, et quæ his sunt apud eum similia, scripta a Catullo, quod quidem mihi non fit probabile: et ostendit Vossius ad hunc poetam p. 83 circa ipsa belli civilis initia eum esse mortuum.

38. *orationes aliis scribebant*] Qualem Lysias Socrati obtulit Cic. de Orat. 1, 54.

39. *Aliter enim P. Clodius*] Sumta omnia ex Cœliana Ciceronis, qui c. 15 introducit expostulantem acerrime cum Clodia Appium Cæcum, leniter, fraterneque et amatorie monentem eandem P. Clodium; tum c. 16 vehementem ac durum Cœlio patrem Cæcilianum, leniorem autem et clementem Terentianum. Itaque nihil opus est huc advocare Cæcilianum stultum senem de incommodis senectutis conquerentem ex Catone M. c. 8.

40. *lictore Verris*] In Verr. 5, 45. Quod statim sequitur, *Civis R. sum* est ex eadem c. 62.

rum, mutarum[p] etiam rerum aſſimulamus affectus, quibus
42 omnibus debetur ſuus decor. Eadem in iis, pro quibus
agemus, obſervanda[q] ſunt. Aliter enim pro alio ſæpe
dicendum eſt, ut quiſque[r] *honeſtus, humilis, invidioſus*[s],
favorabilis erit, adjecta propoſitorum quoque et anteactæ
vitæ differentia. Jucundiſſima vero in oratore *humanitas*[t],
facilitas, moderatio, benevolentia. Sed illa quoque diverſa
bonum virum decent, malos odiſſe, publica vice commo-
veri, ultum[u] ire ſcelera et injurias: et omnia, ut initio
43 dixi, honeſta. Nec tantum, *quis* et *pro quo*, ſed etiam,
apud quem dicas, intereſt. Facit enim et fortuna diſcri-
men et poteſtas: nec eadem apud principem, magiſtra-
tum[x], ſenatorem, privatum, tamen[y] liberum, ratio eſt[z]:
nec eodem ſono publica judicia, et arbitrorum diſcepta-
44 tiones aguntur. Nam ut orantem pro capite ſolicitudo
deceat et cura, et omnes ad amplificandam orationem
quaſi machinæ: ita in parvis rebus judiciiſque[a] vana ſint
eadem, rideaturque merito, qui apud diſceptatorem de re
leviſſima ſedens dicturus, utatur illa Ciceronis confeſſione,
non modo ſe animo commoveri, ſed etiam corpore ipſo perhor-
45 *reſcere.* Quis vero neſciat, quin aliud dicendi genus poſ-
cat gravitas ſenatoria, aliud aura popularis? cum etiam
ſingulis judicantibus, non idem apud graves viros, quod
leviores; non idem apud eruditum, quod militarem, ac
ruſticum deceat: ſitque nonnumquam ſubmittenda et
contrahenda oratio, ne judex eam vel intelligere vel ca-
46 pere non poſſit. Tempus quoque ac locus egent obſerva-
tione propria. Nam et tempus tum lætum, tum triſte,
tum liberum, tum anguſtum eſt, atque ad hæc omnia
47 componendus orator: et loco publico, privatone[b]; cele-
bri, an ſecreto; aliena civitate, an tua; in caſtris deni-
que[c], an foro dicas, intereſt plurimum, ac ſuam quidque[d]
formam, et proprium quemdam[e] modum eloquentiæ poſ-

[p] multarum Jenſ. [q] obverſ. G. [r] quiſquis G. [s] inſidioſus G.
[t] jucunditas G. [u] ulctum G. [x] magiſtrum Jenſ. [y] tantum *id.*
[z] *om. id.* [a] judicibuſque *id.* [b] privatoque G. [c] quoque *id.*
[d] quicunque Jenſ. [e] *om. id.*

42. *initio dixi*] Nempe hujus argumenti, de eo quod decet ſ. 14.

43. *tamen liberum*] Non diſplicet Jenſoniana lectio *tantum liberum*, h. e. in quo nihil aliud ſit, cujus rationem habere orator debeat, quam libertas.

44. *Ciceronis confeſſione*] Ex Divin. in Cæc. c. 13, ubi tamen pro *corpore ipſo*, *toto* legitur.

46. *Nam et tempus*] Interpunxi, ut ἀλληλουχία et continuatio utriuſque *et* melius appareat. Vid. ad 9, 4, 72.

cit: cum etiam in ceteris actibus vitæ non idem in foro,
curia, campo, theatro, domi [f], facere conveniat; et ple-
raque, quæ natura non sunt reprehendenda, atque ideo [g]
interim sunt necessaria, alibi quam mos permiserit [h], tur-
pia habeantur. Illud jam diximus, quanto plus nitoris et 48
cultus demonstrativæ materiæ, ut ad delectationem au-
dientium compositæ, quam, quæ sunt in actu et conten-
tione, suasoriæ judicialesque permittant. Hoc adhuc ad-
jiciendum, aliquas etiam, quæ sunt egregiæ dicendi virtu-
tes, quo minus deceant [i], effici conditione caussarum. An 49
quisquam tulerit reum in discrimine capitis, præcipue qui
apud victorem et principem pro se ipse dicat, frequenti
translatione, fictis ac repetitis ex vetustate verbis, compo-
sitione, quæ sit maxime a vulgari usu remota, decurrenti-
bus periodis, quam lætissimis locis [k] sententiisque dicen-
tem? Non perdant hæc omnia necessarium periclitanti [l]
solicitudinis colorem, petendumque etiam innocentibus
misericordiæ auxilium? Commoveaturne quisquam ejus 50
fortuna, quem tumidum, ac sui jactantem, et ambitiosum
institorem eloquentiæ in ancipiti sorte videat? Non: immo
oderit reum verba aucupantem, et anxium de fama inge-
nii, et cui esse diserto [m] vacet. Quod mire M. Cælius in 51
defensione [n] caussæ, qua [o] reus de vi fuit, comprehendisse
mihi videtur, *Ne cui vestrum, atque etiam omnium, qui ad
rem agendam adsunt, mens aut vultus molestior, aut vox im-
moderatior aliqua, aut denique, quod nimium est, jactantior* [p]
gestus fuisse videatur. Atqui sunt quædam actiones in sa- 52
tisfactione, deprecatione, confessione positæ: sententiolis-
ne flendum erit? Epiphonemata aut enthymemata exora-
bunt? Non quidquid meris adjicietur affectibus, omnes
eorum diluet vires, et miserationem securitate laxabit?
Age, si de morte filii sui, vel injuria, quæ morte sit gra- 53
vior, dicendum patri fuerit, aut in narrando gratiam il-

[f] *om.* G. [g] *Vid. leg.* adeo. [h] permiserat G. [i] deceat G. [k] *Sic* G. Jens. jocis *al.* [l] periculi tanti Jens. [m] disertum G. [n] defensionem *id.* [o] quam Jens. [p] jactatior G. *et al. ap. Burm.*

48. *Illud jam diximus*] Supra 8, 3, 11.

53. *injuria, quæ morte sit gravior*] Σεμνολογία verecundi Fabii nostri. Passim *injuria*, ut *contumelia*, ut Gr. ὕβρις, de stupro et mala libidine adhibetur. Vid. mox s. 84. Laudavit hic Burmannus Heraldum animad. in Salmas. 5, 18, 15, et plura ipse dedit ad Petron. c. 25. Ita ὑβριστὴς est Ixion apud Lucian. Dial. Deor. 6, pr. De raptore noster Decl. 349, *Puellam usque in eam injuriam traxisti, qua nihil gravius bella habent.*

lam expoſitionis, quæ continget ex ſermone puro atque
dilucido, quæret, breviter ac ſignificanter, ordinem rei
protuliſſe [q] contentus, aut argumenta diducet [r] in digitos;
et propoſitionum ac partitionum captabit leporem, et, ut
plerumque in hoc genere moris eſt, intentione omni re-
54 miſſa loquetur [s]? Quo fugerit interim dolor ille? ubi la-
crimæ ſubſtiterint? unde ſe in medium tam ſecura obſer-
vatio artium miſerit? Non ab exordio uſque ad ultimam
vocem continuus quidam gemitus, et idem triſtitiæ vultus
ſervabitur, ſi quidem volet dolorem ſuum etiam in au-
dientes transfundere? quem ſi uſquam remiſerit, in ani-
55 mum judicantium non reducet. Quod præcipue decla-
mantibus (neque enim me pœnitet ad hoc quoque opus
meum, et curam ſuſceptorum ſemel adoleſcentium reſpi-
cere) cuſtodiendum eſt, quo plures in ſchola finguntur af-
56 fectus, quos, non ut advocati, ſed ut paſſi, ſubimus. Cum
etiam hoc genus ſimulari [t] litium [u] ſoleat, cum jus mortis
a ſenatu quidam vel ob aliquam magnam infelicitatem,
vel etiam pœnitentiam petunt, in quibus non ſolum can-
tare, quod vitium pervaſit, aut laſcivire, ſed ne argumen-
tari quidem niſi mixtis, et quidem ita, ut in ipſa proba-
tione magis emineant, affectibus decet. Nam qui inter-
mittere in agendo dolorem poteſt, videtur poſſe etiam de-
57 ponere. Neſcio tamen an hujus (de quo loquimur) de-
coris cuſtodia maxime circa eos, contra quos dicimus,
examinanda ſit. Nam ſine dubio in omnibus ſtatim ac-
cuſationibus hoc agendum eſt [x], ne ad eas libenter deſcen-
diſſe videamur. Ideoque mihi illud Caſſii Severi non me-
diocriter diſplicet, *Dii boni, vivo: et, quo me vivere juvet,*

[q] pertuliſſe G. Jenſ. [r] deducet G. [s] loquatur Jenſ. [t] ſimulacri *id. male.* [u] litigium G. [x] ut *inſ.* G.

55. *ut paſſi, ſubimus*] Primo *paſſi* ex Græcorum uſu poſitum arbitror, παθόντες, quod non modo ad injuriam ab alio illatam, ſed ad ipſam animi affectionem pertinet: deinde *ſubimus* et ipſum ex Græco ὑποδῦναι ductum, *ſubimus affectus*, h. e. tanquam perſonam induimus.

56. *jus mortis*] De hoc jam dictum aliquid 7, 4, 39. Tractatur eadem ſpecies a Fabio ipſo Decl. 4 et 337. Similis autem Decl. 11.

56. *cantare*] Ut compoſitionis et numerorum nimium ſtudium *ſaltationis* nomine reprehenditur 9, 4, 142, ſic *cantare* dicuntur, qui in illo moderato potius quam modulato flexu pronuntiandi modum excedunt. Vid. 11, 3, 57; et add. Plin. epiſt. 2, 14, 13. Quin Cic. Orat. 18, *Eſt in dicendo etiam quidam cantus obſcurior, non hic e Phrygia et Caria rhetorum epilogus, pene canticum* &c. E Græcis pluſcula dabit Creſollius Vacatt. Autum. 3, 7, p. 484. ſq.

57. *Caſſii Severi*] Vid. ad 10, 1, 22.

Aſprenatem reum video. Non enim juſta ex cauſſa vel ne-
ceſſaria videri poteſt poſtulaſſe eum, ſed quadam accuſandi
voluptate. Prætér hoc tamen, quod eſt commune, pro- 58
priam moderationem quædam cauſſæ deſiderant. Qua-
propter et qui curationem bonorum patris poſtulabit, do-
leat ejus valetudine: et quamlibet gravia filio pater ob-
jecturus, miſerrimam ſibi oſtendat eſſe hanc ipſam neceſſi-
tatem: nec hoc paucis modo verbis, ſed toto colore ac-
tionis, ut id eum non dicere modo, ſed etiam vere dicere
appareat. Nec cauſſanti pupillo ſic tutor iraſcatur um- 59
quam, ut non remaneant amoris veſtigia, et ſacra quædam
patris ejus memoria. Jam quo modo contra abdicantem
patrem, querentem uxorem, agi cauſſam oporteret, in li-
bro, ut arbitror, ſeptimo dixi. Quando etiam ipſos [z] lo-
qui, quando advocati voce uti deceret, quartus liber, in
quo procemii præcepta ſunt, continet. Eſſe et in verbis 60
quod deceat, aut turpe ſit, nemini dubium eſt. Unum
jam igitur huic loco, quod eſt ſummæ difficultatis, adji-
ciendum videtur, quibus modis ea, quæ ſunt natura pa-
rum ſpecioſa, quæque non dicere, ſi utrumlibet eſſet li-
berum, maluiſſemus, non tamen ſint indecora dicentibus.
Quid aſperiorem habere frontem poteſt, aut quid aures 61
hominum magis reſpuunt, quam cum eſt filio filiive [a] ad-
vocatis in matrem perorandum? Aliquando tamen neceſſe
eſt, ut in cauſſa Cluentii Habiti: ſed non ſemper illa via,
qua contra Saſſiam Cicero uſus eſt: non quia non ille op-
time, ſed quia plurimum refert, qua in re et quo modo
lædat. Itaque illa, cum filii caput palam impugnaret, 62
fortiter fuit repellenda. Duo tamen, quæ ſola ſupererant,
divine Cicero ſervavit. Primum, ne obliviſceretur reve-
rentiæ, quæ parentibus debetur: deinde ut, repetitis al-

[z] ipſos loqui quando *om.* G.

[a] *Sic* G. *et Obr.* filiiſve *al.*

58. *curationem bonorum*] Hæc eſt in declamatoria ſchola *actio dementiæ*: vid. 7, 4, 11, et de hac decori obſervatione 7, 4, 29. De ipſa ratione illius actionis agitur ſermone Declam. 349.

59. *cauſſanti pupillo*] Δικαζομένῳ, ad cujus verbi formam fictum ſimilique quaſi moneta percuſſum puto Latinum: ut enim ſe habet δίκη ad δικάζεσθαι ita *cauſſa* ad *cauſſari*. At ſignificatio non convenit? Hic quidem egregie convenit, nec minus in loco ex Afranii Emancipato, quem laudat Nonius cap. 2, §. 157, *Vide ut facunde contra cauſſeris patrem*: quem ſolum laudamus, quia eadem tractatur hic ſpecies, ut ad illum reſpexiſſe videri queat Fabius. Accii et Pacuvii teſtimonia non minus luculenta ex eodem Nonio damus ad Theſaurum L. L. in quo ordinando poliendoque cum maxime elaboramus.

59. *in libro ſeptimo*] c. 4, 24. ſq. *quartus liber*, c. 1, 46. ſq.

tius[b] caussis, diligentissime ostenderet, quam id, quod erat in matrem dicturus, non oporteret modo fieri, sed
63 etiam necesse esset. Primaque hæc expositio fuit, quamquam ad præsentem quæstionem nihil pertinebat: adeo[c] in caussa difficili atque perplexa nihil prius intuendum credidit, quam quid deceret. Fecit itaque nomen paren-
64 tis non filio invidiosum, sed ipsi, in quam dicebatur. Potest tamen aliquando mater et in re leviore aut minus infesta contra filium stare: tum lenior atque submissior decebit oratio. Nam et satisfaciendo, aut nostram minuemus invidiam, aut etiam in diversum eam transferemus[d]: et si graviter dolere filium palam fuerit, credetur abesse
65 ab eo culpa[e], fietque ultro miserabilis. Avertere quoque in alios crimen decet, ut fraude aliquorum concita credatur: et omnia nos passuros, nihil aspere dicturos, testandum: ut etiam si non possimus[f] non[g] conviciari, nolle videamur. Etiam, si quid objiciendum erit, officium est patroni, ut id filio invito, sed fide cogente, facere credatur. Ita poterit uterque laudari. Quod de matre dixi, de utroque parente accipiendum est. Nam inter patres etiam filiosque, cum intervenisset emancipatio, litigatum
66 scio. In aliis quoque propinquitatibus[h] custodiendum est[i], ut inviti, et necessario, et parce judicemur dixisse: magis autem aut minus, ut cuique personæ debetur reverentia. Eadem pro libertis adversus patronos observantia. Et ut semel plura complectar, numquam decebit sic adversus tales agere personas[l], quo modo contra nos agi ab hominibus conditionis ejusdem iniquo animo tulissemus.
67 Præstatur hoc aliquando etiam dignitatibus[m], ut libertatis nostræ ratio reddatur, ne quis nos aut petulantes in lædendis his, aut etiam ambitiosos putet. Itaque Cicero, quamquam erat in Cottam gravissime dicturus, neque aliter agi P. Oppii caussa poterat, longa tamen præfatione
68 excusavit officii sui necessitatem. Aliquando etiam inferioribus, præcipueque[n] adolescentulis, parcere aut mede-

[b] alterius G. [c] eadem G. [d] transferimus G. [e] culpam Jens. [f] possumus Jens. [g] *om.* G. Jens. [h] propinquantibus G. [i] sit Jens. [l] *om.* G. [m] dignationibus Jens. *et al. quod non displicet Burmanno.* [n] præc. ad. *om.* G.

65. *cum intervenisset emancipatio*] Quî enim alias litigaret cum patre filius, qui in ipsius potestate est? Huc pertinet Afranianæ fabulæ titulus, quem modo laudavimus ex Non. 2, 157. Nam *Emancipato* demum licet *caussari adversus patrem.*

ri [o] decet. Utitur hac moderatione Cicero pro Cælio
contra Atratinum, ut eum non inimice corripere, ſed pene
patrie monere videatur. Nam et juvenis, et nobilis: et
non injuſto dolore venerat ad accuſandum. Sed in iis
quidem, in quibus vel judici, vel etiam aſſiſtentibus ratio [p]
noſtræ moderationis probari debet, minor eſt labor: illic
plus difficultatis, ubi ipſos, contra quos dicimus, veremur
offendere. Duæ ſimul hujuſmodi perſonæ Ciceroni pro 69
Muræna dicenti obſtiterunt, M. Catonis, Serviique Sul-
picii: quam decenter tamen Sulpicio, cum omnes con-
ceſſiſſet virtutes, ſcientiam petendi conſulatus ademit?
Quid enim aliud eſſet, quo ſe victum homo nobilis et ju-
ris antiſtes magis ferret? Ut vero rationem defenſionis
ſuæ reddidit, cum ſe ſtuduiſſe petitioni Sulpicii contra ho-
norem Murænæ, non idem debere accuſationi contra ca-
put, diceret? Quam molli autem articulo tractavit Cato- 70
nem? cujus naturam ſumme admiratus, non ipſius vitio,
ſed Stoicæ ſectæ, quibuſdam in rebus factam duriorem
videri volebat: ut inter eos non forenſem contentionem,
ſed ſtudioſam diſputationem crederes incidiſſe. Hæc eſt 71
profecto ratio, et certiſſimum præceptorum genus, illius
viri obſervatio, ut, cum aliquid detrahere ſalva gratia ve-
lis, concedas alia omnia: in hoc ſolo vel minus peritum,
quam in ceteris, adjecta, ſi poterit [q] fieri, etiam cauſſa, cur
ita [r] ſit, vel paullo pertinaciorem, vel credulum, vel ira-
tum, vel impulſum ab aliis. Hoc illis commune reme- 72
dium eſt, ſi [s] in tota actione æqualiter appareat non honor
modo, ſed etiam caritas: præterea cauſſa ſit [t] nobis juſta
ſic dicendi: neque id moderate tantum faciamus, ſed 73
etiam neceſſario. Diverſum ab hoc, ſed facilius, cum ho-
minum aut alioqui turpium, aut nobis inviſorum quædam
facta laudanda ſunt. Decet enim rem ipſam probare in
qualicumque perſona. Dixit Cicero pro Gabinio et P.
Vatinio, inimiciſſimis antea ſibi hominibus, et in quos

[o] videri G. *it. Voſſ. ap. Burm.* [p] oratio Jenſ. [q] potuerit G. Jenſ.
[r] dicta Jenſ. [s] niſi G. Jenſ. [t] ſi nobis juſta ſit dicenda Jenſ. *Vid. not.*

68. *Cicero pro Cælio*] In ipſo exordio aliquoties.

70. *tractavit Catonem*] Locus eſt divinus in Orat. pro Muræna c. 29. ſq.

72. *Hoc illis commune*] Si referri aliquorſum debet *illis*; non invenio, quo melius conveniat, quam ad ſ. 68. *Illis* cauſſis, ſpeciebus, ubi adverſarium nolumus lædere &c.

72. *cauſſa ſit nobis*] Placet antiqua lectio, ſi non tota, ea certe tenus, ut legamus, *Cauſſa ſi nobis juſta ſit dicendi.*

orationes etiam ſcripſerat: verum cauſſa[u] juſta ſit fatendo,
74 non ſe de ingenii fama, ſed de fide eſſe ſolicitum. Difficilior
ei ratio in judicio Cluentiano fuit, cum Scamandrum neceſſe
haberet dicere nocentem, cujus egerat cauſſam. Verum
illud elegantiſſime, cum eorum, a quibus ipſe productus[x]
eſſet, precibus, tum etiam adoleſcentia[z] ſua excuſat:
detracturus alioqui plus auctoritatis, ſi, in cauſſa
præſertim ſuſpecta[a], ſe[b] eum eſſe, qui temere nocentes
75 reos ſuſciperet, fateretur. Apud judicem vero quod aut[c]
propter alienum commodum in cauſſa, quam ſuſceperimus,
aut ſuum[d], ut perſuadendi ardua ratio[e], ita dicendi
expeditiſſima. Fiducia enim juſtitiæ ejus[f], non cauſſæ,
nihil nos timere ſimulabimus[ff]. Ipſe erit gloria inflandus,
ut tanto clarior futura ſit fides ac religio in pronuntiando,
76 quanto minus vel offenſæ vel utilitati ſuæ indulſerit. Hoc
modo[g] et apud eos, a quibus appellatum erit, ſi forte ad
eoſdem remittentur[h]: adjicienda ratio vel neceſſitatis alicujus,
ſi id cauſſæ cedit, vel erroris, vel ſuſpicionis. Tutiſſimum
ergo pœnitentiæ confeſſio, et ſatisfactio culpæ:
77 perducenduſque omni modo[i] judex ad iræ pudorem. Accidit
etiam nonnumquam, ut[k] eamdem[l] cauſſam, de qua
pronuntiavit, cognoſcat[m] iterum: tum illud quidem commune,
apud alium nos judicem diſputaturos de illius ſententia
non fuiſſe: neque enim emendari ab alio, quam

[u] et juſta ſic faciendo G. Jenſ. [x] perductus *iid.* [z] adoleſcentiam ſuam Jenſ. [a] ſuſcepta G. [b] ſi Jenſ. [c] autem propter aliquod Jenſ. *et Aſc.* 1519. *marg.* quum aut proponitur alienum *Vaſcoſ.* 1542. f. aliquod *pro* alienum *etiam* G. 2. *Kapp. et plures ap. Burm.* Propter aliquod com. eorum, quorum cauſſam ſuſceperimus *conj. Regii, recepta ab Aldo.* quamquam aut proponitur alienum *conj. Franc. Vid. not.* [d] ſunt G. Jenſ. G. 2. Kapp. [e] oratio Jenſ. [f] et non eſt me nichil G. 2. [ff] ſimulamus *id.* [g] *om.* G. Jenſ. [h] *Vid. leg.* remittemur. *Et ſic jam dedit Vaſcoſan.* [i] omnino jud. Jenſ. *ex* omnimo *i. e.* modo. [k] *om.* G. Jenſ. [l] eadem cauſſa *iid.* [m] cogatque *iid.*

74. *elegantiſſime—excuſat*] Pro Cluent. c. 17. ſq.

75. *Apud judicem vero*] Loco varie tentato medicina ſic fieri poſſe videbatur, ſi ponamus, tranſpoſitione (cujus ſexcenta ſunt exempla in his libris) primo turbatum ordinem, deinde *alienum* ſemel tantum poſitum, cum bis deberet, hoc modo: *Apud judicem vero alienum, aut propter quod* (h. e. aliquod) *alienum commodum in cauſſa, q. ſ. aut ſuum* &c. Duæ cauſæ ponuntur, quæ alienum reddiderint judicem, *commodum alienum*, quod is tamen ad ſe referat, *commodum ſuum*, cui ſcilicet utrique adverſetur cauſa, quam ſuſceperimus. Illud commodum porro latiſſime patet, poteſt eſſe vindictæ exercendæ occaſio, poteſt bonum aliquod eſſe propoſitum: in illa *offenſæ*, in hoc *utilitati* ne *indulgeat*, metuendum.

ab [n] ipſo, fas eſſe: ceterum ex cauſſa, ut quæque permit-
tet, aut ignorata quædam, aut defuiſſe teſtes, aut (quod
timidiſſime, et ſi nihil aliud plane fuerit, dicendum eſt)
patronos non ſatisfeciſſe [o], ſuccurret [p]. Etiam ſi apud 78
alios judices agetur, ut in ſecunda aſſertione, aut in cen-
tumviralibus judiciis, duplicibus, parte victa, decentius
erit, quoties contigerit [q], ſervare judicum pudorem: de
qua re latius in [r] probationum loco dictum eſt. Poteſt
evenire, ut in aliis reprehendenda ſint, quæ ipſi feceri-
mus: ut objicit Tubero Ligario, *quod in Africa fuerit.*
Et ambitus [s] quidam [t] damnati, recuperandæ dignitatis [u] 79
gratia reos ejuſdem criminis detulerunt, ut in ſcholis
luxuriantem patrem luxurioſus ipſe juvenis accuſat. Id
quam decenter fieri poſſit, equidem non invenio, niſi ali-
quid [x] reperiatur, quod interſit, *perſona, ætas, tempus,
cauſſa, locus, animus.* Tubero juvenem ſe patri hæſiſſe, 80
illum a ſenatu miſſum non ad bellum, ſed ad frumentum
coemendum ait, ut primum licuerit, a partibus receſſiſſe:
Ligarium et perſeveraſſe, et non pro Cn. Pompeio, inter
quem et Cæſarem dignitatis fuerit contentio, cum ſalvam
uterque [z] rempublicam vellet, ſed pro Juba atque Afris
inimiciſſimis populo Romano ſtetiſſe. Ceterum vel fa- 81
cillimum eſt, ibi alienam culpam accuſare [a], ubi fateris
tuam. Verum id jam judicis eſt, non actoris. Quod ſi
nulla contingit excuſatio, ſola colorem habet pœnitentia.
Poteſt enim videri ſatis emendatus, qui in odium eorum,
in quibus erraverat, ipſe converſus eſt. Sunt enim qui- 82
dam, qui hoc natura ipſa rei non indecens faciunt: ut
cum pater ex [b] meretrice natum, quod amet meretricem
in matrimonium, abdicat. Scholaſtica materia, ſed non,
quæ non poſſit accidere. Hic igitur multa non deformi-
ter dicet: vel quod omnium ſit votum parentum, ut ho-
neſtiores, quam ſint ipſi, liberos habeant, (nam et [c] filia
nata, meretrix eam mater pudicam eſſe voluiſſet) vel
quod [d] humilior ipſe fuerit, (licet enim hoc dicere) vel
quod non habuerit patrem, qui moneret: quin eo minus 83

[n] *om. iid.* [o] ſuffeciſſe G. *recte, puto.* [p] ſuccurreret Kapp. [q] contingit Kapp. [r] *om.* G. Jenſ. [s] abitus Jenſ. [t] qui G. Jenſ. [u] libertatis G. [x] aliud reperietur Jenſ. reperitur G. [z] utrique Jenſ. [a] recuſare *id.* incuſare *Alm.* [b] ex mer. na. *om.* G. natum quod amet ex mer. in matrim. Jenſ. [c] etſi G. [d] qui hum. ipſa Jenſ.

78. *in probationum loco*] Supra 5, 2, 1.

81. *Verum id—actoris*] Nondum intelligebam, cum iſta ſciberem, quid ſibi hæc verba hoc in loco velint.

faciendum filio fuiſſe, ne renovaret domus pudorem, et
exprobraret patri nuptias; matri prioris vitæ neceſſita-
tem: ne denique legem quamdam ſuis quoque ſubinde
liberis daret: et credibilis erit etiam propria quædam in
illa meretrice turpitudo, quam nunc hic pater ferre non
poſſit. Alia prætereo [e]. Neque enim nunc declamamus,
ſed oſtendimus, nonnumquam poſſe ipſis incommodis di-
84 centem bene uti. Illic major æſtus, ubi quis pudenda
queritur, ut ſtuprum, præcipue [f] in maribus: aut [g] os pro-
fanatum. Non dico, ſi loquatur ipſe, (nam quid aliud ei,
quam gemitus ac fletus, et [h] exſecratio vitæ conveniat [i]?
ut judex intelligat potius dolorem illum, quam audiat)
ſed patrono quoque per ſimiles affectus eundum erit, quia
hoc injuriæ [l] genus [m] verecundius ineſt paſſis, quam auſis.
85 Mollienda eſt in pleriſque alio colore aſperitas orationis,
ut Cicero de proſcriptorum liberis fecit. Quid enim cru-
delius, *quam homines, honeſtis parentibus ac majoribus natos,
a republica ſubmoveri?* Itaque durum id eſſe ſummus ille
tractandorum animorum artifex confitetur: ſed ita legi-
bus Sullæ cohærere [n] ſtatum civitatis affirmat, ut his ſolu-
tis ſtare ipſa non poſſit. Aſſecutus [o] itaque eſt, ut aliquid
eorum quoque cauſſa videretur facere, contra quos diceret.
86 Illud etiam in jocis [p] monui, quam turpis eſſet fortunæ
inſectatio: et ne in totos ordines, aut gentes, aut popu-
los, petulantia incurreret. Sed interim fides patrocinii
cogit quædam de univerſo genere aliquorum hominum
dicere, ut libertinorum, vel militum, vel publicanorum,
87 vel ſimiliter aliorum: in quibus omnibus commune reme-

[e] præterea G. Jenſ. [f] proprie G. [g] honos profanatus Jenſ. [h] *om.* G. Jenſ. [i] conveniant Jenſ. [l] *om.* G. [m] hoc verecundiæ genus eſt G. *Vid. not.* [n] coercere G. Jenſ. [o] Secutus *iid.* [p] locis *iid.*

84. *injuriæ genus*] Vid. ſupra ſ. 53. Cæterum puto veram lectionem, non tamen ſine tranſpoſitione, ſervatam Gothæ, et ſic legendum eſſe hunc locum, *Quia hoc genus* (*injuriæ* intelligi poteſt, aut *pudendorum*) *verecundiæ eſt paſſis* (magis) *quam auſis*. Ellipſis quam notamus particulæ *magis*, illa ætate ſolennis, (Taciti pluſcula dedit Perizon. ad Sanct. Minerv. 4, 7, 4. p. 693.) occaſionem interpolandi dedit librariis. Neſcio an dixerit, dicere bonis auctoribus potuerit, Fabius, *Hoc injuriæ genus verecundius ineſt paſſis, quam auſis*, h. e. magis pudet injuriæ paſſos, quam auſos.

85. *Cicero de proſcriptorum liberis*] Etiam hoc argumento ſummam Tullii eloquentiam commendat major Plin. 7, 30, *Te orante, proſcriptorum liberos honores petere puduit*. Add. Plut. in vita Cic. p. 1587. H. Steph.

86. *in jocis monui*] Supra 6, 3, 28. *In calamitatem* uti ridiculo vetat etiam Cic. Orat. c. 26.

dium eſt, ut ea, quæ lædunt, non libenter tractare videa-
ris; nec in omnia impetum facias, ſed in id, quod ex-
pugnandum eſt; et reprehendens, alia laude compenſes.
Si milites[q] cupidos dicas eſſe, non mirum, quod pericu- 88
lorum ac ſanguinis majora ſibi deberi præmia putent: eoſ-
dem petulantes, et hoc fieri, quod bellis magis, quam paci,
aſſueverint[r]. Libertinis detrahenda eſt auctoritas: licet
his teſtimonium reddere induſtriæ, per quam exierint de
ſervitute. Quod ad nationes exteras pertinet, Cicero va- 89
rie detracturus Græcis teſtibus fidem, doctrinam his con-
cedit ac literas: ſeque ejus gentis amatorem eſſe profi-
tetur: *Sardos* contemnit, *Allobrogas* ut hoſtes inſectatur:
quorum nihil tunc, cum diceretur, parum aptum, aut re-
motum a[s] cura decoris fuit. Verborum etiam modera- 90
tione detrahi ſolet, ſi qua eſt rei invidia, ſi *aſperum* dicas
nimium ſeverum, *injuſtum perſuaſione labi*, *pertinacem* ultra
modum *tenacem eſſe propoſiti*: plerumque velut ipſos[t] co-
neris ratione vincere, quod eſt molliſſimum. Indecorum 91
eſt ſuper hæc omne nimium: ideoque etiam quod natura
rei ſatis aptum eſt, niſi modo quoque temperetur, gratiam
perdit. Cujus rei obſervatio judicio magis quodam ſentiri[u],
quam præceptis tradi poteſt, *Quantum ſatis ſit, et quantum
recipiant aures*. Non habet hæc res menſuram et quaſi pon-
dus, quia, UT[x] in cibis, alia aliis magis complent. Adji- 92
ciendum etiam breviter videtur, quod fere dicendi virtu-
tes diverſiſſimæ non ſolum ſuos amatores habeant, ſed ab
eiſdem ſæpe laudentur. Nam Cicero quodam loco ſcri-
bit, *id eſſe optimum, quod cum*[z] *te facile credideris conſequi*

[q] *om. iid.* [r] adſueverunt G. [s] *om.* G. Jenſ. [t] ipſe G. [u] ſer-
vari ſentireque G. [x] *om.* G. Jenſ. [z] *om.* G. non Jenſ.

89. *Græcis teſtibus*] In oratione pro Flacco c. 26. ſq. *Sardos contemnit* in fragm. Or. pro M. Scauro; *Contendes et poſtulabis, ut M. Æmilius cum ſua dignitate omni— ſordidiſſimæ, leviſſimæ, vaniſſimæ genti, ac prope dicam pellitis teſtibus condonetur*. De *Sardis* vero ſermonem eſſe, argumentum Aſconii ſatis declarat. *Allobrogum* teſtimoniis credere vetat judices pro M. Fonteio c. 8. ſq.

92. *id eſſe optimum*] In Orat. 23, ubi de Attico oratore, *Submiſſus eſt et humilis, conſuetudinem imitans, ab indiſertis re plus quam opinione differens. Itaque eum qui audiunt, quamvis ipſi infantes ſint, tamen illo modo confidunt ſe poſſe dicere. Nam orationis ſubtilitas imitabilis illa quidem videtur eſſe exiſtimanti, ſed nihil eſt experienti minus.* Hæc igitur non de omni eloquentia, ſed de Attico dicendi genere. *Amplo, copioſo, gravi, ornato* oratori ibid. c. 28, tribuit *eloquentiam, quæ curſu magno ſonituque ferretur, quam ſuſpicerent omnes, quam admirarentur, quam ſe aſſequi poſſe diffiderent.* Cæterum

imitatione, non possis [a]. Alio vero; *non se* [b] *id egisse, ut ita* [c] *diceret, quo modo se quilibet posse confideret, sed quo modo*
93 *nemo*. Quod potest pugnare inter se videri. Verum utrumque, ac merito, laudatur. Caussa enim modoque [d] distat [e]: quia simplicitas illa, et velut securitas inaffectatæ orationis, mire tenues caussas decet: majoribus illud admirabile dicendi genus magis convenit. In utroque eminet [f] Cicero, ex quibus alterum imperiti se posse consequi credent; neutrum, qui intelligunt.

II. *Memoriam* quidam naturæ modo esse munus existimaverunt, estque in ea non dubie plurimum; sed ipsa excolendo, sicut alia omnia, augetur: et totus, de quo diximus adhuc, inanis est [g] labor, nisi ceteræ partes hoc velut spiritu continentur [h]. Nam et omnis disciplina memoria constat, frustraque docemur, si, quidquid audimus, præterfluat: et exemplorum, legum [i], responsorum, dictorum, beneque factorum [l] velut quasdam copias, quibus abundare, quasque in promtu semper habere debet [m] orator, eadem [n] illa vis repræsentat [o]. Neque immerito *thesaurus*
2 hic *eloquentiæ* dicitur. Sed non firme tantum continere, verum etiam cito percipere multa acturos oportet, nec quæ scripseris modo iterata lectione complecti, sed in cogitatis quoque rerum ac verborum contextum sequi: et, quæ sint [p] ab adversa parte dicta, meminisse: nec utique eo [q] quo [r] dicta sunt, ordine refutare, sed opportunis locis
3 ponere. Quid? extemporalis oratio non [s] alio mihi videtur mentis vigore constare. Nam dum alia dicimus, quæ dicturi sumus, intuenda sunt: ita cum semper cogitatio ultra id, quod est, longius quærit: quidquid interim reperit, quodammodo apud memoriam deponit: quod illa, quasi media quædam manus, acceptum ab inventione [t]
4 tradit elocutioni. Non arbitror autem mihi in hoc immorandum, quid [u] sit, quod memoriam [x] faciat: quam-

[a] posset Jens. [b] *om.* G. Jens. [c] se *inf.* Jens. [d] modo G. Jens. [e] discat G. [f] et *inf.* G. [g] *om.* G. Jens. [h] contineantur Jens. [i] legem G. Jens. [l] quæ *inf.* *iid.* *Quid si fuit* dictorum bene factorumque? [m] *om.* G. [n] eademque G. [o] præsentat G. Jens. [p] sunt Jens. [q] ea G. Jens. [r] quæ G. [s] nec G. Jens. [t] intentione *iid.* [u] quidquid mem. *iid.* [x] memoria Jens.

de se in Bruto c. 93, *Propter exquisitius*, inquit, *et minime vulgare orationis genus, animos hominum ad me dicendi novitate converteram.* Ipsa verba, quæ laudat Fabius, nondum inveniebam. Cæterum de varietate sentiendi in talibus ipse sub finem Oratoris, *Potest enim non solum aliud mihi, aliud tibi, sed mihi ipsi aliud alias videri.*

II, 3. *dum alia dicimus*] Conf. 10, 7, 10.

quam plerique imprimi quædam veſtigia noſtro animo, quæ[y] velut in ceris[z] annulorum ſigna ſerventur, exiſtimant. Neque ero tam credulus, ut quaſi[a] habitu tardiorem firmioremque memoriam fieri putem. Ejus autem, 5
quod ad animum pertinet, magis admirer[b] naturam, ſubito res vetuſtas, tanto ex intervallo repetitas, reddere ſe et offerre: nec tantum requirentibus[c], ſed etiam ſponte interim: nec vigilantibus, ſed etiam quiete compoſitis[d]
magis. Eoque illa quoque animalia, quæ carere intel- 6
lectu videmus, meminerunt, et agnoſcunt, et, quamlibet longo itinere diducta, ad aſſuetas ſibi ſedes revertuntur. Quid? non hæc varietas mira eſt, excidere proxima, vetera inhærere? heſternorum immemores, acta pueritiæ
recordari? Quid? quod quædam requiſita ſe occultant, et 7
eadem forte ſuccurrunt? nec manet ſemper memoria, ſed aliquando etiam redit? Neſciretur tamen, quanta vis eſſet

[y] *om. id.* [z] figuris G. gyris Jenſ. [a] Quodam *ante* quaſi *inſ. conj. Aſc.* Ut quemadmodum habitu tard. fir. mem. fieri, ejus putem cauſſam quoque ad artificium pertinere. magis admirari naturam ſubit, tot res *Obr.* ut quaſi habitum *conj. Burm.* [b] admirere G. Jenſ. [c] inquir. G. [d] compoſiti *id.*

4. *in ceris annulorum*] Plato Theæt. p. 135. C. Θὲς ἐν ταῖς ψυχαῖς ἡμῶν ἓν κήρινον ἐκμαγεῖον—καὶ ἐς τοῦτο—ἀποτυποῦσθαι ὥσπερ δακτυλίων σημεῖα κ. τ. λ. Add. Phileb. p. 83, ubi libro comparat.

4. *ut quaſi habitu*] Si legas *corporis habitu*, ſententia facilis eſt, quæ his nimirum contradicat, ſi qui medicamentis parari poſſe memoriam putent. Qui notas illas et compendia cogitarit, quibus vocem utramque exprimere ſolebant librarii, *cris* et *qus*; illud præſertim, *r* ita ad perpendiculum protractam, ut cum præcedente *c* coalita pro *q* haberi poſſet; ille modeſtiam certe conjecturæ noſtræ agnoſcet. Platonicus Socrates illam ceræ ſimilitudinem l. c. ita extendit, ut in ſuſpicionem venire poſſit, a *corporis habitu* ſuſpendere memoriam: nec aliter poſſunt qui vel ipſum animum noſtrum corporea concretione non liberant, vel temperamentorum illum ternarium an quaternionem? a ſanguinis h. e. *corporis habitu*, a temperamento vero ut judicium, et ingenium, ſic memoriam quoque derivant; vel denique medicamentis juvare augereque memoriam pollicentur. Quæ tentarint hic viri docti, oſtenſum ſupra. Si ex libris ſit Obrechtiana lectio, quantivis eam pretii eſſe, non eam infitias; ſin ex conjectura, plus ſibi ſumſit vir magnus, quam puſilli forte animi homo ego auſim vel ſumere mihi, vel ſumtum ab alio defendere.

7. *requiſita ſe occultant*] Elegantiſſime illam memoriæ naturam, illas ejus facultatis *delicias* (ſic enim appellat, quam aliquis Gallico nomine *capriciam* diceret) deſcribit Rhetor Seneca in proœmio Controv. v. g. *Non, dum quæro aliquid, invenio: ſed ſæpe, quod quærenti non comparuit, aliud agenti præſto eſt. Quædam vero, quæ obverſantia mihi, et jam ex aliqua parte ſe oſtendentia non poſſum occupare, eadem ſecuro et repoſito animo ſubito emergunt* &c.

ejus, quanta divinitas illa, niſi [e] hoc lumen orandi extu-
8 liſſet. Non enim rerum modo, ſed etiam verborum ordinem præſtat: nec ea pauca contexit, ſed durat prope in infinitum, et in longiſſimis actionibus prius audiendi pa-
9 tientia, quam memoriæ fides deficit. Quod et ipſum argumentum eſt, ſubeſſe artem aliquam, juvarique ratione naturam: cum iidem [f] docti facere illud, indocti et inexercitati non poſſimus [g]: quamquam invenio apud Platonem, obſtare memoriæ uſum literarum: videlicet quod illa, quæ ſcriptis repoſuimus, velut cuſtodire deſinimus, et
10 ipſa ſecuritate dimittimus. Nec dubium eſt, quin plurimum in hac parte valeat mentis intentio, et velut acies luminum a proſpectu rerum, quas [h] intuetur, non averſa. Unde accidit, ut, quæ per plures dies ſcribimus ediſcendi [i]
11 cauſſa, cogitatione ipſa contineat. Artem autem memoriæ primus oſtendiſſe dicitur Simonides: cujus vulgata fabula eſt: Cum pugili coronato carmen, quale componi victoribus ſolet, mercede pacta ſcripſiſſet, abnegata [l] ei pecuniæ pars eſt, quod more poetis frequentiſſimo digreſſus, in laudes Caſtoris et Pollucis exierat: quapropter partem ab iis petere, quorum facta celebraſſet, jubeba-
12 tur [m]: et perſolverunt, ut traditum eſt. Nam cum eſſet grande convivium in honorem ejuſdem victoriæ, atque

[e] in *inf.* G. Jenſ. [f] idem G. Jenſ. *et al. ap. Burm.* [g] poſſumus Jenſ. [h] quaſi intuemur G. [i] edicendi Jenſ. [l] abnegatam—partem, quod de more Jenſ. [m] videbatur G.

7. *niſi hoc lumen orandi extuliſſet*] Memoria igitur *extulit* et in alto quaſi faſtigio collocatum omnibus oſtendit *lumen orandi,* h. e. facultatem perſpicue et illuſtri cum dignitate dicendi. Si altera ſit verior lectio, ita interpreter. *Extulit* produxitque memoria vim ſuam ac divinitatem *in lumen orandi* i. e. in lucem illam fori, concionum, judiciorum, ubi luculenter cognita et admirationi expoſita eſt.

9. *cum iidem docti*] Si diverſorum hominum alii quidem, nempe docti, memoria valerent, alii, indocti, non item: eſſet excipiendi et argutandi locus, non quia docti ſint, illos valere memoria, ſed quod a natura habeant, eo tanquam arte parato gloriari, (vid. mox ſ. 23.) ſed cum *iidem* homines ante diſciplinam atque exercitationem non poſſint orationem, ut hoc utar, memoria complecti, poſſint poſt illam: hinc apertum eſt, artem eſſe aliquam, qua juvetur memoria.

9. *apud Platonem*] In Phædro p. 356, C. ubi Theuth ille de literis a ſe inventis gloriatus, *μνήμης τε ϗ σοφίας φάρμακον* eas appellat; ſed reſpondens ipſi Thamus negat vera illum prædicare, *Τȣ̃το γὰρ τῶν μαθόντων λήθην μὲν ἐν ψυχαῖς παρέξει, μνήμης ἀμελετησίᾳ, ἅτε διὰ πίστιν γραφῆς ἔξωθεν ὑπ' ἀλλοτρίων τύπων, ȣ̓κ ἔνδοθεν αὐτȣ̀ς ὑφ' αὑτῶν ἀναμιμνησκομένȣς κ. τ. λ.* Verbum *dimittimus* etiam de memoria uſurpavit Plinius epiſt. 9, 18, 2, *Ne memoriam cogam—poſterioribus priora dimittere.*

11. *Simonides*] Narrat Cic. de Orat. 2, 86. Phædr. 4, 24.

adhibitus ei cœnæ Simonides, nuntio eſt excitus, quod
cum [n] duo juvenes, equis advecti, deſiderare majorem in
modum dicebantur [o]. Et illos quidem non invenit, fuiſſe
tamen gratos erga ſe Deos [p] exitu comperit. Nam vix 13
eo limen egreſſo, triclinium illud ſupra convivas corruit,
atque ita contudit [q], ut non ora modo oppreſſorum, ſed
membra etiam omnia requirentes ad ſepulturam propin-
qui, nulla nota poſſent diſcernere. Tum Simonides dici-
tur memor ordine [r] quo quiſque diſcubuerat, corpora ſuis
reddidiſſe. Eſt autem magna inter auctores diſſenſio, 14
Glaucone Caryſtio, an Leocrati, an Agatharco, an Scopæ
ſcriptum ſit id carmen: et Pharſali fuerit hæc domus, ut
ipſe quodam loco ſignificare Simonides videtur, atque A-
pollodorus, et Eratoſthenes, et Euphorion, et Lariſſeus
Eurypilus tradiderunt; an Cranone, ut Apollas Callima-
chus, quem ſecutus Cicero hanc famam latius fudit. Sco- 15
pam nobilem Theſſalum periiſſe in eo convivio conſtat:
adjicitur ſororis filius: putant et ortos pleroſque ab illo
Scopa, qui major [s] ætate fuerit. Quamquam mihi totum 16
de Tyndaridis fabuloſum videtur: neque omnino hujus
rei meminit uſquam poeta ipſe, profecto non taciturus de
tanta ſua gloria. Ex hoc Simonidis [t] facto notatum [u] vi- 17
detur, juvari memoriam ſignatis animo ſedibus, idque cre-
dere ſuo quiſque experimento. Nam cum in loca aliqua
poſt tempus reverſi ſumus, non ipſa agnoſcimus tantum,
ſed etiam, quæ in his fecerimus, reminiſcimur, perſonæ-
que ſubeunt, nonnumquam tacitæ quoque cogitationes
in mentem revertuntur. Nata eſt igitur, ut in pleriſque,
ars ab experimento. Loca diſcunt [x] quam maxime ſpa- 18

[n] cum Jenſ. [o] *om.* G. [p] *om.* G. Jenſ. [q] confudit *iid.* [r] *Vid. leg.* ordinis: *et ſic Obr. Sed poteſt intelligi*, memor, quo ordine *&c.* [s] majore G. [t] Simonides f. notavit Jenſ. [u] notari G. [x] diſcuntur G.

14. *Eurypilus*] Supra 10, 6, 4, in eodem argumento *Erithylus* laudabatur, æque ignotus.

15. *ortos ab illo Scopa*] Laudavit de utroque Scopa Burmannus Menagium ad Laert. 2, 25, et Perizon. ad Ælian. 12, 1.

16. *neque meminit—ipſe*] Ponit itaque Fabius, exſtitiſſe ſua ætate Simonidis, quæ ſcripſit, omnia: quod neſcio an temere ſumere liceat, cum periiſſe ut alia viri carmina ſexcenta, ſic unum alterumque potuerit, in quo de hac re commemoravit. Scilicet puto non ad ſuam modo ætatem reſpexiſſe Quinctilianum, ſed hoc indicare, eorum quoque qui narrent iſtam fabulam, non eſſe, qui ad Simonidis ipſius teſtimonium provocet. Qua ſane ratione majorem vim argumentum hoc a ſilentio ductum accipit.

17. *idque credere*] Int. *videtur.* Quanquam non diffiteor, me utraque, aiunt, amplexurum, ſi in bono libro inveniatur *credet.*

tioſa, multa varietate ſignata, domum forte magnam, et in multos diductam receſſus. In ea quidquid notabile[z] eſt, animo diligenter affigitur, ut ſine cunctatione ac mora partes ejus omnes[a] cogitatio poſſit percurrere. Et primus hic labor eſt, non hærere in occurſu. Plus enim quam firma debet eſſe memoria, quæ aliam memoriam
19 adjuvet. Tum[b] quæ ſcripſerunt, vel cogitatione complectuntur, et alio[c] ſigno, quo moneantur[d], notant: quod eſſe vel ex re tota poteſt, ut de navigatione, militia, vel ex verbo aliquo. Nam etiam excidentes, unius admonitione verbi in memoriam reponuntur. Sit autem ſignum navigationis, ut ancora; militiæ, ut aliquid ex armis.
20 Hæc ita[e] digerunt[f]. Primum ſenſum vel[g] locum veſtibulo quaſi aſſignant, ſecundum[h] atrio, tum impluvia circumeunt, nec cubiculis modo aut exedris, ſed ſtratis[i] etiam ſimilibuſque per ordinem committunt. Hoc facto, cum eſt repetenda memoria, incipiunt ab initio loca hæc recenſere, et, quod cuique crediderunt, repoſcunt, et eorum imagine admonentur: ut, quamlibet multa ſint, quorum meminiſſe oporteat, ſint[l] ſingula connexa quodam choro[m], ne errent conjungentes prioribus ſequentia
21 ſolo ediſcendi labore. Quod de domo dixi, et in operibus publicis, et in itinere longo, ut[n] urbium ambitu, et picturis, fieri poteſt. Etiam fingere ſibi has imagines licet. Opus eſt ergo locis, quæ vel finguntur, vel ſumuntur: [o] imaginibus, vel ſimulacris, quæ utique fingenda ſunt. Imagines notæ ſunt, quibus ea, quæ ediſcenda ſunt[p], notamus: ut quo modo Cicero dicit, *locis pro cera,*
22 *ſimulacris pro literis utamur.* Illud quoque ad verbum ponere, optimum fuerit: *Locis eſt utendum multis*[q], *illuſtribus, explicatis*[r], *modicis intervallis: imaginibus autem*[s]

[z] nobile G. Jenſ. *non male.* [a] omnis *iid.* [b] Tamen Jenſ. [c] aliquo G. [d] moveantur G. [e] itaque Jenſ. [f] deligere G. diligere Jenſ. [g] bello tum G. Jenſ. [h] puta *inf. iid.* [i] ſtatus G. [l] ſiunt G. Jenſ. [m] corio G. [n] et G. [o] *Vid. inf.* et. [p] *om.* Jenſ. [q] mutis G. [r] expectatis Jenſ. [s] aliqui Jenſ. *forte voluit* aliquid.

20. *quodam choro*] In illa enim ſaltantium multitudine, quæ *chorus* vocatur, ordine et ſucceſſione quadam tum perſonarum tum rhythmorum conſtant omnia. Ita *chorum* corporibus cæleſtibus tribuunt. v. g. Tibull. 2, 1, 88.

21. *vel ſumuntur*] Videor mihi hac interpunctione non male de hoc loco meritus, quem ita adhuc diſtinxerant, *Opus eſt ergo locis, quæ vel finguntur, vel ſumuntur imaginibus, vel ſimulacris, quæ* &c. Sed idem video, jam ita dediſſe Vaſcoſanum 1542, f. cui obſequi debebant poſteri.

21. *Cicero dicit*] Loco jam laudato de Orat. 2, 86. Illud, *Locis eſt utendum*, eſt c. 87. fin.

agentibus, acribus, insignitis[t], *quæ occurrere, celeriterque percutere*[u] *animum possint.* Quo magis miror, quo modo Metrodorus in XII signis, per quæ Sol meat, trecenos[x] et sexagenos invenerit locos. Vanitas nimirum fuit atque 23
jactatio circa memoriam suam[z] potius arte, quam natura gloriantis. Equidem hæc ad quædam prodesse non negaverim, ut si rerum nomina multa, per ordinem audita, reddenda sint. Namque in iis, quæ didicerunt, locis reponunt res illas, *mensam*, ut hoc utar, *in vestibulo, in atrio pulvinum*[a], et sic cetera : deinde relegentes inveniunt, ubi posuerint. Et forsitan in hoc sunt adjuti, qui, auctione 24
dimissa, quid cuique vendidissent, testibus argentariorum tabulis reddiderunt. Quod præstitisse Hortensium dicunt. Minus idem proderit in ediscendis, quæ orationis perpetuæ erunt. Nam et sensus non eamdem imaginem, quam res, habent, cum alterum fingendum sit : et horum tamen utcumque[b] commonet : sed[c] sermonis alicujus habiti[d] verborum contextus eadem arte quo modo comprehendetur[e] ? Mitto, quod quædam nullis simulacris signi- 25
ficari possunt, ut certæ[f] conjunctiones. Habeamus enim

[t] insignitisque *id.* [u] percurrere G. Jens. [x] tricenos Jens. [z] sua G. [a] populum G. [b] *Sic emendavi. Editum erat* utrumque. [c] Si G. cum *inf.* G. Jens. [d] habitu *iid.* [e] comprehenditur Jens. [f] ceteræ *id. vid. leg.* certe.

24. *Hortensium*] Seneca procem. Controv. quod totum ad hunc locum pertinere, jam indicatum est. Laudat alioqui memoriam Hortensii *tantam quantam in ullo cognovisset* pluribus verbis Cic. Bruto c. 88.

24. *utcumque commonet*] In oratione perpetua ediscenda, ratio haberi debet præter *rem* de qua sermo est, *sensuum* quoque h. e. sententiarum, et *verborum*. Meminisse debet, qui prodit ad dicendum, non modo *de bello* sibi orationem habendam esse ; hujus forte rei illum *gladius*, in loculamento quodam memoriæ repositus, admoneat : sed etiam *sensus* illi præsto esse debent ; hi *fingendi* ab ipso *sunt* oratore, cogitandum, quid de unoquoque *subjecto* (loquamur enim dialectice) adfirmaturus sit, quid negaturus. Hi jam *sensus* non eandem imaginem, quam res habent ; certe difficilius est notas eorum excogitare ita simplices, ut facile comprehendi possint memoria, ita *agentes* et efficaces, ut feriant animum : sed tamen *utcumque*, si non apte, commode, facile ; aliquo certe modo, *sensuum* etiam *commonet* ars ista. Verum enimvero *verbis* quid faciemus ? horumne contextus eadem arte comprehendetur ? Hæc sententia Fabii si bona, vera, commode enuntiata ; ignoscent nobis lectores, cum apice vix immutato pro *utrumque*, quod libros omnes obsederat, turbaveratque orationem, *utcumque* reposuimus : quale quid jam tentavimus 10, 6, 7. add. 11, 3, 101. Placebant ista Werlhofio etiam, cui me meaque placere omnia vehementer cupio.

25. *conjunctiones*] Sive Grammatice accipias hanc vocem, verum est ; da mihi enim notam, quæ

ſane, ut qui notis ſcribunt, certas imagines omnium, et
loca ſcilicet infinita, per quæ verba, quæ ſunt in quinque
contra Verrem ſecundæ actionis libris, explicentur, ut
meminerimus etiam omnium quaſi depoſitorum: nonne impediri quidem eorum, quæ dicit [g], decurſum neceſſe
26 eſt duplici memoriæ cura? Nam quo modo poterunt copulata fluere, ſi propter ſingula verba ad ſingulas formas
reſpiciendum erit? Quare et Charmadas [h] et Sceptius [i] (de
quo modo dixi) Metrodorus, quos Cicero dicit uſos hac
exercitatione, ſibi habeant ſua: nos ſimpliciora tradamus.
27 Si longior complectenda memoria fuerit oratio, proderit
per partes ediſcere, (laborat enim maxime onere) et hæ
partes non ſint perexiguæ: alioqui nimis multæ erunt, et
eam diſtinguent atque concident. Nec utique certum
imperaverim modum [l], ſed maxime ut quiſque finietur
locus: niſi [m] forte tam ſit [n] numeroſus, ut ipſe quoque di-
28 vidi [o] debeat. Dandi ſunt certi quidam termini, ut contextum verborum (qui eſt difficillimus) continuet crebra
meditatio, partes deinceps ipſas repetitus ordo conjungat.
Non eſt inutile [p], quo facilius hæreant, aliquas apponere
notas, quarum recordatio commoneat et quaſi excitet me-
29 moriam. Nemo enim fere tam infelix, ut, quod cuique
loco ſignum deſtinaverit, neſciat: ut, ſi erit tardus [q] ad hoc,
eo quoque adhuc remedio [r] utatur, ut ipſæ excitent [s] notæ.
Hinc eſt ex [t] illa [u] arte non [v] inutile, attendere [x] ſigna ad

[g] *Vid. leg.* dicimus: *ſed intelligi etiam poteſt* Cicero. [h] Carneades *omnes, puto, ante Burm.* [i] Septius Jenſ. *et al.* [l] modo G. Jenſ. [m] ni *iid.* [n] *om. iid.* [o] divelli G. [p] inutilis G. [q] tradendus G. Jenſ. [r] remedium utitur *iid.* [s] *om. iid.* [t] *om.* G. 2. [u] ipſa G. [v] *om. Kapp.* [x] attentus ad G. Kapp. Jenſ. G. 2.

clare, breviterque ſignet *nam, enimvero, tametſi?* ſive *conjunctiones* intelligas connectendi et tranſeundi formulas. Cic. de Orat. 2, 88, pr. *Multa ſunt verba, quæ, quaſi articuli, connectunt membra orationis, quæ formari ſimilitudine nulla poſſunt: eorum fingendæ nobis ſunt imagines, quibus ſemper utamur.*

26. *de quo modo dixi*] 10, 6, 4.

29. *ut, ſi erit tardus*] Adeo certum eſt, quod modo dixit Fabius, *neminem tam eſſe infelicem* &c. *ut* etiam *ſi* quis *ſit tardus*, hoc remedio utatur, ad eam tarditatem ſublevandam; ut nempe notæ ipſum excitent. Pergit, *Hinc eſt*, quod dicere modo cœperam, *ex illa* memoriæ *arte non inutile* præceptum &c.

29. *attendere ſigna*] Idem puto eſſe *attendere ſigna*, quod modo *apponere* dixerat, ea ratione ut *prætendere ſepem* vel *velum* dicimus. Utile eſt *attendere ſigna* i. e. appingere, adlinere, in margine commentarii, unde ediſcimus, *ad eos ſenſus qui excidunt* h. e. excidere ſolent. Nondum obſervavi qui verbo *attendere* ita uſus ſit. Sed primum hujus verbi intellectum ad corpora pertinere, et *attendere* pri-

eos, qui excidunt [y], ſenſus: *ancoram,* (ut ſupra poſui) ſi
de nave dicendum eſſet: *ſpiculum,* ſi de prælio. Multum 30
enim ſigna faciunt, et ex alia memoria venit alia, ut cum
tranſlatus annulus vel alligatus commoneat nos, cur [z] id †
fecerimus. Hæc magis adhuc adſtringunt, quæ memo-
riam ab aliquo ſimili transferunt ad id, quod continendum
eſt: ut in nominibus, ſi *Fabius* forte ſit tenendus, referа-
mus ad illum *Cunctatorem,* qui excidere non poteſt: aut 31
ad aliquem amicum, qui idem vocetur: quod eſt facilius
in *Apris,* et ‡ *Urſis,* et *Naſone,* aut *Criſpo,* ut id memoriæ
affigatur, unde ſunt nomina. Origo quoque aliquando
declinatorum tenendi magis [a] cauſſa eſt, ut in *Cicerone,*
Verrio, Aurelio, ſi debent [b] inſeri. Illud neminem non 32
juvabit, iiſdem, quibus ſcripſerit, ceris ediſcere. Sequi-
tur [c] enim [d] veſtigiis quibuſdam memoriam, et velut ocu-
lis intuetur [e] non paginas modo, ſed verſus prope ipſos,
qui [f] tum dicit, ſimilis legenti. Jam vero ſi litura aut
adjectio aliqua aut mutatio interveniat, ſigna ſunt quæ-
dam, quæ intuentes deerrare [g] non poſſumus. Eſt [h] ratio, 33
ut [i] illi [k], de qua primum locutus ſum, arti non diſſimilis,
ita (ſi quid me experimenta docuerunt) et expeditior et
potentior. Ediſcere [l] tacite, (nam id quoque eſt quæſi-
tum [m]) erat optimum, ſi non ſubirent velut otioſum ani-
mum plerumque aliæ cogitationes, propter quas excitan-
dus eſt voce, ut duplici motu [n] juvetur memoria, dicendi,
et audiendi. Sed hæc vox ſit modica, et magis murmur.
Qui autem legente alio ediſcit, in parte tardatur, quod 34
acrior eſt oculorum, quam aurium ſenſus: in parte juvari
poteſt, quod, cum ſemel aut bis audierit, continuo illi

[y] *Sic iid.* exciderunt *al.* [z] cum G. Jenſ. † hæc G. iis Jenſ. ‡ in *inſ.* G. Jenſ. [a] magas Jenſ. [b] debet G. Jenſ. debet miſceri *MSS. quidam ap. Burm. qui conj.* Sed tædet his inhærere. [c] ſequuntur *iid.* [d] in *inſ.* Jenſ. [e] intuentur G. [f] quæ G. Jenſ. [g] *Sic e V. C. Alm. Burm.* errare *al.* [h] Hæc *conj. Gallæus. Certe intelligendum* hæc. [i] eſt *inſ.* G. Jenſ. [k] illa G. [l] *Sic jam diſtinxerat Gallæus, probante etiam Burm. qui tamen cum rel. dedit* potentior, ediſcere tacite. Nam id quoque eſt, quod tum erat, optimum *&c.* [m] *Sic conj. etiam Burm. ex vulgato* quod tum (G. quod) *pro quo V. C. Alm.* quod ſitum. [n] modo G.

mo ad *aurem,* tum ad *animum* eſſe relatum, tandem per ſe poſitum, nemo forte negaverit.

31. *id—unde ſunt nomina*] Hoc e fonte hauſta h. e. a qualicunque nominum convenientia petita eſt major pars mnemonicorum libellorum, quibus hiſtoriam, ordinem et argumenta legum, et quid non? complexi ſunt Buno, Winckelmannus, alii, de quibus Morhof. Polyh. 1, 2, 6, 48. ſq.

31. *ſi debent inſeri*] Si eſt a Fabio hæc clauſula, ſignificat, ſi mentio facienda horum hominum, *Ciceronis, Verrii* &c.

memoriam suam experiri licet, et cum legente conten-
dere. Nam et alioqui id maxime faciendum est, ut nos
subinde tentemus: quia continua lectio, et quæ magis, et
35 quæ minus hærent [o], æqualiter transit. In experiendo,
teneasne? et major intentio est, et nihil supervacui tem-
poris perit [p], quo etiam, quæ tenemus, repeti [q] solent: ita
sola, quæ exciderunt, retractantur, ut crebra reiteratione
firmentur: quamquam solent hoc ipso maxime hærere,
quod exciderunt. Illud ediscendo scribendoque commune
est, utrique plurimum conferre bonam valetudinem, di-
36 gestum cibum, animum cogitationibus aliis liberum. Ve-
rum et in his, quæ scripsimus, complectendis multum
valent, et in iis, quæ cogitamus, continendis prope solæ
(excepta, quæ potentissima est, exercitatione) *divisio* et
compositio. Nam qui recte diviserit, numquam poterit in
37 rerum ordine errare. Certa sunt enim non solum in di-
gerendis quæstionibus, sed etiam in exsequendis, si modo
recte dicimus, prima ac secunda, et deinceps: cohæret-
que omnis rerum copulatio, ut ei nihil neque subtrahi
38 sine manifesto intellectu, neque inseri possit. An vero
Scævola in lusu duodecim scriptorum [r], cum prior calcu-
lum promovisset, essetque victus, dum rus tendit, repetito
totius certaminis ordine, quo dato errasset recordatus, re-
diit ad eum, quicum luserat, isque ita factum esse con-
fessus est: minus idem ordo valebit in oratione, præsertim

[o] hæret G. Jens. [p] petit G. [q] reperiri G. Jens. [r] scruporum *iid.* *sed* scriptorum *etiam MS. Bodl. ap. Tho. Hyde de Nerdil.*

38. *duodecim scriptorum*] Sic esse legendum, et *scripta* diminuta voce *scriptula* dicta, ut γραμμὰς Græcorum s. *lineas* (vid. Pollux 9, 97. sq.) passim observatum est: in primis a Salmasio ad Vopisci Proculum c. 13, p. 737, sqq. Hack. et Gron. de Pec. Vet. 3, 15, p. 233, sqq. item Tho. Hyde in Hist. Nerdiludii p. 8, sqq. qui nimirum dedita etiam opera de ludo ipso egerunt. Salmasio usus est, nomine præterito, diligenter vir doctus in Hist. Acad. Insc. Gall. T. 1. p. 123. sq.

38. *quo dato errasset*] Nimirum compositum esse hoc ludi genus ex fortuna et arte, vel ex hoc loco apparet. Jactantur tali: qui cecidit numerus, ad hujus præscriptum promoventur calculi: hoc est *dare*. Laudavimus olim ad hunc ipsum locum Chrestom. Plin. p. 155, post viros doctos Ovid. Art. 2, 203,

Seu ludet, numerosque manu jactabit eburnos,
Tu male jactato, tu male jacta dato.

Cicero in Hortensio apud Non. cap. 2, §. 781, *Itaque tibi concedo, quod in* duodecim scriptis *olim, ut calculum reducas, si te alicujus* dati *pœnitet*. Huc ergo refertur illud Terentii Adel. 4, 7, 21, *Ita vita est hominum, quasi si ludas tesseris: Si illud, quod maxime opus est jactu, non cadit; Illud, quod cecidit forte, id arte ut corrigas.*

totus nostro arbitrio constitutus, cum tantum ille valeat
alternus? Etiam quæ bene composita erunt, memoriam 39
serie sua ducent. Nam sicut facilius versus ediscimus,
quam prosam orationem: ita prosam vinctam [s], quam
dissolutam. Sic contingit, ut etiam quæ ex tempore vi-
debantur effusa, ad verbum repetita reddantur: quod
meæ quoque memoriæ mediocritatem sequebatur, si quan-
do interventus aliquorum, qui hunc honorem mererentur,
iterare declamationis partem coegisset: nec est mendacio
locus, salvis qui interfuerunt. Si quis tamen unam maxi- 40
mamque a me artem memoriæ quærat, *exercitatio* est, et
labor: multa ediscere, multa cogitare, et (si fieri potest)
quotidie, potentissimum est. Nihil æque vel augetur
cura, vel negligentia intercidit. Quare et pueri statim, 41
ut præcepi, quam plurima ediscant, et, quæcumque ætas
operam juvandæ studio memoriæ dabit, devoret initio tæ-
dium illud et scripta et lecta sæpius revolvendi, et quasi
eumdem cibum remandendi. Quod ipsum hoc fieri po-
test levius, si pauca primum, et quæ tædium non afferant,
cœperimus ediscere: tum quotidie adjicere singulos ver-
sus, quorum accessio labori sensum incrementi non afferat,
in summam ad [t] infinitum usque perveniat: et poetica
prius, tum oratorum, novissime etiam solutiora numeris,
et magis ab usu dicendi remota, qualia sunt jurisconsul-
torum. Difficiliora enim debent esse, quæ exercent, quo 42
sit levius ipsum illud, in quod exercent: UT athletæ pon-
deribus plumbeis assuefaciunt manus, quibus vacuis et
nudis in certamine utendum est. Non omittam etiam,
quod quotidianis experimentis deprehenditur, minime fi-
delem esse paullo tardioribus ingeniis recentem memo-
riam. Mirum dictu est, nec in promtu ratio, quantum 43
nox interposita afferat firmitatis, sive quiescit labor ille,
cujus sibi ipsa fatigatio obstabat, sive maturatur, atque [u]
concoquitur [x], seu firmissima ejus pars est recordatio: quæ
statim referri non poterant, contexuntur postera die, con-
firmatque memoriam idem illud tempus, quod esse in

s junctam *iid.* t ac Jens. u sive G. ac Jens. x coquitur Jens.

41. *ut præcepi*] Supra 1, 1, 35. et 2, 7, 2. sq.

41. *sensum incrementi*] Ut Milo ille tollendo non diebus modo sed horis singulis vitulo, perfecisse dicitur, ut bovem paullatim factum adhuc tolleret.

42. *Ut athletæ ponderibus*] Vel ut equi in hippodromo per arenas ire coguntur, ut altius tollere pedes consuescant, quod et jam in solido euntibus decorum est.

44 cauſſa ſolet oblivionis. Etiam illa prævelox fere cito ef-
fluit, et, velut præſenti officio functa, nihil in poſterum
debeat, tamquam dimiſſa diſcedit. Nec eſt mirum, magis
hærere animo, quæ diutius affixa ſint. Ex hac ingenio-
rum diverſitate nata dubitatio eſt, [z] *ad* [a] *verbum ſit ediſcen-
dum dicturis? an vim modo rerum atque ordinem complecti
ſatis ſit* [b] *?* de quo ſine dubio non poteſt in univerſum
45 pronuntiari. Nam ſi memoria ſuffragatur, tempus non
deſit [c], nulla me velim ſyllaba effugiat: alioqui etiam
ſcribere ſit ſupervacuum. Idque præcipue a pueris obti-
nendum, atque in hanc conſuetudinem memoria exercita-
tione redigenda, ne nobis diſcamus ignoſcere. Ideoque
et [d] admoneri [e], et ad libellum reſpicere vitioſum, quod li-
bertatem negligentiæ facit, nec quiſquam ſe parum te-
46 nere judicat, quod, ne ſibi excidat, non timet. Inde in-
terruptus actionis impetus, et reſiſtens ac ſalebroſa oratio,
et qui dicit ediſcenti ſimilis, etiam omnem bene ſcripto-
rum gratiam perdit vel hoc ipſo, quod ſcripſiſſe ſe confi-
tetur. Memoria autem facit etiam promti ingenii famam,
ut illa, quæ dicimus, non domo attuliſſe, ſed ibi protinus
ſumſiſſe videamur: quod et [f] oratori et ipſi cauſſæ pluri-
47 mum confert. Nam et magis miratur, et minus timet
judex, quæ non putat adverſus ſe præparata. Idque [g] in
actionibus inter præcipua ſervandum eſt, ut quædam
etiam, quæ optime vinximus [h], velut ſoluta enuntie-
mus: et cogitantibus nonnumquam et dubitantibus ſimiles
quærere videamur, quæ attulimus. Ergo quid ſit opti-
48 mum, neminem fugit. Si vero aut memoria natura du-
rior erit, aut non ſuffragabitur tempus, etiam inutile [i] erit
ad omnia ſe verba alligare, cum oblivio unius eorum cu-
juſlibet, aut deformem hæſitationem, aut etiam ſilentium
inducat. Tutiuſque multo [l], comprehenſis animo rebus
49 ipſis, libertatem ſibi eloquendi relinquere. Nam et invi-
tus perdit quiſque id, quod elegerat, verbum: nec facile
reponit aliud, dum id, quod ſcripſerat, quærit. Sed ne
hoc quidem infirmæ memoriæ remedium eſt, niſi in iis,
qui ſibi facultatem aliquam dicendi ex tempore paraverunt.

[z] An, *quod hic inſ. alii, recte om.* G. *et Voſſ. et Vall. ap. Burm.* [a] *om.* Jenſ. [b] eſt G. [c] defuit G. [d] *om.* Jenſ. [e] admonere *id.* [f] *om.* Jenſ. [g] ideoque *id.* [h] junximus G. Jenſ. [i] utile Jenſ. [l] *om. id.*

47. *dubitantibus ſimiles*] Ut Cic. in Verr. 4, 3. *Canephoræ ipſæ vocabantur. Sed earum artificem— quem?* (quaſi converſus ad advocatos ſuos) *quemnam? Recte admones. Polycletum eſſe dicebant.* Uſus et noſter 9, 2, 61; et, ut ibi indicamus, Plinius.

Quod ſi cui utrumque defuerit, huic omittere omnino [m]
totum actionum laborem, ac, ſi quid in literis valet, ad
ſcribendum potius ſuadebo convertere. Sed hæc rara infe-
licitas erit. Ceterum quantum natura ſtudioque valeat me- 50
moria, vel Themiſtocles teſtis, quem unum intra annum op-
time locutum eſſe Perſice conſtat: vel Mithridates, cui
duas et viginti linguas, quot nationibus imperabat [n], tra-
ditur notas fuiſſe: vel Craſſus ille dives, qui, cum Aſiæ
præeſſet, quinque Græci ſermonis differentias ſic tenuit,
ut, qua quiſque apud eum lingua poſtulaſſet, eadem ſibi
jus redditum ferret: vel Cyrus, quem omnium militum
tenuiſſe creditum eſt nomina. Quin ſemel auditos quam- 51
libet multos verſus protinus dicitur reddidiſſe Theodec-
tes [o]. Dicebantur etiam nunc eſſe, qui facerent, ſed mihi
numquam, ut ipſe intereſſem, contigit: habenda tamen
fides eſt vel in hoc, ut [p], qui crediderit [q], et ſperet.

III. *Pronuntiatio* a pleriſque *actio* dicitur, ſed prius no-
men [r] a voce, ſequens a geſtu videtur accipere. Namque
actionem Cicero alias quaſi *ſermonem*, alias *eloquentiam*
quamdam *corporis* dicit. Idem tamen duas ejus partes fa-
cit, quæ ſunt eædem pronuntiationis, *vocem* atque *motum*.
Quapropter utraque appellatione indifferenter uti licet.
Habet autem res ipſa miram quamdam in orationibus 2
vim ac poteſtatem. Neque enim tam [s] refert, qualia ſint,
quæ intra noſmet ipſos compoſuimus; quam quo modo
efferantur: nam ita quiſque, ut audit, movetur. Quare

[m] *om. id.* [n] imperavit G. Jenſ. [o] Theodoctes Jenſ. [p] *om.* Jenſ. [q] crediderint et ſperent G. [r] eſt *inſ.* G. [s] eam Jenſ. jam G.

50. *Themiſtocles*] Apud Thucyd. 1, 137, annuum ſibi tempus dari petit, ut paret ſe ad colloquium regis: deinde c. 138, Ὁ δὲ ἐν τῷ χρόνῳ—τῆς τε Περσίδος γλώσσης ὅσα ἠδύνατο κατενόησε, καὶ τῶν ἐπιτηδευμάτων τῆς χώρας. Vide, quam circumſpecte. Plutarchus augere videtur p. 229. H. Steph. Ἐνιαυτὸν αἰτησάμενος καὶ τὴν Περσίδα γλῶτταν ἀποχρώντως ἐκμαθών. Cornelium Nepotem ſecutus videtur noſter, qui 2, 10, 1, in vita Them. *multo commodius* eum narrat *verba apud regem feciſſe, quam hi poterant, qui in Perſide erant nati.*

50. *Mithridates*] Sic et Plin. 7, 24 et 25, 2. Sed Gell. 17, 17. optimi libri *quinque et viginti gentes et linguas* habent. Illud de *Craſſo* eſt etiam ap. Val. Max. 8, 7, 6. De *Cyro* Plin. 7, 24. et Val. Max. 8, 7, ext. 16. Quanquam hoc fabuloſum nimis, nec Xenophonti memoratum, qui Duces tantum omnes notos Cyro et nominibus et factis fuiſſe narrat Cyrop. 5, p. 360. ſq. Hutchinſon. Mirantur ſui Cyrum, ὁπόσοις συνέταττε, πᾶς ὀνομάζων ἐνετέλλετο.—Miratur Cyrus, ſi Dux neſciat τῶν ὑφ' αὐτὸν ἡγεμόνων τὰ ὀνόματα.

III, 1. *Cicero*] De Orat. 3, 59. *Eſt enim actio quaſi ſermo corporis.* Et Orat. 17. *Eſt enim actio quaſi corporis quædam eloquentia, cum conſtet e voce atque motu.*

neque probatio ulla, quæ [t] modo venit ab oratore, tam firma est, ut non perdat [u] vires suas, nisi adjuvetur [x] asseveratione dicentis. Affectus omnes languescant necesse est, nisi *voce*, *vultu*, totius prope *habitu corporis*, inardes-
3 cant [y]. Nam cum hæc omnia fecerimus, felices [z], si tamen nostrum illum [a] ignem judex conceperit: nedum eum [b] supini securique moveamus [c], ac [d] non et ipse nostra
4 oscitatione solvatur. Documento sunt vel scenici actores, qui et optimis poetarum tantum adjiciunt gratiæ, ut nos infinite [e] magis eadem illa audita, quam lecta, delectent; et vilissimis etiam quibusdam impetrant [f] aures, ut, quibus nullus [g] est in bibliothecis locus, sit etiam frequens in
5 theatris. Quod si in rebus, quas fictas esse scimus et inanes, tantum pronuntiatio potest, ut iram, lacrimas, solicitudinem afferat, quanto plus valeat necesse est, ubi et credimus? Equidem vel mediocrem orationem, commendatam viribus actionis, affirmaverim plus habituram esse
6 momenti, quam optimam eadem illa destitutam. Siquidem et Demosthenes, *quid esset in toto* [h] *dicendi opere* [i] *primum* [l], interrogatus, *pronuntiationi palmam* dedit, eidemque *secundum* ac *tertium locum*, donec ab eo quæri defineret [m]: ut eam videri posset non præcipuam, sed solam ju-
7 dicasse. Ideoque ipse tam diligenter apud Andronicum

[t] aliquo *inf.* G. Jens. [u] perdet Jens. [x] adjuvatur G. [y] inardescunt G. Jens. [z] sumus *inf. Obr. recte, si ex libro.* [a] *om.* G. [b] *om.* G. Jens. [c] moveamur Jens. [d] an non et ipsa G. [e] infinito G. *et Voss.* 2. *nec negligendum videtur Burmanno.* [f] *Sic* G. *et Obr.* impetrent *al.* [g] nullis Jens. [h] genere *inf.* G. Jens. [i] *om. iid.* [l] summum Jens. [m] desierit G. Jens.

3. *ignem conceperit*] Sic Cic. de Orat. 2, 45. *Ut enim nulla materies tam facilis ad exardescendum est, quæ, nisi admoto igni ignem concipere possit: sic nulla mens est tam ad comprehendendam vim oratoris parata, quæ possit accendi, nisi inflammatus ipse ad eam et ardens accesseris.*

5. *vel mediocrem*] Cic. de Orat. 3, 56. *Actio in dicendo una dominatur: sine hac summus orator esse in numero nullo potest; mediocris hac instructus summos sæpe superare. Huic primas dedisse Demosthenes dicitur, cum rogaretur, quid in dicendo esset primum; huic secundas; huic tertias.* Deinde narrat etiam illud de Æschine: de quo dicimus etiam ad Plin. epist. 2, 3, 10.

6. *quid esset—primum*] Sic Cato major interrogatus, quid primum, quid alterum, quid tertium esset in re rustica, semper respondit, *Pascere.* Vid. ad Colum. 6, pr. 5. Sic minor Cato, *quem maxime amaret?* interroganti, quem deinde &c. semper respondit, *Fratrem.* Vid. Plut. in vita p. 1396. H. Steph.

7. *Andronicum*] *Satyrum* nominat Plutarchus p. 1556, in vita majore: sed in ea qua novem reliquos complexus est, p. 1552, *Neoptolemum*; *Andronicum* denique eodem in loco, ubi etiam tres illas de

Hypocritem [n] ſtuduit, ut admirantibus ejus orationem Rhodiis non immerito Æſchines dixiſſe videatur, *quid ſi ipſum audiſſetis?* Et M. Cicero *unam in dicendo actionem dominari* putat. Hac Cn. Lentulum plus opinionis con- 8
ſecutum, quam eloquentia, tradit: eadem C. Gracchum in deflenda fratris nece totius populi Romani lacrimas concitaſſe: Antonium et Craſſum multum valuiſſe, plurimum vero Q. Hortenſium: cujus rei fides eſt, quod ejus ſcripta tantum intra famam ſunt, qui [o] diu princeps [p] oratorum, aliquando æmulus Ciceronis exiſtimatus eſt, noviſſime, quoad vixit, ſecundus: ut appareat, placuiſſe aliquid eo dicente, quod legentes non invenimus. Et her- 9
cle cum valeant multum verba per ſe, et vox propriam vim adjiciat rebus, et geſtus motuſque ſignificet [q] aliquid, profecto perfectum quiddam fieri, cum omnia coierint [r], neceſſe eſt. Sunt tamen qui rudem illam, et qualem im- 10
petus cujuſque animi tulit, actionem judicent fortiorem, et ſolam viris dignam: ſed non alii fere, quam qui etiam in dicendo curam, et artem, et nitorem, et quidquid ſtudio paratur, ut affectata et parum naturalia ſolent improbare; vel qui verborum atque ipſius etiam ſoni ruſticitate, ut L. Cottam dicit Cicero feciſſe, imitationem antiquitatis affectant. Verum illi perſuaſione ſua fruantur, qui 11
hominibus, ut ſint oratores, ſatis putant naſci: noſtro labori dent veniam, qui nihil credimus eſſe perfectum, niſi

[n] Hippocratem G. Jenſ. [o] quam *iid.* [p] deinceps Jenſ. [q] ſignificent G. [r] coiere G. coierunt Jenſ.

actione ſ. hypocriſi reſponſiones enarrat.

8. *Cn. Lentulum*] In Bruto 66. *Cn. Lentulus ceterarum virtutum dicendi mediocritatem actione occultavit, in qua excellens fuit.* Et paullo ante, *Multo majorem opinionem dicendi actione faciebat, quam quanta in eo facultas erat.* Plura ibi de hoc, et P. Lentulo. De *C. Graccho fratris necem deflente* de Orat. 3, 56. *Quæ ſic ab illo acta eſſe conſtabat oculis, voce, geſtu, inimici ut lacrimas tenere non poſſent.* De *Hortenſio* Bruto c. 88. *Motus et geſtus etiam plus artis habebat, quam erat oratori ſatis.*

10. *L. Cottam dicit Cicero*] De Orat. 3, 11, ex perſona Craſſi, *L. Cotta gaudere mihi videtur gravitate* (conj. Pearce *pravitate*) *linguæ, ſonoque vocis agreſti; et illud quod loquitur priſcum viſum iri putat, ſi plane fuerit ruſticanum.* Et cap. 12. *Cotta, cujus tu illa lata, Sulpici, nonnunquam imitaris, ut Iota literam tollas, et E pleniſſimum dicas, non mihi oratores antiquos, ſed meſſores videtur imitari.* Et Bruto c. 74. *Cotta, quia ſe valde dilatandis literis a ſimilitudine Græcæ locutionis abſtraxerat, ſonabatque plane contrarium Catulo, ſubagreſte quiddam planeque ſubruſticum; alia quidem quaſi inculta et ſilveſtri via ad eandem laudem pervenerat.*

ubi natura cura juvetur. In hoc igitur non contumaciter
12 conſentio, primas partes eſſe naturæ. Nam certe bene
pronuntiare non poterit, cui aut in ſcriptis memoria, aut
in iis, quæ ſubito dicenda erunt, facilitas promta defue-
rit: nec ſi inemendabilia oris incommoda obſtabunt.
Corporis etiam poteſt eſſe aliqua tanta deformitas, ut nul-
13 la arte vincatur. Sed ne vox quidem, niſi liberalis, actio-
nem habere optimam poteſt. Bona enim firmaque ut vo-
lumus [s] uti licet: mala vel [t] imbecilla et inhibet multa,
ut *inſurgere*, *exclamare*; et aliqua cogit, ut *ſubmittere*, *de-
flectere*, et raſas [u] fauces ac latus fatigatum deformi canti-
co reficere. Sed nos de eo nunc loquimur [x], cui non
14 fruſtra præcipitur. Cum ſit autem omnis actio, ut dixi,
in duas diviſa partes, *vocem*, *geſtumque*, quorum alter ocu-
los, altera aures movet, per quos duos ſenſus omnis ad
animum penetrat affectus, prius eſt *de voce* dicere, cui
etiam *geſtus* accommodatur. In ea prima obſervatio eſt,
qualem habeas: ſecunda, *quomodo utaris*. Natura vocis
15 ſpectatur *quantitate* et *qualitate*. *Quantitas* [z] ſimplicior
eſt [a]: in ſumma [b] enim *grandis* aut *exigua* eſt: ſed inter
has extremitates mediæ ſunt ſpecies, et ab ima ad ſum-
mam, ac retro, multi ſunt gradus. *Qualitas* magis varia
eſt, nam eſt et *candida*, et *fuſca*, et *plena*, et *exilis*, et *lenis*,
et *aſpera*, et *contracta*, et *fuſa*, et *dura*, et *flexibilis*, et

[s] voluimus Jenſ. [t] et G. [u] raucas Jenſ. rauſas *conj. Gallæus.* ra-
vas *conj. Burm.* [x] loquamur G. Jenſ. [z] enim *inſ.* Jenſ. [a] *om.* G.
Jenſ. [b] ſummam G.

13. *raſas fauces—cantico*] Intelligere poſſis *raſas* h. e. contentione vehementiori perſtrictas et cuticula quaſi ſua privatas. Recurrunt ſ. 20, et audacius etiam noſter 3, 1, 3, *ne—aures tam delicatas raderet.* Sed *raſis faucibus* ſilentium potius et ſorbillatio vel eclegma quoddam dulce profuerit, quam *deforme canticum.* *Raucas* igitur vel *rauſas* malim i. e. humore tenaci obſitas, qui vociferatione eſt excutiendus, quod *deforme canticum* eſt ſane in concione dicentis. Si enim ſolus ſis, non dedecet illo uti, vel illo altero genere, quo *vox ac latus præparetur* 10, 7, 2; de quo Seneca procem. Controv. de Porcio Latrone, *Nihil vocis cauſa facere, non illam per gradus paullatim ab imo uſque ad ſummum perducere, non rurſus a ſumma contentione paribus intervallis deſcendere.* Sed de hoc vid. mox 11, 3, 22.

15. *candida, et fuſca*] Sic et Cic. de Nat. Deor. 2, 58. *Vocis genera permulta, canorum, fuſcum*; *læve, aſperum*; *grave, acutum*; *flexibile, durum.* Pauperies ſermonis facit, ut quæ ad alios ſenſus pertinent, tribuerentur voci. Sic Plin. 20, 6, ſ. 21, de porro, *Voci ſplendorem adfert* &c.

15. *contracta, et fuſa*] Licet interpretari *contractam* moderatam, et intra alveum quaſi ſuum coercitam, cui, ut vitium, *fuſa*, i. e. im-

clara, et *obtusâ: Spiritus* etiam *longior, breviorque.* Nec 16
caussas, cur quidque eorum accidat [c], persequi, proposito operi necessarium est: eorumne sit differentia, in quibus aura illa concipitur? an eorum, per quæ velut organa meat? an ipsi propria natura? an prout movetur [cc] lateris pectorisve firmitas, an capitis [d] plus adjuvet? nam opus est omnibus, (sicut [e]) non oris modo suavitate, sed narium quoque, per quas, quod superest vocis, egeritur. Dulcis 17
tamen esse debet, non exprobrans sonus. *Utendi* voce multiplex ratio. Nam [f] præter illam differentiam, quæ

[c] accidit G. [cc] moveret G. 2. [d] *Sic* G. Jens. etiam *inf. al.* [e] *Videtur redundare.* [f] *om.* G.

moderate profusa, totisque, quam late patent, faucibus erumpens, opponi queat. In mentem etiam venit *fusam* accipere pro virtute, ut Cic. de Orat. 2, 15, *fusum atque tractum* orationis genus laudatur, i. e. facile, lene: et, cum *contracta* sic non bene responderet *fusæ*, emendare pronum erat *confracta*, h. e. confragosa, aspera. Sed nihil muto, cum sic non sit, in quo *confracta* et *fusa* ab *aspera* et *leni* differant. Tum nondum observavi, qui *confractum* pro *confragoso* dixerit.

16. *aura illa concipitur*] Pulmones intelligit. Solent enim hoc verbo uti de intimis quasi recessibus, unde aura oritur. De eadem re, vulgarem ille quidem errorem secutus, Cicero de Nat. Deor. 2, 55, *Quæ spiritu in pulmones anima ducitur, ex ea pars redditur respirando, pars* concipitur *cordis parte quadam* &c.

16. *velut organa*] Vid. 11, 3, 40.

16. *an prout movetur*] An diversa vox sit pro diversa vi, qua propellitur, musculorum diaphragmatis, id enim est *pectoris ac laterum*, firma constrictione vel dilatatione, spiritus? An *capitis* firmitas motusque, in quo, dum erumpit, formatur et quasi fingitur vox, illam diversitatem *plus adjuvat?* Verum dixerit forte, qui conjungat ista omnia; et conjungenda duxit, licet disjuncte proponeret, Fabius. Juvit me in hoc etiam loco, qui solet in rebus seriis mihi adesse, Werlhofius, cum dubitarem de illo *movetur*, et cogitarem ita legere, *an, prout monetur, lateris pectorisque firmitas?* et illud *prout monetur* referrem ad voces amicorum, qui *lateribus* parcere juberent contentius dicentes; ut ille Neronis Phonascus, *qui semper adstans moneret, Parceret arteriis.* Sed nihil hariolatione opus est.

16. *nam opus est*] Pertinet hæc periodus ad illud, quod modo *de capitis firmitate* dictum est, ne miremur pro *capite oris* solius factam mentionem. Dicentibus opus est non oris tantum recta conformatione ejusque partium, unde existit suavitas; sed *narium* quoque, per quas egeritur scilicet, quod superest vocis, quibus proinde obturatis, (quod hodie sibi belli homines errhinis pulvisculis, egregium decus scilicet, conciliare solent) sonus oritur, qui non nimis etiam delicatas aures ad ossa usque radat et vulneret, ac spiritus sæpius patulo ore captandi, replicandique labra necessitas. Neque tamen nimis adhiberi nares ad formandam vocem debent, ne oriatur anhelatus naribus minaciter displosis, et *exprobrans sonus.*

eſt tripartita, *acutæ, gravis, flexæ:* tum *intentis,* tum *remiſſis,* tum *elatis,* tum *inferioribus modis* opus eſt, *ſpatiis*
18 quoque *lentioribus* aut *citatioribus.* Sed iis ipſis media interjacent multa: et, UT facies, quamquam ex pauciſſimis conſtat [g], infinitam habet differentiam: ita *vox,* etſi paucas, quæ nominari poſſint [h], continet ſpecies, *propria* cuique [i] eſt: et non hæc minus auribus, quam oculis illa
19 dignoſcitur. Augentur autem ſicut omnium [k], ita vocis quoque bona, cura: et negligentia [l] minuuntur. Sed cura non eadem oratoribus, quæ phonaſcis, convenit: tamen multa ſunt utriſque communia, *firmitas corporis,* ne ad ſpadonum, et mulierum, et ægrorum exilitatem vox noſtra tenuetur: quod ambulatio, unctio, veneris abſtinentia, facilis ciborum digeſtio, id eſt frugalitas, præſtat.
20 Præterea ut ſint *fauces integræ,* id eſt molles ac leves [m], quarum vitio et *frangitur,* et *obſcuratur,* et *exaſperatur,* et *ſcinditur* vox. Nam UT tibiæ, eodem ſpiritu accepto, alium clauſis, alium apertis foraminibus, alium non ſatis purgatæ, alium quaſſæ ſonum reddunt: ita fauces *tumentes ſtrangulant* vocem, *obtuſæ obſcurant, raſæ exaſperant,*
21 *convulſæ* fractis ſunt [n] organis ſimiles. *Finditur* etiam *ſpiritus* objectu aliquo, SICUT lapillo tenues aquæ, quarum fluxus [o] etiam ſi ultra paullum coit, aliquid tamen cavi relinquit poſt id ipſum, quod offenderat. Humor quoque vocem ut nimius [p] impedit, ita conſumtus deſtituit. Nam et fatigatio corpora non ad præſens modo tempus,
22 ſed etiam in [q] futurum afficit. Sed ut communiter et phonaſcis [r] et oratoribus neceſſaria eſt exercitatio, qua omnia convaleſcunt, ita curæ non idem [s] genus eſt. Nam neque certa tempora ad ſpatiandum [t] dari poſſunt tot civilibus officiis occupato, nec præparare ab imis ſonis vocem

g conſtet G. Jenſ. h poſſent *iid.* i cujuſque G. k omnia ita voces Jenſ. l vel inſcitia *inſ.* G. Jenſ. m lenes Jenſ. n ſub G. o ſpiritus G. *et optimi libri ap. Burm.* ſpus Jenſ. p minimus G. q *om.* Jenſ. r phonaiſcis *id.* s id G. t ſpirandum G. Jenſ.

19. *ambulatio*] Cic. ad Att. 2, 23, pr. *Cum recreandæ voculæ cauſa neceſſe eſſet mihi ambulare, hæc dictavi ambulans*; ubi plura Grævius, quæ ad hujus rei rationem pertinent. Breviter, ambulatio digeſtionem ciborum juvat: *unctio* tranſpiratione nimia impedienda vires continet, quare etiam phthiſicis commendatur: *veneris* abuſus ut toti nervorum generi, ſic his, quibus ad vocem formandam opus eſt, inimicus; quare *fibula* impoſita continebant cantores et actores ſuos magiſtri &c. Adde laudatam aliquoties Senecæ de Porcio Latrone præfationem.

22. *præparare—vocem*] Vid. ad ſ. 13. Hic adjiciemus claſſicum quaſi Ciceronis locum de Orat. 1,

ad ſummos, nec ſemper a contentione concedere [u] licet,
cum pluribus judiciis ſæpe dicendum ſit. Ne ciborum 23
quidem eſt eadem obſervatio. Non enim tam molli te-
neraque voce, quam forti ac durabili opus eſt: cum illi
omnes, etiam altiſſimos ſonos, leniant [x] cantu oris, nobis
pleraque aſpere ſint concitateque dicenda [z], et vigilandæ
noctes, et fuligo lucubrationum bibenda, et in ſudata
veſte durandum. Quare vocem deliciis non molliamus, 24
nec imbuatur [a] ea conſuetudine, quæ [b] duratura [c] non ſit:
ſed exercitatio ejus talis ſit, qualis uſus: nec [d] ſilentio ſub-
ſidat [e], ſed firmetur [f] conſuetudine, qua difficultas omnis
levatur [g]. Ediſcere autem, quo exercearis, erit optimum: 25
(nam ex tempore dicentem [h] avocat [i] a cura vocis ille, qui
ex rebus ipſis concipitur, affectus) et [l] ediſcere quam
maxime varia, quæ et clamorem, et diſputationem, et
ſermonem, et flexus habeant, ut ſimul in omnia paremur.
Hoc ſatis eſt. Alioqui nitida illa et curata vox inſolitum 26
laborem recuſabit; UT aſſueta gymnaſiis et oleo corpora,
quamlibet ſint in ſuis certaminibus ſpecioſa atque ro-
buſta, ſi militare iter, faſceſque et vigilias imperes, defi-
ciant, et quærant unctores ſuos, nudumque ſudorem. Illa 27
quidem [m] in hoc opere præcipi quis ferat, vitandos ſoles
atque ventos, et nubila etiam ac ſiccitates? Ita ſi dicen-

[u] contendere Jenſ. [x] leniat *id.* [z] dicendi *id.* [a] imbuamur *id. et al. ap. Burm. non male.* [b] quam G. Jenſ. [c] deſertura G. deſiderata Jenſ. [d] ne G. Jenſ. [e] ſubſideat *iid.* [f] firmiter G. [g] levetur *id.* [h] dicentis G. *quod probum eſt, ſi accipias accuſativo plurali.* dicentem Jenſ. dicenti *rel.* [i] avocati G. advocata Jenſ. avocata *Voſſ.* avocatur *rel.* [l] *om.* G. Jenſ. [m] tamen G. Jenſ.

59. *Quid eſt oratori tam neceſſarium, quam vox? tamen me auctore nemo dicendi ſtudioſus Græcorum more Tragœdorum voci ſerviet, qui et annos complures ſedentes declamitant, et quotidie antequam pronuntient, vocem cubantes ſenſim excitant, eandemque cum egerunt ſedentes ab acutiſſimo ſono uſque ad graviſſimum ſonum, recipiunt, et quaſi quodam modo colligunt. Hoc nos ſi facere velimus, ante condemnentur ii, quorum cauſas receperimus, quam toties quoties præſcribitur, Pæanem aut* Munionem (quid ſi pro hoc monſtro legamus *etiam ionem*, vel *ionium?*) *citarimus.*

25. *dicentem avocat*] Qui mutarunt hanc lectionem, hanc ſententiam dederunt, *dum vocem curet talis recitator, perire adfectum,* quod verum et ipſum eſt: ſed de eo hic non agitur, cum vocis cauſa hic inſtituatur exercitatio. Hoc vult Fabius, et hoc dicit, ſive Jenſonianam lectionem probes, ſive Gothanam; *Adfectus* ille, qui e rebus ipſis conceptus ex tempore dicenti miniſtrare verba debet, *avocat dicentem* (*dicentis* h. e. dicentes) *a cura vocis,* cujus tamen hic in primis habenda eſt ratio. Illud non excuſo, ſed ultro imputo, quod *avocata* diviſi in *avocat a:* quam rem cum neglexiſſent ſuperiores, tenebræ ex eo ipſo obortæ ſunt.

dum in ſole, aut ventoſo, humido, calidove [n] die fuerit, reos deſeremus? Nam crudum quidem, aut ſaturum, aut ebrium, aut ejecto modo vomitu, quæ cavenda quidam monent, declamare neminem, qui ſit mentis compos, pu-
28 to. Illud non ſine cauſſa eſt [o] ab omnibus præceptum, ut parcatur [p] maxime voci in illo a pueritia in adoleſcentiam tranſitu, quia [q] naturaliter impeditur, non, ut arbitror, propter calorem, quod quidam putaverunt, (nam eſt
29 major [r] aliis) ſed propter humorem potius. Nam hoc [s] ætas illa turgeſcit. Itaque nares etiam, ac pectus, eo [t] tempore tument, atque omnia velut germinant, tenera, et injuriæ obnoxia. Sed, ut ad propoſitum redeam, jam confirmatæ conſtitutæque vocis genus exercitationis optimum duco, quod eſt operi ſimillimum, dicere quotidie, ſicut agimus. Namque hoc modo non vox tantum confirmatur et latus, ſed etiam corporis decens et accommodatus
30 orationi motus componitur. Non alia eſt autem ratio pronuntiationis, quam ipſius orationis. Nam ut illa emendata, dilucida, ornata, apta eſſe debet: ita hæc quoque emendata erit, id eſt, vitio carebit, ſi fuerit os facile, explanatum, jucundum, urbanum, id eſt, in [u] quo nulla ne-
31 que ruſticitas neque peregrinitas reſonet. Non enim ſine cauſſa dicitur *barbarum, Græcumve.* Nam ſonis homines, ut æra tinnitu, dignoſcimus. Ita fiet illud, quod Ennius probat, cum dicit *ſuaviloquenti* [x] *ore Cethegum fuiſſe:* non quod Cicero in iis reprehendit, quos ait *latrare, non agere.* Sunt enim multa vitia, de quibus dixi, cum in quadam primi libri parte puerorum ora formarem, opportunius

[n] calido *iid.* [o] *om. iid.* [p] pareatur G. [q] qui G. Jenſ. [r] in *inſ. iid.* [s] hæc Jenſ. [t] maxime *inſ. id.* [u] *om. id.* [x] ſuaviloquentiorem *id.*

28. *a pueritia—tranſitu*] Quo tempore *hirquitalli* et *hirquitallire*, Gr. τραγίζειν, a voce caprini generis dicuntur. Vid. Cenſorin. de Die Nat. c. 14, et ibi Lindebr. p. m. 100.

30. *Nam ut illa—hæc*] *Illa* ad propius refertur, *hæc* ad remotius. Vid. ad 6, 1, 9, et mox ſ. 41.

31. *barbarum, Græcumve*] Intelligo verba, *ſonare aliquis:* abruptene locutus ſit Fabius, an turbarint librarii, non definio. Non temere eſt, quod *barbarum* aut *Græcum* agnoſcimus, dicimuſque, etſi verba omnia Latina aliquis efferat, ſed ſono vel ruſtico vel peregrino. Notum eſt, quod de Q. Valerio Sorano retulit Cicero de Orat. 3, 11. Add. hic 1, 1, 13.

31. *Ennius—latrare*] Apud Cic. Bruto 15, ubi et illud, *Latrant jam quidam oratores, non loquuntur.* Sic de Orat. 3, 34, de Pericle, *At hunc non clamator aliquis ad clepſydram latrare docuerat.*

31. *in quadam libri primi parte*] 1, 1, 37. 1, 5, 32. 1, 8, 1. in primis vero 1, 11. int.

ratus, in ea ætate facere illorum mentionem, in qua
emendari possunt. Itaque[y] sit ipsa *vox* primum (ut sic 32
dicam) *sana*, id est, nullum eorum, de quibus modo[z] re-
tuli, patiatur incommodum: deinde non *subsurda*[a], *rudis*,
immanis, *dura*, *rigida*, *vana*, *præpinguis*, aut *tenuis*, *inanis*,
acerba, *pusilla*, *mollis*, *effeminata*: *spiritus*, nec *brevis*, nec
parum *durabilis*, nec *in receptu*[b] *difficilis*. *Dilucida* vero 33
erit *pronuntiatio*, primum, si verba tota *exegerit*, quorum
pars *devorari*, pars *destitui* solet, plerisque extremas sylla-
bas non proferentibus, dum priorum sono indulgent. Ut
est autem necessaria verborum explanatio, ita omnes im-
putare[c] et velut adnumerare literas, molestum, et odio-
sum. Nam et vocales frequentissime coeunt, et conso- 34
nantium quædam insequente[d] vocali dissimulantur: utri-
usque exemplum posuimus,

[y] Itemque G. [z] nunc dixi G. Jens. [a] surda *V. C. Almel.* [b] per-
ceptu Jens. [c] *Sic* G. Jens. *et MSS. pl. ap. Burmannum, qui rectum putat ipse quoque.* [d] *om.* G.

32. *subsurda*] Nescio an usquam præterea exstet vox ob id ipsum obscuriuscula. Si servanda omnino est, nec forte substituendum *absurda*, interpreter ex intellectu nominis ὑπόκωφος, quod ad absurdam quandam et absonam stoliditatem, quales videntur conatus surdorum cum movent organa loquendi, referri nonnunquam docet Stephanus. Erit igitur *subsurda* eadem, quæ Cic. Orat. 3, 11, est *extra modum absona atque absurda*.

32. *vana*] Si *vanam* intelligere velis *inanem*, in qua nihil sit præter conatum; *inanis* deinde nominatur, et ad alteram quasi classem vitiorum pertinet. *Vasta*, quod Burmannus hic legi malit, est sane et ipsum vocis epitheton; (v. g. Cic. de Orat. 3, 12, *Loquamur non* vaste &c.) sed quod ab *immani* quomodo differat, non reperiebam. *Rava*, a qua *rabulæ* quibusdam dicti videntur, non male huc convenit, si cogites *r* et *v* parum, *u* et *n* nihil fere in MSS. differre: *varia* etiam facillime in *vana* corrumpi potuit; quod si sumamus, fuerit *varia* inconstans, in qua tenorem quendam servare non possis, quam in potestate adeo non habeas, sed quæ subito in alium tonum quasi elidatur. Certe quidvis fere malim, quam quod legitur.

32. *in receptu difficilis*] Vid. mox f. 39.

33. *devorari—destitui*] *Devorari* idem est, quod Cic. de Orat. 3, 11, *obscurari negligentius*; utitur eo etiam nostra consuetudo *verschlingen*. *Destitui* contrarium est, cum deseruntur a suis sororibus quædam syllabæ, sine quibus placere, aut intelligi adeo, non possunt. Quod deinde Fabius *imputare* ait, et *velut adnumerare* literas, illud est Tullio l. c. *exprimere literas putidius*. Nimirum *imputare* reddidi Fabio, quod accommodatum admodum est huic negotio, tractum ab his, qui rationes cum alio putant, et aera singula, capita singula, separatim ponunt ac recensent. Neque tamen simpliciter illud *computare* damnaverim: nimirum ratio non fuit, quare librarius *computare* mutaret in *imputare*; fuit, cur contra faceret, quod non ita solenne est *imputare* hoc intellectu &c.

34. *posuimus*] 9, 4, 40, ubi et reliqua a f. 36.

Multum ille et terris.———

35 Vitatur etiam duriorum [e] inter se congressus, unde [f] *pellexit, et collegit,* et quæ alio loco dicta sunt. Ideoque laudatur in Catulo [g] *suavis appellatio literarum.* Secundum est, ut *sit oratio distincta,* id est, ut [h], qui dicit, et incipiat, ubi oportet, et [i] desinat. Observandum etiam, quo loco sustinendus, et quasi suspendendus sermo sit, (quam Græci *ὑποδιαστολὴν,* vel [l] *ὑποσυστολὴν,* vel *ὑποστιγμὴν* vocant)
36 quo deponendus. Suspenditur, *Arma, virumque, cano:* quia illud *virum,* ad sequentia pertinet, ut sit [m], *virum, Trojæ qui primus ab oris:* et hic iterum; nam etiamsi aliud est, unde venit [n], quam quo venit, non distinguendum tamen, quia utrumque eodem verbo continetur, *ve-*
37 *nit.* Tertio *Italiam,* quia interjectio est *fato profugus,* et continuum sermonem qui faciebat, *Italiam, Lavinaque,* dividit [o]. Ob eamdemque caussam, quarto *profugus,* deinde, *Lavinaque venit litora:* ubi jam erit distinctio, quia inde alius incipit sensus. Sed in ipsis etiam distinctioni-
38 bus tempus alias brevius, alias longius dabimus. Interest enim, sermonem finiat, an sensum. Itaque illam distinctionem, *Litora,* protinus altero spiritus initio insequar: cum illuc venero, *Atque altæ mœnia Romæ,* deponam, et
39 morabor, et novum rursus exordium faciam. Sunt aliquando et sine respiratione quædam moræ etiam in periodis: ut in illa, *In cœtu vero populi Romani, negotium publicum gerens, magister equitum, &c.* Multa habet membra †; sensus enim sunt alii atque alii: et [p] sicut una circumductio est, ita paullum morandum in his intervallis, non interrumpendus est contextus: et e contrario spiritum interim recipere sine intellectu moræ necesse est: quo loco quasi surripiendus est: alioqui si inscite recipiatur, non minus afferat obscuritatis, quam vitiosa distinctio. Virtus autem distinguendi fortasse sit parva, sine qua ta-
40 men esse nulla alia in agendo potest. *Ornata* est pronun-

[e] durior Jens. [f] inde G. [g] Catullo Jens. [h] *om.* G. Jens. [i] *om.* Jens. [l] vel *ὑπ.* *om.* G. [m] sic G. [n] veniat Jens. [o] dividi *id.* † *Sic leg. Refertur enim ad* periodum. Habent *omnes, quod sciam.* [p] aliquando sub unam circumdictionem, ita G.

35. *suavis appellatio*] Cic. Bruto 74. *Catulus erat ille quidem minime indoctus: sed tamen suavitas vocis et lenis appellatio literarum bene loquendi famam confecerat.*

39. *In cœtu vero*] Cic. Phil. 2, 25.

tiatio, cui ſuffragatur *vox facilis, magna, beata* ‡, *flexibilis, firma, dulcis, durabilis, clara, pura, ſecans aera, auribus ſedens.* Eſt enim quædam ad auditum accommodata, non magnitudine, ſed proprietate, ad hoc velut tractabilis, utique habens omnes in ſe, qui deſiderantur, ſonos, intentioneſque, et *toto* (ut aiunt) *organo* inſtructa: cui aderit lateris firmitas, ſpiritus cum ſpatio pertinax, tum labori
non facile ceſſurus. Neque graviſſimus, ut [q] in muſica, 41
ſonus, nec acutiſſimus orationibus convenit. Nam et hic parum clarus, nimiumque plenus, nullum afferre animis motum poteſt: et [r] ille prætenuis, et immodicæ claritatis, cum eſt ultra verum, tum neque pronuntiatione flecti, ne-
que diutius ferre intentionem poteſt. Nam vox, ut nervi, 42
quo [s] remiſſior, hoc et gravior et plenior: quo tenſior, hoc tenuis et acuta magis eſt. Sic ima vim non habet, ſumma rumpi periclitatur. Mediis igitur utendum ſonis, hique [t], cum augenda intentio eſt, excitandi: cum ſubmit-
tenda, ſunt temperandi. Nam prima eſt obſervatio recte 43
pronuntiandi, *æqualitas*, ne ſermo ſubſultet imparibus ſpatiis ac ſonis, miſcens longa brevibus, gravia acutis, elata ſubmiſſis: et inæqualitate horum omnium, ſicut pedum,

‡ lata *conj. Bur.* foris G. 2. *et* Kapp. [q] autem G. Jenſ. [r] et ille—poteſt *om.* G. [s] tam Jenſ. [t] ii quoque *id.*

40. *magna, beata*] Diſplicet *beata* vox viro celeberrimo; *latam* ideo ſubſtituit: in quo illud mihi videbatur dubium, quod *latum* ubi ad vocem et pronuntiationem refertur, in vitio potius ponit noſter ſupra ſ. 10. Deinde *beatum* ad lætam quandam ubertatem ſignificandam, excludendamque inopiam aut tenuitatem pertinere, etiam ubi de voce ſermo eſt, poſſe videbatur: ut adeo *beata* vox dicatur ut *felix ingenium*, quæ virtutes omnes habeat, quæ ſufficiat una omnibus contentionibus, remiſſionibus, quæ eadem, prout opus, ſit acuta et gravis &c.

40. *auribus ſedens*] Quæ ſua ſuavitate ſic demulſit auditorem, ut etiam poſt dicendi finem, audire illam ſibi videatur, quemadmodum ille Nigrini Lucianei auditor c. 7, Τῆς φωνῆς, inquit, ὁ ἦχος ἐν ταῖς ἀκοαῖς παραμένει.

40. *toto organo inſtructa*] Cui non unus modo atque alter ſonus reſpondeat, ſed quicunque ſunt in polychordo, vel hydraulico organo, toni pareant. Vid. 11, 3, 16, ubi tubos quoſdam vel tibias intelligi, per quas ſpiritus meet, apertum eſt: ſectione vero 169, *organum* eſſe ſyſtema plurium ſonorum. Elegans Tertulliani deſcriptio ex lib. de Anima c. 14, etiam hic legatur: *Specta portentoſiſſimam Archimedis munificentiam, organum hydraulicum dico, tot membra, tot partes, tot compagines, tot itinera vocum, tot compendia ſonorum, tot commercia modorum, tot acies tibiarum, et una moles erunt omnia.* Cteſibio tribuit, et nominat Plin. 7, 37, ſ. 38, et leguntur hodie machinationes id genus in diſcipuli illius Heronis ſpiritalibus in fine. Poeticas deſcriptiones ſuppeditavimus ad Chreſtom. Plin. 47. n. 12. p. 404.

claudicet [u]. Secunda *varietas* eſt, quæ [x] ſolum [z] eſt pro-
44 nuntiatio. Ac ne quis pugnare inter ſe putet æqualitatem et varietatem; cum illi virtuti contrarium ſit vitium inæqualitas, huic, qui dicitur *μονοειδὴς*, quaſi quidam unus aſpectus. Ars porro variandi cum gratiam præbet, ac renovat aures, tum dicentem ipſa laboris mutatione [a] reficit: UT ſtandi, ambulandi, ſedendi, jacendi vices ſunt, nihil-
45 que eorum pati unum diu poſſumus. Illud vero maximum, (ſed id paullo poſt tractabimus) quod ſecundum rationem rerum, de quibus dicimus, animorumque habitus, conformanda [b] vox eſt, ne ab oratione diſcordet. Vitemus igitur illam, quæ Græce *μονοτονία* vocatur, una quædam [c] ſpiritus ac ſoni intentio: non ſolum ne dicamus omnia clamoſe, quod inſanum eſt [d]; aut intra loquendi modum, quod motu caret [e]; aut ſubmiſſo mur-
46 mure, quo etiam debilitatur omnis intentio: ſed ut in iiſdem partibus iiſdemque affectibus ſint tamen quædam non ita magnæ vocis declinationes [f], prout aut verborum dignitas, aut ſententiarum natura, aut depoſitio [g], aut inceptio, aut tranſitus poſtulabit: UT qui ſingulis pinxerunt coloribus, alia tamen eminentiora, alia reductiora fecerunt, ſine quo ne membris quidem [h] ſuas lineas dediſſent.
47 Proponamus enim nobis illud Ciceronis in oratione nobiliſſima pro Milone principium, nonne ad ſingulas pene diſtinctiones, quamvis in eadem facie, tamen quaſi vultus mutandus eſt? *Etſi vereor, judices, ne turpe ſit, pro fortiſſi-*
48 *mo viro dicere incipientem timere.* Etiamſi eſt toto propoſito contractum atque ſubmiſſum, quia et [i] exordium eſt, et ſoliciti exordium: tamen fuerit, neceſſe eſt, aliquid plenius et erectius, dum dicit, *Pro fortiſſimo viro* [l], quam

[u] ſermo *inf. id.* [x] quod G. Jenſ. [z] ſola G. *recte, puto.* [a] permutatione Jenſ. [b] confirmanda G. Jenſ. [c] quidem G. [d] *om.* Jenſ. [e] *om. id.* [f] declamationes *id.* [g] diſpoſitio G. [h] quidam Jenſ. [i] *om.* Jenſ. [l] dicere *inf. id.*

43. *quæ ſolum eſt pronuntiatio*] Neque enim pronuntiare dicas puerum, ut hoc utamur, uno tenore ſyllabas omnes quaſi adnumerantem. Cæterum quod *æqualitate* et *varietate* finit Fabius pronuntiationis rationem, id illi præſertim probabunt, qui ad perfectionis, pulchritudiniſque adeo notionem illum *diverſorum conſenſum* referunt.

46. *depoſitio, aut inceptio*] Malim tranſpoſitis verbis, quod ſolenne admodum librariis in hoc etiam opere fuit, legere, *inceptio aut depoſitio.* Hanc enim *θέσιν* intelligo, cum ad finem ſententia non illa quidem eodem plane tenore profertur, ſed nec præcipitatur, ſed moderato quodam flexu et inclinatione *deponitur.* Clarum eſt hoc ex ſ. 38, *deponam, et morabor, et novum rurſus exordium faciam.*

cum, *Etsi vereor*, et, *Turpe sit*, et, *Timere*. Jam secunda 49
respiratio increscat oportet, et naturali quodam conatu,
quo minus pavide dicimus, quæ [m] sequuntur, et quo mag-
nitudo animi Milonis ostenditur, *Minimeque deceat, cum
T. Annius ipse magis de reipublicæ salute, quam de sua per-
turbetur*. Deinde quasi objurgatio sui est, *Me ad ejus
caussam parem animi magnitudinem afferre non posse*. Tum 50
invidiosiora, *Tamen hæc novi judicii nova forma terret ocu-
los*. Illa vero jam pene apertis (ut aiunt) tibiis, *Qui, quo-
cumque inciderunt, veterem consuetudinem fori, et pristinum
morem judiciorum requirunt*. Nam sequens latum etiam
atque fusum est, *Non enim corona consessus vester cinctus est,
ut solebat*. Quod notavi, ut appareret, non solum in 51
membris caussæ, sed etiam in articulis esse aliquam pro-
nuntiandi varietatem, sine qua nihil neque majus neque
minus est. Vox autem ultra vires urgenda non est. Nam
et *suffocata* sæpe, et majore nisu minus clara est, et interim
elisa in illum sonum erumpit, cui Græci † κλωσμὸν nomen
a gallorum immaturo cantu dederunt. Nec *volubilitate* 52
nimia confundenda, quæ dicimus: qua et distinctio pe-
rit, et affectus; et nonnumquam etiam verba aliqua sui
parte fraudantur. Cui contrarium est vitium nimiæ tar-
ditatis. Nam et difficultatem inveniendi fatetur, et seg-
nitia solvit animos, et, in quo est aliquid, temporibus
præfinitis aquam perdit. Promtum sit os, non præceps:
moderatum, non lentum. Spiritus quoque nec crebro re- 53
ceptus concidat sententiam: nec eo usque trahatur, donec
deficiat. Nam et deformis est consumti illius sonus, et
respiratio sub aqua diu pressi similis, et receptus longior,
et non opportunus, ut qui fiat, non ubi volumus, sed ubi
necesse est. Quare longiorem dicturis periodum colli-
gendus est spiritus: ita tamen, ut id neque diu, neque
cum sono faciamus, neque omnino ut manifestum sit: re-
liquis partibus optime inter juncturas sermonis revocabi-
tur. Exercendus autem est, ut sit quam longissimus: 54

[m] quem Jens. † Græci nomen immaturo et Gallorum Jens. *Abest κλωσμὸν etiam in al. ap. Burm.*

50. *apertis—tibiis*] Ut nihil sit κατασπεπλασμένον s. circumlitum: vid. 1, 11, 6.

51. κλωσμὸν] Etiam Germani utuntur verbo *Krachen* gallinacei generis proprio. Utrum Græca voce usus hic sit Fabius, dubium libri faciunt. Potest illa sane abesse: et absuit a libris, quibus usus est Jensonius, qui diligenter lacunas alioqui solet notare. Habet tamen, nisi hic dormitavi, Gothanus. Vid. Juvenal. 3, 90.

quod Demoſthenes ut efficeret, ſcandens in adverſum
continuabat quam poſſet plurimos verſus. Idem, quo fa-
cilius verba ore libero exprimeret, calculos lingua volvens
55 dicere domi ſolebat. Eſt interim et longus, et plenus, et
clarus ſatis ſpiritus, non tamen firmæ intentionis, ideoque
tremulus: ut corpora, quæ aſpectu integra, nervis parum
ſuſtinentur. Id *βράγχον* Græci vocant. Sunt qui ſpiri-
tum cum ſtridore per raritatem dentium non recipiunt,
ſed reſorbent. Sunt qui crebro anhelitu, et introrſum
etiam clare ſonante, imitentur jumenta onere et jugo la-
56 borantia. Quod affectant quoque, tamquam inventionis
copia urgeantur, majorque vis eloquentiæ ingruat, quam
quæ emitti [n] faucibus poſſit. Eſt aliis concurſus oris, et
cum verbis ſuis colluctatio [o]. Jam tuſſire, et exſpuere
crebro, et ab imo pulmone pituitam trochleis adducere, et
oris humore [p] proximos ſpargere, et majorem partem ſpi-
ritus in eloquendo per nares effundere, etiamſi non uti-
que vocis ſunt vitia; quia tamen propter vocem accidunt,
57 potiſſimum huic loco ſubjiciantur. Sed quodcumque ex
his vitium magis tulerim, quam, quo nunc maxime labo-
ratur in cauſſis omnibus ſcholiſque, cantandi: quod inu-
tilius ſit, an fœdius, neſcio. Quid enim minus oratori
convenit, quam modulatio ſcenica, et nonnumquam ebri-
58 orum aut commiſſantium [q] licentiæ ſimilis? Quid ve-
ro movendis affectibus contrarium magis, quam, cum do-
lendum, iraſcendum, indignandum, commiſerandum ſit,

[n] immitti G. [o] collutatio Jenſ. [p] humores *id.* [q] comeſſ. G. Jenſ.

54. *Demoſthenes*] De cujus aliis exercitationibus vid. ad 10, 3, 25.

55. *βράγχον*] Quem ita deſcribunt Medici, v. g. Gorræus in definitionibus, ut obſcuritatem vocis a nimio humore faucium ortam intelligamus. Quam vero hoc ad Fabianam deſcriptionem faciat, vel non faciat potius, apparet. *Longum* enim, *plenum*, *clarum* præſertim, rauci ſpiritum quis dixerit? Vix igitur arbitror *βράγχον* eſſe ab auctore: quid vero ſcripſiſſe putem, non æque video. Apud Hippocratem Epid. 7, 11, de Harpalidis unctore *κυναγχικὸς βραγχώδης*; pro quo *βραγμώδη* eſſe in MSS. teſtatur Fœſius, et de ſtridore quodam, et ſonu explicat, laudato Heſychio, apud quem *βραχεῖν* eſt *ἠχῆσαι, ψοφῆσαι*. Quid ſi igitur *βραγμὸς* ſit ſonus, qualem hic deſcribit Fabius, qualiſque a figlinis vitioſis et rimam agentibus reddi ſolet? Mihi quidem n. l.

56. *concurſus oris*] Hunc ſatis videmur interpretati ad 10, 7, 8. Add. 11, 3, 121.

56. *proximos ſpargere*] Ablegat nos hic Burmannus ad ſua in Petron. c. 44 obſervata, et Schol. Ariſtoph. Achar. 1149.

57. *cantandi*] Vid. ad 11, 1, 56, ubi etiam Ciceronis *e Lycia et Caria rhetores*.

non ſolum ab iis affectibus, in quos inducendus eſt judex, recedere, ſed ipſam fori ſanctitatem ludorum talarium licentia ſolvere? Nam Cicero *illos ex Lycia et Caria rhetores*[r] *pene cantare in epilogis* dixit. Nos etiam cantandi ſeveriorem paullo modum exceſſimus. Quiſquamne, non 59
dico de homicidio, ſacrilegio, parricidio, ſed de calculis certe atque rationibus, quiſquam denique (ut ſemel finiam) in lite cantat? Quod ſi omnino recipiendum eſt, nihil cauſſæ eſt, cur non illam vocis modulationem fidibus ac tibiis, imo mehercule, quod eſt[s] huic deformitati propius, cymbalis adjuvemus. Facimus tamen hoc libenter: 60
nam nec cuiquam ſunt injucunda, quæ cantant ipſi, et laboris in hoc, quam in agendo, minus eſt. Et ſunt quidam, qui ſecundum alia vitæ vitia, etiam hac ubique audiendi, quod aures mulceat, voluptate ducantur. Quid ergo? non et Cicero dicit eſſe *aliquem in oratione cantum obſcuriorem?* Et hoc quodam naturali initio[t] venit. Oſtendam[u] non multo poſt, ubi et quatenus recipiendus ſit hic flexus, et cantus quidem, ſed (quod[v] plerique intelligere nolunt) obſcurior. Jam enim tempus eſt dicendi, 61
quæ ſit *apta pronuntiatio:* Quæ certe ea eſt, quæ iis, de quibus dicimus, accommodatur: quod quidem[x] maxima ex parte præſtant ipſi motus animorum, ſonatque vox, ut feritur. Sed cum ſint alii veri affectus, alii ficti et imitati: veri naturaliter erumpunt, ut dolentium, iraſcentium, indignantium; ſed carent arte, ideoque non ſunt

[r] rhetoras Jenſ. [s] in Jenſ. *ſphal.* [t] *Sic* Jenſ. *et al. ap. Burm.* vitio *al.* [u] oſtendimus Kapp. [v] quid—volunt Jenſ. [x] quidam Jenſ.

58. *ludorum talarium*] Qui ſint *talares ludi*, nemo, puto, facile dixerit. *Talarium ludum* memorat Cic. Off. 1, 42. Proverbii vim habere *talares ludos in foro*, ad importunam levitatem ſignandam, arbitratur Werlhofius meus, et ad Cic. Phil. 2, 23, provocat; *Hominem omnium nequiſſimum, qui non dubitaret vel* in foro alea ludere, *lege quæ eſt de alea condemnatum qui in integrum reſtituit, is non apertiſſime ſtudium ſuum ipſe profitetur?* Dixerit igitur Fabius, qui cantet in foro, eum non minus levem et nequam videri, quam qui talis ludat. Alioqui in mentem mihi veniebat ſyllaba una omiſſa legere *ludorum talium*.

60. *naturali initio*] Ut nimirum artium, et rerum omnium bonarum initia quædam ſunt in ipſa natura hominum inſita, quæ deinde diſciplina et exercitatione augentur: ſic etiam Muſices et cantus quædam initia ſunt in illis, quæ τὰ πρῶτα naturæ vocantur. *Naturali* quodam *initio* cantillant homines h. e. tollunt vocem et ſubmittunt, corripiunt et producunt.

61. *ut feritur*] Prout ab animo, cujus imperio parent nervi, *feritur*, tangitur, percutitur ac proinde movetur, lingua cum organis reliquis.

62 diſciplinæ traditione formandi [z]. Contra qui effinguntur imitatione, artem habent: ſed hi carent natura: ideoque in his primum eſt bene affici, et concipere imagines rerum, et tamquam veris moveri: ſic [a] velut media vox, quem habitum a noſtris acceperit, hunc judicum animis dabit. Eſt enim mentis index [b] et velut exemplar, ac tot-
63 idem, quot illa, mutationes habet. Itaque lætis in rebus *plena*, *ſimplex*, et ipſa quodammodo *bilaris* fluit: at in certamine *erecta* totis viribus, et velut omnibus nervis intenditur. *Atrox* in ira, et *aſpera* ac *denſa*, et reſpiratione crebra. Neque enim poteſt eſſe longus ſpiritus, cum immoderate effunditur. Paullulum in invidia facienda *lentior* [c], quia non fere ad hanc niſi inferiores confugiunt: at [d] in blandiendo, fatendo, ſatisfaciendo, rogando, *lenis*
64 et *ſubmiſſa*. Suadentium, et monentium, et pollicentium, et conſolantium *gravis*. In metu et verecundia *contracta*, adhortationibus *fortis*, diſputationibus *teres*, miſeratione *flexa* et *flebilis* [e], et conſulto quaſi obſcurior: at [f] in egreſſionibus *fuſa*, et ſecuræ claritatis, in expoſitione ac ſermonibus *recta*, et inter acutum ſonum et gravem me-
65 dia. *Attollitur* autem concitatis affectibus, compoſitis *deſcendit*, pro utriuſque rei [g] modo altius vel inferius. Quid autem quiſque in dicendo poſtulet locus, paullum differam, ut de geſtu prius dicam: qui et ipſe voci conſentit, et animo cum ea ſimul paret. Is quantum habeat in oratore momenti, ſatis vel ex eo patet, quod pleraque,
66 etiam citra verba, ſignificat. Quippe non manus ſolum, ſed nutus etiam declarant noſtram voluntatem, et in mutis pro ſermone ſunt, et ſaltatio [h] frequenter ſine voce intelli-

[z] firmandi *id.* diſciplina et ratione formandi *V. C. Alm. quod Burmanno placet: mihi quidem vehementer.* [a] ſi velit m. v. q. animum a. n. accepit G. [b] index et *om.* G. [c] lenior G. levior Jenſ. [d] et G. [e] flexibilis Jenſ. *male.* [f] at ingreſſionibus Jenſ. [g] *om.* G. [h] ſalutatio G. Jenſ. *cum rel.* ſaltatio *e V. C. Alm. et Vallæ libro a Burmanno reſtit. Eſt etiam in marg. Aſcenſ.* 1519. *f.*

62. *concipere imagines*] Vid. 6, 2, 29. it. 10, 7, 15.

62. *mentis index*] Quin ipſe foras prodiens animus, quod ipſum quoque Græcorum λόγος declarat.

64. *diſputationibus teres*] Quam *volubilem* alias appellamus. Nimirum *teres* cylindri naturam exprimit proprie, qui ἀπὸ τῦ κυλίειν, a *volvendo*, nomen habet. Sic ſapiens Horatianus eſt *totus*, *teres atque rotundus* Sat. 2, 7, 86, qui facile ſe quorſum opus eſt moveat, nuſquam adhæreſcat &c.

66. *ſaltatio*] Apud me quidem dubio caret Burmanniana emendatio, cum *ſaltatoris* hoc ſignificatu mentionem faciat noſter deinde ſ. 89: et fecit *ſaltationis* 1, 11, 18, ſq. Qui plene edoceri cupit, qualis

gitur, atque afficit, et ex ingreſſu vultuque perſpicitur ha-
bitus animorum : et [i] animalium quoque, ſermone caren-
tium, ira, lætitia, adulatio, et oculis, et quibuſdam aliis
corporis ſignis deprehenditur. Nec mirum ſi iſta, quæ 67
tamen in aliquo ſunt poſita motu, tantum in animis va-
lent, quum pictura, tacens opus, et habitus ſemper ejuſ-
dem, ſic in intimos penetret affectus, ut ipſam vim dicen-
di nonnumquam ſuperare videatur. Contra ſi geſtus ac
vultus ab oratione [l] diſſentiant, triſtia dicamus hilares, af-
firmemus aliqua renuentes : non auctoritas modo verbis,
ſed etiam fides deſit. Decor quoque a geſtu atque a motu
venit. Ideoque Demoſthenes grande quoddam intuens 68
ſpeculum, componere actionem ſolebat. Adeo, quamvis
fulgor ille [m] ſiniſtras imagines reddat [n], ſuis demum oculis
credidit, quod efficeret. Præcipuum vero in actione,
ſicut in corpore ipſo, caput eſt, cum ad illum [o], de quo
dixi, decorem, tum etiam ad ſignificationem decoris.
Illa ſunt, ut ſit primo rectum, et ſecundum naturam. 69
Nam et [p] dejecto humilitas, et ſupino arrogantia, et in
latus inclinato languor, et [q] præduro ac rigente barbaria
quædam mentis oſtenditur. Tum accipiat aptos ex ipſa
actione motus, ut cum geſtu concordet, et manibus ac la-
teribus obſequatur [r]. Aſpectus enim ſemper eodem verti- 70
tur, quo geſtus, exceptis quæ aut damnare, aut non [s] con-
cedere, aut a nobis removere oportebit : ut idem illud
vultu videamur averſari, manu repellere :

[i] ex *inſ.* G. *male.* [l] oratore G. [m] in *inſ.* Jenſ. [n] reddet *id.* [o] ipſum *id.* [p] *om.* G. [q] *om.* Jenſ. [r] conſequatur *id.* [s] *om.* G. Jenſ.

et quantæ artis illa fuerit ſaltatio, legat Luciani de ea, hoc eſt enim περὶ ὀρχήσεως, libellum. Mimorum et Pantomimorum apud Romanos ſummam hanc artem fuiſſe, conſtat, et oſtendit O. Ferrarius. Si tamen omnino *ſalutationem* retinere quis velit, hoc intelligemus, ſæpe eam nutu conjectuque oculorum peragi.

67. *vim dicendi—ſuperare*] De eo etiam noſtra ætate diſputatur, utrum plus in animos poeſis poſſit an pictura? qua de re poſt alios nuper Carolus la Motte in Tentamine Anglice ſcripto de poeſi et pictura.

68. *Demoſthenes—ſpeculum*] Non tacuere neque Plutarchus, neque Lucianus &c. De P. Francio externæ eloquentiæ ſummo et artifice et doctore, idem hic docet Burmannus.

68. *ſiniſtras imagines*] Si ad ſpeculum dicas, quos tu geſtus dextra manu peregeris, eos imago ſua ſiniſtra perficiat. Si dextrum claudas oculum, imaginis clauſus eſt ſiniſter &c. Sed nimirum a pueris adſueſcimus ei rei, ut fraudi eſſe vix jam poſſit.

69. *ſupino arrogantia*] Videtur enim altiorem locum adfectare, ſumma petere : ideo *exoſa eſt ſupinitas*, vid. ſ. 122.

——— *Dii talem terris avertite peſtem.*

Et,

——— *Haud equidem tali me dignor honore.*

71 Significat vero plurimis modis. Nam præter annuendi,
renuendi, confirmandique motus, ſunt et verecundiæ, et
dubitationis, et admirationis, et indignationis noti et
communes omnibus. Solo tamen eo facere geſtum ſce-
nici quoque doctores vitioſum putaverunt. Etiam fre-
quens ejus nutus non caret vitio : adeo [t] jactare id, et co-
72 mas excutientem rotare, fanaticum eſt. Dominatur au-
tem maxime vultus. Hoc ſupplices, hoc minaces, hoc
blandi, hoc triſtes, hoc hilares, hoc erecti, hoc ſubmiſſi
ſumus : hoc pendent homines, hunc [u] intuentur, hunc [u]
ſpectant, etiam ante quam dicamus [x] : hoc quoſdam ama-
mus, hoc odimus, hoc plurima [z] intelligimus : hic eſt ſæpe
73 pro [a] omnibus verbis. Itaque [b] in iis, quæ ad ſcenam
componuntur, fabulis, artifices pronuntiandi a perſonis
quoque affectus mutuantur : ut ſit *Niobe* in tragœdia *triſ-*
74 *tis, atrox Medea, attonitus Ajax, truculentus Hercules.* In
comœdiis vero præter aliam obſervationem, qua ſervi, le-
nones, paraſiti, ruſtici, milites, vetulæ [c], meretriculæ, an-
cillæ ; ſenes auſteri ac mites, juvenes ſeveri ac luxurioſi,
matronæ, puellæ, inter ſe diſcernuntur : pater ille, cujus
præcipuæ partes ſunt, quia interim concitatus, interim
lenis eſt, altero erecto, altero compoſito eſt ſupercilio : at-
que id oſtendere maxime latus [d] actoribus moris eſt, quod
75 cum iis, quas agunt, partibus congruat. Sed in ipſo
vultu plurimum valent oculi, per quos maxime animus
emanat, ut citra motum quoque et hilaritate eniteſcant [e],
et triſtitia quoddam nubilum ducant. Quinetiam lacri-
mas his natura mentis indices dedit : quæ aut erumpunt

[t] ideo G. Jactare id comaſque, et concutientem rotare phreneticum eſt *Obr. ultima vox orta forte ex* phanaticum. [u] hoc Jenſ. *bis.* [x] dicimus G. [z] plura G. [a] præ G. [b] Ita G. [c] *om.* G. Jenſ. *recte, puto.* [d] *Sic* G, Jenſ. *it. Voſſ.* 2. Latiis *liber Vallæ et marg. Aſc.* 1519. *f.* Latinis *eſt ex conj. Regii, recepta a rel.* [e] eniteſcat—ducat G.

70. *Dii talem*] Æn. 3, 620. *Haud equidem* Æn. 1, 335.

71. *comas excutientem rotare*] Hcc eſt, vehementer adeo circumagere, ut comæ reſiliant quaſi a capite, et excutiantur. *Fanaticum* id eſſe Bacchæ loquuntur, et Pythia, et illa apud Maronem 6, 48, Sibylla, cui *non vultus, non color unus, Non comtæ manſere comæ.*

dolore, aut lætitia[f] manant. Motu vero intenti, remiſſi,
ſuperbi, torvi, mites, aſperi fiunt: quæ, ut actus popoſce-
rit, fingentur. Rigidi vero et extenti, aut languidi et 76
torpentes, aut[g] ſtupentes, aut laſcivi et[h] mobiles, aut na-
tantes, et quadam voluptate ſuffuſi, aut limi, et (ut ſic di-
cam) venerei[i], aut poſcentes aliquid, pollicenteſve non[l]
numquam eſſe debebunt. Nam opertos compreſſoſve eos
in dicendo quis, niſi plane rudis aut ſtultus, habeat? Et 77
ad hæc omnia exprimenda in palpebris etiam et in genis
eſt quoddam deſerviens[m] his miniſterium. Multum et
ſuperciliis agitur. Nam et oculos formant[n] aliquatenus, 78
et fronti imperant. His contrahitur, attollitur, demitti-
tur[o]: ut una res in ea plus valeat, ſanguis ille, qui men-
tis habitu movetur, et, cum infirmam verecundia cutem
accipit, effunditur in ruborem: cum metu refugit, abit
omnis, et pallore frigeſcit: temperatus medium quoddam
ſerenum efficit. Vitium in ſuperciliis, ſi aut immota ſunt 79
omnino, aut nimium mobilia, aut inæqualitate (ut modo
de perſona comica dixeram) diſſident, aut contra id, quod
dicimus, finguntur. *Ira*[p] enim contractis, *triſtitia* de-
ductis, *hilaritas* remiſſis[q] oſtenditur. Annuendi quoque
et[r] renuendi ratione demittuntur, aut allevantur. Nari- 80
bus labriſque non fere quidquam decenter oſtendimus,
tametſi deriſus[s], contemtus, faſtidium ſignificari[t] ſolet.
Nam et *corrugare nares*, (ut Horatius ait) et inflare, et
movere, et digito inquietare, et impulſu ſubito ſpiritum
excutere, et diducere ſæpius, et plana manu reſupinare,
indecorum eſt: cum emunctio etiam frequentior[u] non
ſine cauſſa reprehendatur. Labra et[x] porriguntur male, 81
et ſcinduntur, et adſtringuntur, et diducuntur[z], et dentes

[f] lætitiæ Jenſ. [g] aut ſtup. *om. id.* [h] aut mob. et Jenſ. [i] venere G. [l] *om.* G. Jenſ. [m] obſerviens Jenſ. [n] et G. [o] emittitur G. Jenſ. [p] Ut Jenſ. [q] pudor *inſ. id.* [r] renuendive G. Jenſ. [s] deriſim Jenſ. [t] ſignificare G. Jenſ. [u] frequenter *iid.* [x] *om.* Kapp. [z] deduc. G. Jenſ. G. 2.

79. *modo—dixeram*] ſ. 74. Huc referemus etiam illa Piſonis ſupercilia, *alterum ad frontem ſublatum, alterum ad mentum depreſſum*, ap. Cicer. c. 6.

80. *ut Horatius ait*] Epiſt. 1, 5, 23. *Ne ſordida mappa Corruget nares.*

81. *Labra—ſcinduntur*] Quid hic ſibi velit *labra ſcindere*, equidem me non ſatis adſequi fateor. Cogitabam, an non *ſcindi* queant dici labra, cum a forti compreſſione ſubito laxantur, et cum poppyſmate quodam diſſiliunt. Werlhofius hoc ſpectans, quod *ſcindere* labra oppoſitum eſt *porrigendis*, ſimpliciter *ſcindi* dicit, cum a porrectione illa antrorſum facta, ſubito in utrumque latus trahuntur.

nudant, et in latus ac pene ad aurem trahuntur, et velut quodam faſtidio replicantur, et pendent, et vocem tantum altera parte dimittunt. Lambere quoque ea et mordere, deforme eſt: cum etiam in efficiendis verbis modicus eorum eſſe debeat motus. Ore enim magis, quam
82 labris, loquendum eſt. Cervicem rectam [a] oportet eſſe, non rigidam aut ſupinam. Collum diverſa quidem, ſed pari deformitate et [b] contrahitur, et tenditur: ſed tenſo ſubeſt et labor, tenuaturque vox ac fatigatur. Affixum pectori mentum, minus claram, et quaſi latiorem preſſo
83 gutture facit. Humerorum raro decens allevatio atque contractio [c] eſt. Breviatur enim cervix, et geſtum quemdam humilem atque ſervilem, et quaſi fraudulentum facit, cum ſe in habitum adulationis, admirationis, metus
84 fingunt. Brachii moderata projectio remiſſis humeris, atque explicantibus ſe in proferenda manu digitis, continuos et decurrentes locos maxime decet. At cum ſpecioſius quid uberiuſque [d] dicendum eſt, ut illud, *Saxa atque ſolitudines voci reſpondent*, exſpatiatur in latus, et ipſa
85 quodammodo ſe cum geſtu fundit oratio. Manus vero, ſine quibus trunca eſſet actio ac [e] debilis, vix dici poteſt, quot motus habeant, cum pene ipſam verborum copiam perſequantur. Nam ceteræ partes loquentem adjuvant,
86 hæ (prope eſt [f] ut dicam) ipſæ loquuntur. An non his poſcimus? pollicemur? vocamus? dimittimus? minamur? ſupplicamus? abominamur? timemus? interrogamus? negamus [g]? gaudium, triſtitiam, dubitationem, confeſſionem, pœnitentiam, modum, copiam, numerum, tempus,
87 oſtendimus? Non eædem concitant? ſupplicant? inhibent? probant? admirantur? verecundantur? Non [h] in demonſtrandis locis atque perſonis adverbiorum atque pronominum obtinent vicem? ut in tanta [i] per omnes gentes nationeſque linguæ diverſitate hic mihi omnium homi-
88 num communis ſermo videatur. Et ii quidem, de quibus ſum locutus, cum ipſis vocibus naturaliter exeunt geſtus: alii ſunt, qui res imitatione ſignificant: ut ſi [l] ægrum, tentantis venas medici ſimilitudine, aut citharœ-

[a] erectam Jenſ. [b] *om.* Jenſ. [c] contradictio G. [d] uberius *id.* [e] *om. id.* [f] ſunt *id.* [g] *om.* Jenſ. [h] nonne *id.* [i] cantu G. [l] ſe Jenſ.

81. *vocem tantum altera parte dimittunt*] Imitantur hoc geſtu eos, qui altero labiorum angulo tubulum tenent Nicotianæ, altero apertiore fumum efflant.

84. *Saxa atque ſolitudines*] Ex Or. pro Arch. c. 8.

dum, formatis ad modum percutientis nervos manibus, oſtendas: quod eſt genus quam longiſſime in actione fugiendum. Abeſſe enim plurimum a ſaltatore debet ora- 89
tor, ut ſit geſtus ad ſenſus magis, quam ad verba, accommodatus: quod etiam hiſtrionibus paullo gravioribus facere moris fuit. Ergo ut ad ſe manum referre, cum de ſe ipſo loquatur, et in eum, quem demonſtret, intendere, et aliqua his [m] ſimilia permiſerim: ita non, effingere ſtatus quoſdam, et, quidquid dicet, oſtendere. Neque id in 90
manibus ſolum, ſed in omni geſtu ac voce ſervandum eſt. Non enim aut in illa periodo, *Stetit ſoleatus Prætor populi Romani*, inclinatio incumbentis in mulierculam Verris effingenda eſt: aut in illa, *Cædebatur in medio foro Meſſanæ*, motus laterum, qualis eſſe ad verbera ſolet, torquendus: aut vox, qualis dolore exprimitur, eruenda. Cum mihi 91
comœdi quoque peſſime facere videantur, qui, etiamſi juvenem agant, cum tamen in expoſitione aut ſenis ſermo, ut in *Hydriæ prologo*, aut mulieris, ut *in Georgo*, incidit, tremula vel effeminata voce pronuntiant. Adeo in illis quoque eſt aliqua vitioſa imitatio, quorum ars omnis conſtat imitatione. Eſt autem geſtus ille maxime communis, 92
quo medius digitus in pollicem contrahitur explicitis tribus, et principiis utilis cum leni [n] in utramque partem motu modice prolatus, ſimul capite atque humeris ſenſim ad id, quo [o] manus feratur, obſecundantibus: et in narrando certus, ſed tum paullo productior: et in exprobrando et arguendo acer atque inſtans. Longius enim 93
partibus his et liberius exſeritur. Vitioſe vero idem ſiniſtrum quaſi humerum petens in latus agi ſolet: quamquam adhuc pejus aliqui tranſverſum brachium [p] proferunt, et cubito pronuntiant. Duo quoque medii ſub pollicem veniunt: et eſt hic adhuc priore geſtus inſtantior, principio et narrationi non accommodatus. At cum tres 94
contracti pollice premuntur, tum [q] digitus ille, quo uſum

[m] ſibi G. [n] levi G. [o] quod G. [p] brachio Jenſ. [q] cum *id.*

89. *a ſaltatore*] Vid. ſupra ſ. 66. Add. mox ſ. 91. it. 128.

90. *Stetit ſoleatus*] Jam laudavit 8, 3, 64, ex Verr. 5, 33. *Cædebatur* Verr. 5, 62.

91. *Hydriæ—Georgo*] Menandri fabularum nomina, nec præterita Fabricio, tranſlatarum forte in Romanam conſuetudinem.

94. *digitus ille*] Cic. de Orat. 2, 45, ex perſona Antonii, *Quæ mehercule ego, Craſſe, cum a te tractantur in cauſis, horrere ſoleo: tanta vis animi, tantus impetus, tantus dolor, oculis, vultu, geſtu,* digito *denique* iſto tuo *ſignificari ſolet* &c.

optime Crassum Cicero dicit, explicari solet. Is in exprobrando et indicando (unde ei nomen est) valet: et adlevata ac spectante humerum manu paullum [r] inclinatus affirmat: versus in terram et quasi pronus urget, aliquando
95 pro numero est. Idem summo articulo utrimque leviter [s] apprehenso, duobus modice curvatis, minus tamen minimo, [t] aptus ad disputandum est. Acrius tamen argumentari videntur, qui medium articulum potius tenent: tanto contractioribus ultimis digitis, quanto priores descende-
96 runt. Est et ille verecundæ orationi [u] aptissimus, quo quatuor primis leviter in summum coeuntibus digitis, non procul ab ore aut pectore fertur ad nos manus, et deinde
97 prona ac paullulum prolata laxatur. Hoc modo cœpisse Demosthenem credo [x] in illo pro Ctesiphonte timido submissoque principio: sic formatam Ciceronis manum, cum diceret, *Si quid est in* [y] *me ingenii* [z], *judices, quod sentio quam sit exiguum.* Eadem aliquatenus liberius deorsum spectantibus digitis colligitur [a] in nos [b], et fusius paullo in diversum [c] resolvitur, ut quodammodo sermonem ipsum
98 proferre videatur. Binos interim digitos distinguimus, sed non inserto pollice, paullum tamen inferioribus intra spectantibus, sed ne illis quidem tensis, qui supra sunt.
99 Duo interim extremi palmam circa ima [d] pollicis premunt, ipse prioribus ad medios articulos jungitur: interim quartus oblique reponitur: interim quatuor remissis magis

[r] parum G. [s] leniter Jens. [t] in uno *id.* [u] actioni G. Jens. [x] creditur Jens. [y] in me *om. id.* [z] mei *inf. id.* [a] colligit *id.* [b] *Sic MSS. Alm. et al. ap. Burm.* os *rel.* [c] diversa G. Jens. [d] imam Jens.

97. *sic formatam Ciceronis*] Non credit Fabio, certe non probat hunc gestum P. Francius in Specim. Eloq. Extern. p. 63. Ac sane, sive septentrionalis plaga frigidiores nos facit, sive ætas nostra moderatior, tardiorve est, gestus quidam Quinctilianei parum decere nostros homines videntur.

97. *colligitur in nos*] Ut paullo ante *fertur ad nos manus. In os* enim *colligere* digitos ursorum puto esse aut simiarum, non oratorum. Nihil pronius fuit inter dictantem et scribentem, vel illi etiam, qui verba quædam ex autographo hausta immurmurans scriberet, quam pro *in nos* reddere *in os.* Si tamen servandum videatur *in os*, certe intelligendum est *ad os*, ut modo dixit, *non procul ab ore aut pectore:* ut deinde s. 103, *digitos, cum summi coierunt, ad os referre.* Quo propius enim ad ipsum os admoveris manum, tanto propius aberis ab illo vitio, quod reprehenditur s. 88. Quod enim subjicit, *ut quodammodo sermonem ipsum proferre videatur*, ad hoc satis esse videtur, si collecta et versus dicentem directa manus in diversum s. ad auditores dum refertur, resolvatur, ut prodire ex clauso videatur oratio.

quam tenſis, pollice intus inclinato, habilem in latus de-
monſtrando, aut diſtinguendo [e], quæ dicimus, manum faci-
mus, cum ſupina in ſiniſtrum latus, prona in alterum fer-
tur. Sunt et illi breves geſtus, cum manus leviter pan- 100
data, qualis voventium [f] eſt, parvis intervallis, et ſubaſ-
ſentientibus humeris movetur, maxime apta parce et quaſi
timide loquentibus. Eſt [g] admirationi conveniens ille
geſtus, quo manus modice ſupinata, ac per ſingulos a
minimo collecta digitos [h], redeunte flexu ſimul explicatur
atque convertitur. Nec uno modo interrogantes geſtum 101
componimus: plerumque tamen vertentes [i] manum, ut-
cumque [k] compoſita eſt. Pollici proximus digitus, me-
diumque, qua dexter eſt, unguem pollici ſummo ſuo jun-
gens, remiſſis ceteris, eſt et approbantibus, et narranti-
bus et diſtinguentibus decorus. Cui non diſſimilis, ſed 102
compreſſis [l] tribus digitis, quo nunc Græci plurimum
utuntur, etiam utraque manu, quoties enthymemata ſua
geſtu velut corrotundant [m]. Cæſim manus lenior pro-

[e] diſtinguendis G. [f] foventium *plur. ap. Burm.* fomentium *MSS. Bodl. et Alm. Unde formes facile* faventium. [g] Et Jenſ. [h] digito *id.* [i] verentes *id.* [k] utrumque G. *Vid. ad* 10, 6, 7. [l] complexis G. [m] *Sic conj. Aſcenſ. et placet Burm.* cornu tundant G. Kapp. cornu tundunt *al. et Burm.* corrotandum Jenſ. corrutenda *V. C. Alm.* corrocunda *Voſſ.* 1. corrutunda velut ceſi G. 2.

100. *pandata, qualis voventium eſt*] *Pandatam* manum intelligo inflexam ſurſum a ſuperiore parte, quæ volæ eſt oppoſita; *pandari* enim dicuntur animalia, quorum ſpina ab onere deorſum premitur, ut circuli ſegmentum verſus ſuperiora patens ea inclinatione efficiatur. Utrum vero ſic *pandata manus voventium*, an *foventium*, an *faventium* denique geſtus ſit, non habeo dicere, niſi quod *ſupinas* manus potius ad preces et *vota* pertinere, Horatiana Phidyle docet Od. 3, 23, 1. Verum in votis non ſolennibus illis, ſed in quotidianum ſermonem incidentibus, eum *pandatæ manus, et ſubaſſentientium humerorum*, geſtum adhiberi, apparet.

102. *corrotundant*] In enthymemate ineſt collectio, concluſio, principii aliqua cum fine conjunctio; hæc itaque ſignatur circulo quodam, quem format index digitus *unguem medium ſummo ſuo pollici jungens*. Græci igitur eo geſtu *corrotundant* enthymemata, h. e. ſignificant ipſo geſtu λέξιν ϛρογγύλην ſ. rotundam, quam eandem δικανικὴν vocat Dionyſ. Halic. Περὶ Συνθέσ. ſ. 7, extr. et Lyſiæ alias tribuit. Hæc ϛρογγύλα ῥήματα apud Ariſtoph. Acharn. 686. Sic diſplicet Juvenali 6, 449, matrona, quæ *Curvum ſermone rotato Torqueat enthymema*. *Corrotundare* igitur, verbum Petronio etiam et Senecæ uſurpatum, eſt συϛρογγυλίζειν. Certe hæc melius, puto, intelliguntur, quam quid ſit *enthymemata ſua velut cornu cæſim tundere*. Ipſum primo *tundere enthymemata ſua* non poteſt, credo, ſignificare, petere adverſarium enthymematis. Deinde geſtus, quem ſignat Fabius, nihil habet, in quo *tundendi* quædam imago ſit: habet *rotundum* quid et *concluſionem*. Denique niſi *cæſim* ad ea re-

mittit et aſſentatur, citatior hortatur, interim laudat. Eſt et ille urgentis orationem geſtus vulgaris magis, quam ex arte, qui contrahit alterno celerique motu, et explicat
103 manum. Eſt et illa cava, et rara, et ſupra humeri altitudinem elata cum quodam motu velut hortatrix[n] manus, a peregrinis ſcholis jam[o] prope recepta. Tremula, ſcenica eſt. Digitos, cum ſummi coierunt, ad os referre, cur quibuſdam diſplicuerit[p], neſcio. Nam id[q] et leviter[r] admirantes, et interim ſubita indignatione, velut paveſ-
104 centes, et deprecantes, facimus. Quin compreſſam etiam manum in ſignum pœnitentiæ vel iræ pectori admovemus, ubi vox vel inter dentes expreſſa non dedecet, *Quid nunc agam? Quid faciam?* Averſo pollice demonſtrare aliquid, receptum magis puto, quam oratori decorum.
105 Sed cum omnis motus ſex partes habeat, ſeptimuſque ſit ille, qui in ſe redit, orbis, vitioſa eſt una circumverſio: reliqui, ante nos, et dextra lævaque, et ſurſum et deorſum
106 aliquid oſtendunt: in poſteriora geſtus non dirigitur. Interim tamen velut rejici ſolet. Optime autem manus a ſiniſtra parte incipit, in dextra deponitur: ſed ut deponi[s], non ut ferire videatur: quamquam et in fine interim cadit, ut cito tamen redeat: et nonnumquam reſilit vel negantibus nobis, vel admirantibus. Hic veteres artifices illud recte adjecerunt, *ut manus cum ſenſu et inciperet, et deponeretur*[t]. Alioqui enim aut ante vocem erit geſtus,
107 aut poſt vocem: quod eſt utrumque deforme. In illo lapſi nimia ſubtilitate ſunt, quod[u] intervallum motus tria verba eſſe voluerunt: quod nec obſervatur, nec fieri poteſt, ſed illi quaſi menſuram tarditatis celeritatiſque aliquam eſſe voluerunt, nec immerito, ne aut diu[x] otioſa eſſet manus, aut (quod multi faciunt) actionem continuo
108 motu conciderent. Aliud eſt, quod et[z] ſit frequentius et magis fallit. Sunt quædam latentes[a] ſermonis percuſſiones, et quaſi aliqui pedes, ad quos[b] plurimorum geſtus cadit,

[n] ornatrix G. [o] tamen G. [p] diſpliciunt Jenſ. [q] *om.* G. [r] leniter G. Jenſ. [s] ponere *iid.* [t] deponeret *iid.* [u] qui G. [x] divo Jenſ. [z] *om. id.* [a] latentis G. Jenſ. [b] aliquos G.

feras quæ ſequuntur, quæ ſit *manus lenior*, aut quis ſit promittentis geſtus, plane non intelligitur. *Cæſim* vero h. e. extrorſum projecta manu *promittimus* &c.

103. *rara*] Intelligo *raram manum*, in qua divaricantur aliquantum digiti.

108. *latentes percuſſiones*] Hodie vulgus *ſcanſiones* vocant, quæ enumeratione pedum potius, quam ſententia perpendenda et quaſi appendenda, conſtant.

ut ſit unus motus, *Novum crimen:* alter, *C. Cæſar:* tertius, *Et ante hanc diem:* quartus, *Inauditum*[c]*:* deinde, *Propinquus meus:* et, *Ad te Quintus Tubero detulit.* Unde 109
id quoque fluit vitium, ut[d] juvenes, cum ſcribunt, geſtu[e] præmodulati cogitationem ſic componant, quo modo caſura manus eſt[f]. Inde et illud vitium, ut geſtus, qui in fine dexter eſſe debet, in ſiniſtrum[g] frequenter deſinat. Melius illud, cum ſint in ſermone omni brevia quædam 110
membra, ad quæ, ſi neceſſe ſit, recipere ſpiritum liceat, ad hæc geſtum diſponere: ut puta, *Novum crimen, C. Cæſar,* habet per ſe finem quemdam ſuum, quia ſequitur conjunctio: deinde, *Et ante hanc diem inauditum*[h], ſatis circumſcriptum eſt. Ad hæc commodanda manus eſt, idque dum[i] erit prima et compoſita actio. At ubi jam calor 111
eam concitaverit, etiam geſtus cum ipſa orationis celeritate crebreſcet. Aliis locis citata, aliis preſſa conveniet pronuntiatio. Illa tranſcurrimus, congerimus, abundamus, feſtinamus: hac[l] inſtamus, inculcamus, infigimus[m]. Plus autem affectus habent lentiora: ideoque[n] Roſcius citatior, Æſopus gravior fuit, quod ille comœdias, hic tragœdias egit. Eadem motus[o] quoque obſervatio eſt. Ita- 112
que in fabulis, juvenum, ſenum, militum, matronarum gravior ingreſſus eſt: ſervi, ancillæ[p], paraſiti, piſcatores citatius moventur. Tolli autem manum artifices ſupra oculos, demitti infra pectus vetant: adeo a capite eam[q] petere, aut ad imum ventrem deducere, vitioſum habetur. At[r] ſiniſtram intra humerum promovere[s], ultra non de- 113

[c] Non auditum G. Jenſ. [d] et Jenſ. [e] geſtus G. *Malim,* Geſtum præmodulati cogitatione. [f] ſit G. Jenſ. [g] ſiniſtram Jenſ. [h] non aud. G. Jenſ. [i] erupit *inſ.* Jenſ. [l] ac *id.* [m] infingimus *id.* [n] ideo G. [o] motuſque G. [p] ancillulæ *id.* [q] eum G. Jenſ. [r] *Sic* G. Jenſ. *et plur. ap. Burm.* Ad *al.* [s] *Sic iid.* promovetur *rel.*

109. *geſtu præmodulati*] Melius mihi videbar intelligere, ſi legamus *Geſtum præmodulati cogitatione.* Inter commentandum ſcribendumque de geſtu ad illos pedes, ad illas percuſſiones, accommodando cogitant; unde fit, ut componant nonnunquam, ſicut præmodulati et geſticulati intra animum ſunt; cum veritas poſtulet, ut in pronuntiando demum geſtus ad ipſam orationem accommodetur. *Inde,* nimirum ab illa percuſſione et enumeratione pedum, quos alternatim dextra ſiniſtraque manu peragunt, *et illud vitium* eſt &c. Melius itaque non ad pedes, ſed ad illa membra brevia, quæ commate hodie ſignari, magna commoditate ſtudiorum, ſolent, geſtus diſponitur.

112. *ſervi—citatius moventur*] Hinc ille in Heautontimorumeni prologo v. 37, *Servus currens* non minus diſerte ſignatus, quam *iratus ſenex, edax paraſitus, ſycophanta impudens, avarus leno.*

113. *At ſiniſtram*] Dixerat de manibus generatim, *ſupra oculos*

cet. Sed cum averſantes in lævam partem velut propellemus manum, ſiniſter humerus proferendus, ut cum capite
114 ad dextram ferente conſentiat. Manus ſiniſtra numquam ſola geſtum recte facit: dextræ ſe frequenter accommodat, ſive in digitos argumenta digerimus, ſive averſis in ſiniſtrum palmis abominamur, ſive objicimus adverſas, ſive in latus utramque [t] diſtendimus, ſive ſatisfacientes,
115 aut ſupplicantes. Diverſi autem ſunt hi geſtus, ſive [u] ſubmittimus, ſive adorantes attollimus, ſive aliqua demonſtrationi aut invocationi protendimus, *Vos Albani tumuli atque luci.* Aut Gracchanum illud, *Quo me miſer conferam? quo [v] vertam? in Capitoliumne? at [x] fratris ſanguine redundat: an domum? matremne [y] ut miſeram lamentantem-*
116 *que videam et abjectam?* Plus enim affectus in his junctæ exhibent manus. In rebus parvis, triſtibus, mitibus, breves [z]; magnis, lætis, atrocibus, extenſiores [a] ſunt. Vitia quoque earum ſubjicienda ſunt, quæ quidem accidere
117 etiam exercitatis actoribus ſolent. Nam geſtum poculum poſcentis, aut verbera minantis, aut numerum quingentorum flexo pollice efficientis, quæ ſunt a quibuſdam ſcrip-
118 toribus notata, ne in ruſticis quidem vidi [b]. At ut brachio exſerto introſpiciatur [c] latus, ut manum alius ultra

[t] utrumque Jenſ. [u] *om.* G. Jenſ. [v] quo vertam *om. iid.* [x] ad ſanguinem. an domum. plus *reliquis om.* G. Jenſ. [y] matremne—abjectam *om. iid.* [z] brevibus Jenſ. [a] extro res G. [b] dixi aut Jenſ. [c] in *inſ.* G.

non tollendas: nunc ſiniſtræ terminum etiam anguſtiorem ponit, *intra humerum.* Obſcuriorem fecit librariis ſententiam, et corruptioni occaſionem dedit verbum *decet* ſemel modo in fine poſitum, ſed quod intelligi debet etiam poſt *promovere.*

115. *Vos Albani*] Pro Milon. 31. *Quo me miſer* fragmentum ex oratione Gracchi, quod totidem verbis legitur ap. Cic. Orat. 3, 56.

116. *breves—extenſiores—earum*] Quorſum hæc referuntur? ad *manus* puto, h. e. geſtus manuum.

117. *numerum quingentorum*] Hunc ita deſcribit Ven. Beda, *Quum dicis quinquaginta, pollicem exteriori artu inſtar Græcæ literæ* Γ *curvatum ad palmam inclinabis: quingenta vero in dextra, quemadmodum quinquaginta in læva facies.* Convenit Nic. Smyrnæus, ut compoſitum utrumque edidit in Spicilegio Evang. P. Poſſinus, et cum hoc Fabricius p. 166. ſq.

118. *introſpiciatur latus*] An nudum, quod Athenis in χειροτονίαις ſ. ſuffragiis ferendis factum ſcimus ex Schol. Ariſtoph. Ἐκκλησ. 60, et alias. Veteres etiam Romanos tunica manicata non uſos conſtat; *exſertoſque Cethegos* hinc dici apud Lucanum 2, 543, et Sil. 8, 587, antiquitatis illius tenaces; ac tales eſſe Græcorum ἐξωμίας ſ. viros, philoſophos præſertim, ἐξωμίδα indutos, de quo habitu Salmaſ. ad Tertull. de Pallio p. 253, ſq. Fabric. ad Sext. Empir. 1, 14, p. 39. Sed Quinctiliani ætate hoc inſolitum fuiſſe, vel hic ipſe locus docet. Quin Cato Uticenſis jam reprehen-

ſinum proferre non audeat, alius, in quantum patet lon-
gitudo, protendat, aut ad tectum erigat, aut repetito ultra
lævum humerum geſtu ita in tergum flagellet, ut conſiſ-
tere poſt eum parum tutum ſit, aut ſiniſtrum ducat orbem,
aut temere ſparſa manu in proximos offendat, aut cubitum
utrumque in diverſum latus ventilet[d], ſæpe ſcio eve-
nire[e]. Solet eſſe et pigra, et trepida, et ſecanti ſimilis : 119
interim etiam uncis digitis, aut[f] a capite dejiciatur, aut
eadem manus ſupinata in ſuperiora jactetur. Fit et ille
habitus, qui eſſe in ſtatuis pacificator ſolet, qui, inclinato
in humerum dextrum capite, brachio ab aure protenſo,
manum infeſto pollice extendit : qui quidem maxime pla-
cet iis, qui ſe dicere *ſublata manu* jactant. Adjicias licet 120
eos, qui ſententias vibratis digitis jaculantur, aut manu
ſublata denuntiant, aut (quod per ſe interim recipiendum
eſt) quoties aliquid ipſis placuit, in ungues eriguntur : ſed
vitioſum id faciunt, aut digito, quanto plurimum poſſunt,
erecto, aut etiam duobus, aut utraque manu ad modum
aliquid portantium compoſita. His accedunt vitia non 121
naturæ, ſed trepidationis, cum ore concurrente rixari, ſi
memoria fefellerit, aut cogitatio non ſuffragetur, quaſi
faucibus aliquid obſtiterit inſonare, in adverſum tergere
nares, obambulare ſermone imperfecto, reſiſtere ſubito,
et laudem ſilentio poſcere : quæ omnia perſequi prope in-
finitum eſt. Sua enim cuique ſunt vitia. Pectus ac ven- 122
ter ne projiciantur[g], obſervandum. Pandant enim poſte-
riora, et eſt odioſa omnis ſupinitas. Latera cum geſtu

[d] ventillet Jenſ. [e] venire *id.* [f] *Vid. leg.* ut. [g] projiciatur G.

ſus eſt, qui in prætura ἀχίτων, *ſine tunica*, jus diceret, vid. Plut. p. m. 1431 et 1447. Steph. Val. Maximus 3, 6, 7 : unde errat Aſconius, cum in argumento Orationis pro Scauro æſtati hoc dediſſe Catonem ait ; et Tertull. de Pall. 5, qui majorem Catonem, Græcorum illum inimicum, nominat, quod notare non neglexit Ferrarius de Re Veſt. 1, 15. Quî igitur introſpici potuit Quinctiliani ætate latus agentium, ſi tunicati erant ſub toga ? Nimirum tunicæ Romanorum erant, quod docet idem Ferrarius 3, 8, colobia, quarum manicæ modo ad cubitum pertinerent. Potuit igitur fieri, ut inter agendum, ſi laxiores eſſent, retro actæ vel replicatæ nudam partem ſubaxillarem oſtenderent.

119. *ſecanti ſimilis*] Πρίοντι, ſerra utenti. Lepide Hippocrates ſ. qui auctor eſt operis de Diæta 1, 9, Ὥσπερ οἱ τέκτονες τὸ ξύλον πρίουσι, καὶ ὁ μὲν ἕλκει, ὁ δὲ ὠθέει, τὸ αὐτὸ ποιέοντες.

119. *ſublata manu*] Sic ſupra 2, 12, 9, *Clamant ubique, et omnia levata, ut ipſi vocant,* manu *emugiunt.*

121. *cum ore concurrente rixari*] Vid. ad 10, 7, 8.

121. *laudem ſilentio poſcere*] Vid. ſ. 126 et 131. ac ſupra 4, 2, 37. Add. Plin. epiſt. 2, 14, 4.

122. *ſupinitas*] Cum retro et ſurſum acto corpore videmur con-

conſentiant. Facit enim aliquid et totius corporis motus: adeo ut Cicero plus illo agi, quam manibus ipſis putet. Ita enim dicit in Oratore, *Nullæ argutiæ digitorum, non ad numerum articulus cadens, trunco magis toto ſe ipſe mode-*
123 *rans, et virili laterum flexione.* Femur ferire, quod Athenis primus feciſſe creditur [h] Cleon, et uſitatum eſt, et indignantes [i] decet, et excitat auditorem. Idque in Callidio Cicero deſiderat, *Non frons,* inquit, *percuſſa, non femur: pedum* [l] (*quod minimum eſt*) *nulla ſupploſio.* Quamquam (ſi licet) de fronte diſſentio. Nam et complodere
124 manus ſcenicum eſt, et pectus cædere. Illud quoque raro [m] decebit, cava manu ſummis digitis pectus appetere, ſi quando noſmet ipſos alloquemur, cohortantes, objurgantes, miſerantes: quod ſi quando fiet [n], togam quoque inde removeri non decebit. In pedibus obſervantur [o] ſtatus et inceſſus. Prolato dextro ſtare, et eamdem manum
125 ac pedem proferre, deforme eſt. In dextrum incumbere [p] interim datur, ſed æquo pectore: qui tamen comicus magis, quam oratorius geſtus eſt. Male etiam in ſiniſtrum pedem inſiſtentium dexter [q] aut attollitur [r], aut ſummis digitis ſuſpenditur. Varicare ſupra modum, et in ſtando deforme
126 eſt, et, accedente motu, prope obſcenum. Procurſio opportuna, brevis, moderata, rara. Conveniens etiam ambulatio quædam, propter immodicas laudationum moras: quamquam Cicero *rarum inceſſum,* neque ita longum probat. Diſcurſare vero, et, quod Domitius Afer de Sura Manlio dixit, *ſatagere,* ineptiſſimum: urbaneque Flavius [s]

[h] *om.* G. [i] indignatos G. [l] pedum—ſupploſio *om.* G. Jenſ. [m] rara Jenſ. [n] fiat *id.* [o] obſervatur *id.* [p] procumbere *id.* [q] dextre G. [r] tollitur Jenſ. [s] Flavus Jenſ.

temtis quæ circa nos ſunt, *ſuperiora* (a *ſupra* etiam *ſupinum* eſſe puto) tantum ſpectare. Vid. ſupra ſ. 69 et 82.

122. *in Oratore*] Cap. 18, ubi totam de geſtu doctrinam ita complectitur. *Status erectus et celſus: rarus inceſſus, nec ita longus: excurſio moderata, eaque rara: nulla mollitia cervicum, nullæ argutiæ— flexione, brachii projectione in contentionibus, contractione in remiſſis.* Illud alterum de *Callidio* an *Calidio?* eſt in Bruto c. 80, locus ſane ſuaviſſimus, quem totum inſpicere, ſi elegans es, differre noli. Reſpicit etiam Fabius deinde ſ. 155.

125. *prope obſcenum*] An quod ſic denudari poſſunt facilius partes, quas velat pudor? non puto: tunicati enim erant, vel certe cincti campeſtribus: ſed ipſe geſtus habet impudens quiddam et obſcenum.

126. *laudationum moras*] Vid. ad ſ. 121. *Rarum inceſſum probat Cicero* loco modo laudato ex Orat. c. 18. Illud *de pedis ſupploſione* eſt de Orat. 3, 59. Idem Bruto c. 43, negat frequenter illa uſum eſſe Craſſum, optimum nempe oratorem, et decoris obſervantiſſimum.

Virginius interrogavit de quodam suo antisophista, *quot millia passuum declamasset*[t] *?* Præcipi et illud scio, ne ambulantes avertamur a judicibus, sed sint obliqui pedes ad consilium nobis respicientibus. Id fieri judiciis privatis non potest. Verum et breviora sunt spatia, nec aversi diu sumus. Interim tamen recedere sensim datur. Quidam et resiliunt, quod est plane ridiculum. Pedis supplosio, ut loco est opportuna, ut ait Cicero, *in contentionibus aut incipiendis, aut finiendis:* ita crebra et inepti est hominis, et desinit judicem in se convertere. Est et illa indecora in dextrum ac lævum latus vacillatio alternis pedibus insistentium. Longissime fugienda mollis actio, qualem in Titio Cicero dicit fuisse, unde etiam saltationis quoddam genus *Titius* sit appellatum. Reprehendenda est et illa frequens et concitata in utramque partem nutatio, quam in Curione patre irrisit et Junius, quærens, *quis in lintre loqueretur ?* et C.[u] Sicinius[x]: nam cum, assidente collega, qui erat propter valetudinem et deligatus, et plurimis medicamentis propter dolorem artuum delibutus, multum se Curio ex more jactasset, *Numquam*, inquit, *Octavi, collegæ tuo gratiam referes*; *qui nisi fuisset, hodie te istic muscæ comedissent*. Jactantur et humeri: quod vitium Demosthenes ita dicitur emendasse, ut, cum in angusto quodam pulpito stans diceret, hasta humero dependens immineret: ut, si calore dicendi vitare id excidisset, offensatione illa commoneretur. Ambulantem loqui ita demum oportet[z] in caussis publicis, in quibus multi sunt judices, si[a], quod dicimus, quasi singulis inculcare peculiariter velimus. Illud vero[b] non[c] ferendum[d], quod quidam, rejecta in humerum toga, cum dextra sinum usque ad lumbos reduxe-

Margin section numbers: 127 (at "ne am-bulantes"), 128 (at "Pedis supplosio"), 129 (at "Reprehendenda"), 130 (at "Jactantur et humeri"), 131 (at "Illud vero").

[t] e G. [u] *om.* G. Jens. [x] Scinius G. [z] si *ins.* G. Jens.
[a] *om. iid.* [b] *om.* Jens. [c] *om.* G. [d] referendum G.

128. *in Titio Cicero*] Bruto c. 62. *S. Titius homo loquax sane, et satis acutus, sed tam solutus ac mollis in gestu, ut saltatio quædam nasceretur, cui saltationi Titius nomen esset.*

130. *hasta humero dependens*] Plut. in vita min. p. 1552, τὸν ὦμον ἐν τῷ μελετᾷν κινοῦντα ἀπρεπῶς καταπαῦσαι, παραρτήσαντα ὀβελίσκον, ἢ (ὥς τινες) ξιφίδιον ἐκ τῆς ὀροφῆς, ἵνα φοβούμενος ἠρεμοίη. Lucian. Encom. p. 690, extr. Græv. junguntur κουρὰ, σπήλαιον, κάτοπτρον, ξίφος. Libanius in vita, Ὑπερκρεμάμενος τοῦ ὤμου τὸ ξίφος ἐν χρῷ, καὶ οὕτω τῷ δέει τῆς πληγῆς, ἐδυνήθη κατασχεῖν ἑαυτὸν ἐπὶ τοῦ πρέποντος σχήματος.

131. *dextra sinum—reduxerunt*] *Sinus* enim *decentissimus, si aliquando supra imam togam fuerit*, ut Fabius deinde monet s. 140. Si quis vero *in humerum* sinistrum (nam dexter liber est) a brachio *rejiciat* atque attollat togam, ac dextram sustinendo *ad lumbos sinu*, qui alias

runt, [e] finiſtra geſtum facientes ſpatiantur, et fabulantur: cum etiam lævam reſtringere prolata longius dextra ſit odioſum. Unde moneor, ut [f] ne id quidem tranſeam, ineptiſſime fieri, cum inter moras laudationum aut in aurem alicujus loquuntur, aut cum ſodalibus jocantur, aut nonnumquam ad librarios ſuos ita reſpiciunt, ut ſportulam
132 dictare videantur. Inclinari ad judicem, cum doceas, utique ſi id, de quo loquaris, ſit obſcurius, decet. Incumbere advocato adverſis [g] ſubſelliis ſedenti, [h] contumelioſum eſt. Reclinari etiam ad ſuos, et manibus ſuſtineri, niſi plane juſta fatigatio eſt, delicatum; ſicut palam mo-
133 neri, excidentis, aut legere. Namque in his omnibus et vis illa dicendi ſolvitur [i], et frigeſcit affectus, et [l] judex parum ſibi præſtari reverentiæ credit. Tranſire in diverſa ſubſellia, parum verecundum eſt. Nam et Caſſius Severus urbane adverſus hoc facientes lineam popoſcit. Et ſi

[e] ut *inſ.* G. Jenſ. [f] *om.* Jenſ. [g] a diverſis G. [h] jam *inſ.* Jenſ.
[i] reſolvitur *id.* [l] ut G.

ad medium crus pendet, impediat; ille ſiniſtram tanto liberiorem eo ipſo habet. Sed fruſtra, quæ hic ac deinde de togæ compoſitione habet noſter, intelligere ſtudeas, niſi ante omnia rationem veſtis illius Romanæ familiarem tibi reddideris, et tenueris firmiter, eſſe rotundam circulari ſectione in medio apertam ad eum modum, ut ſi explicatam humi ponas, utraque ejus ora circularem lineam referat, minorem majori incluſam. Per illud itaque foramen medium non caput modo exſerebatur, toga æqualiter creſcentibuſque a ſummo rugis circa corpus pendente, et utrumque continente et occultante brachium, niſi ſublata inferiore ora proferres: ſed ita laxum erat, ut cum dextro brachio humerus etiam proferri commode poſſet, quo facto neceſſario in illa parte rugæ non jam perpendiculares, ſed in tranſverſum pendentes, majores, (hi enim ſunt *ſinus*) oriuntur, cum ſiniſtræ partis oram prolata infra manus tollat. Hæc ſi quis probe cogitet, et ſtatuas veteres, quales aliquot Rubenius protulit, repetiitque Ferrarius, diligenter intueatur, evitabit multas difficultates, quibus eruditiſſimi etiam viri, ut Agamemnon veſte a Clytæmneſtra ſua data, irretiti hæſerunt: ſuperari omnes an poſſint, dubito; a me nondum ſuperatas, etiam poſt lecta, quæ ab Octavio Ferrario, A. Rubenio, et J. Frid. Gronovio eruditiſſime et ingenioſiſſime ſcripta ſunt, non diffiteor.

131. *moras laudationum*] Vid. ad ſ. 121.

131. *ſportulam dictare*] Quæ daretur, non vulgaribus modo clientibus, ſed redemtis hac ipſa *ſportula* laudatoribus. Crevit ita vitium, ut Plinii, qui diſcipulus noſtri fuit, ætate *in media baſilica* (non ut hic *dictarentur*, ſed) *tam palam* ſportulæ, *quam in triclinio, darentur*, epiſt. 2, 14, 4.

133. *lineam popoſcit*] Qua continerentur immoderati motus, ut in theatris. Nondum enim pœnitet eorum quæ tum in Fabriano Theſauro, tum ad Varron. R. R. 3, 5, 4, de theatrali *linea* dicta ſunt, quam ipſis a tergo ſedilibus ferream imminuiſſe puto, ut humeros ſedentium coerceret, ne reclinare ſe

aliquando concitate itur, numquam non frigide reditur.
Multa ex iis, quæ præcipimus, mutari neceſſe eſt ab iis, 134
qui dicunt apud tribunalia. Nam et vultus erectior, ut
eum, apud quem dicitur, ſpectet: et geſtus, ut [m] ad eumdem
tendens, elatior ſit, neceſſe eſt, et alia, quæ [n] occurrere,
etiam me tacente, omnibus poſſunt. Itemque ab
iis, qui ſedentes agunt [o]. Nam et fere fit hoc in rebus
minoribus: et iidem impetus actionis eſſe non poſſunt,
et quædam vitia fiunt [p] neceſſaria. Nam et dexter pes a 135
læva judicis ſedenti [q] proferendus eſt, et ex altera parte
multi geſtus neceſſe eſt in ſiniſtrum eant, ut ad judicem
ſpectent. Equidem pleroſque et ad ſingulas ſententiarum
clauſulas video aſſurgentes ſibi, et nonnullos ſubinde
aliquid etiam ſpatiantes: quod an deceat, ipſi viderint:
cum id faciunt, non ſedentes agunt. *Bibere*, aut 136
etiam *eſſe* inter agendum, quod multis moris fuit, et eſt
quibuſdam, ab oratore meo procul abſit. Nam ſi quis
aliter dicendi onera perferre non poſſit, non ita miſerum
eſt non agere, potiuſque [r] multo, quam et operis et hominum
contemtum fateri. *Cultus* non eſt proprius oratoris
aliquis, ſed magis in oratore [s] conſpicitur. Quare 137
ſit, ut in omnibus honeſtis debet eſſe, ſplendidus et virilis.
Nam et toga, et calceus, et capillus, tam nimia
cura, quam negligentia, ſunt reprehendenda. Eſt aliquid
in amictu, quod ipſum aliquatenus [t] temporum conditione
mutatum eſt. Nam veteribus nulli ſinus: perquam
breves poſt illos fuerunt. Itaque etiam geſtu neceſſe eſt 138
uſos eſſe in principiis eos alio [u], quorum brachium, ſicut

[m] *om.* G. [n] quoque Jenſ. [o] agent G. Jenſ. [p] ſunt G. [q] ſedentes G. Jenſ. [r] eſt *inſ.* Jenſ. [s] *Sic* G. *Bodl. Obr. et plur. ap. Burm. it. Aſc.* 1519. *f. Lugd.* 1538. 8. *et Baſill.* mora Jenſ. in ora *vel* in ore *al. ap. Burm.* more *editi plur. et Burm.* in hora *conj. Salm. Ex. Plin.* p. 232. E. *Orta diverſitas ex compendio ſcribendi.* [t] aliqua Jenſ. [u] aliquorum brachium Jenſ.

nimis in poſt ſedentes poſſent, vel impulſus ac detruſus aliquis altius ſedentium per capita inferiorum præcipitari. Locus claſſicus eſt Ovid. Am. 3, 2, 19, ubi cupidus juvenis ad puellam vicinam in gradu circi, *Quid fruſtra refugis* oſculum, aut manum, *cogit nos linea jungi*, qua impediente fruſtra reflecteris, et reclinaris.

137. *veteribus nulli ſinus*] Quod anguſtæ togæ, quod continebant brachium utrumque.

138. *quorum brachium—continebatur*] Cic. pro M. Cœlio c. 5. *Nobis quidem olim annus erat unus ad cohibendum brachium toga conſtitutus.* Loquitur de primo in forum aditu. Sen. Exc. Contr. 5, 6. *Apud patres noſtros qui forenſia ſtipendia auſpicabantur, nefas putabatur brachium extra togam exſerere.*

Græcorum, veſte continebatur. Sed nos de præſentibus loquimur. Cui lati clavi [x] jus non erit, ita cingatur, ut [z] tunicæ prioribus oris infra genua paullum, poſterioribus ad medios poplites uſque perveniant. Nam infra mulie-
139 rum eſt, ſupra centurionum. Ut purpuræ recte deſcendant, levis cura eſt. Notatur interim negligentia. Latum habentium clavum modus eſt, ut ſit paullum cinctis ſubmiſſior. Ipſam togam rotundam eſſe, et apte cæſam velim. Aliter enim multis modis fiet enormis. Pars ejus prior mediis cruribus optime terminatur, poſterior
140 eadem portione altius quam cinctura. Sinus decentiſſi-

[x] laticlavius G. [z] et Jenſ.

138. *ſicut Græcorum*] Æſchines in Timarch. p. 174. B. Οὕτως ἦσαν σώφρονες οἱ ἀρχαῖοι ἐκεῖνοι ῥήτορες, ὁ Περικλῆς καὶ ὁ Θεμιστοκλῆς καὶ ὁ Ἀριστείδης,—ὥστε, ὃ νυνὶ πάντες ἐν ἔθει πράττομεν, τὸ τὴν χεῖρα ἔξω ἔχοντες λέγειν, τότε τοῦτο θρασύ τε ἐδόκει εἶναι, καὶ εὐλαβοῦντο αὐτὸ πράττειν: ac provocat deinde ad Solonis Salamine ſtatuam, in qua ἀνάκειται, ἐντὸς τὴν χεῖρα ἔχων. Neque vehementer hac in re Æſchini contradicit, ſed oratorie urget adverſarium Demoſthenes de falſa legat. p. 233. C. Οὐ λέγειν ἔσω τὴν χεῖρα ἔχοντα δεῖ, οὔ—ἀλλὰ πρεσβεύειν ἔσω τὴν χεῖρα ἔχοντα, ne quid accipiat ſcilicet injuſte.

138. *lati clavi*] Lineæ purpureæ in media tunica ad perpendiculum deſcendentis: quam *lati clavi* definitionem Rubenii ſtudio indagatam breviter propoſuit atque probavit Grævius præf. Tom. VI. Theſ. Rom. Cæterum lato clavo qui uterentur, eos cingi non ſolitos, vel ex hoc ipſo loco docet Ferrar. 1, 13. 3, 7. et 3, 12. Itaque paullo inferius deſcendit laticlavia tunica quam anguſticlavia, quæ propter ipſam cingendi rationem attollitur.

139. *Ut purpuræ*] In anguſticlavia tunica duo tenues clavi, duæ lineæ, purpureæ: in laticlavia una latior. Vid. Græv. l. c.

139. *eadem portione altius*] Simpliciter intelligo ex regula analogiæ ſ. proportionis (quam Columellæ etiam *portionem* eſſe alias notavi) hoc modo: quantum pars poſterior tunicæ cinctæ (hanc enim *cincturam* eſſe perſuadet mihi Ferrarius) altior eſt anteriore, tantum togæ lacinia poſterior altior eſſe debet anteriore.

140. *Sinus decentiſſimus*] *Sinus* totum illud cavum vocatur, de A. Rubenii Græviique ſententia, quod componitur ex plicis togæ de dextro humero procurrentibus ad brachium ſiniſtrum. Hic aliquid tegi gerique poteſt, hoc adducto ſinu poteſt aliquis faciem demiſſam occultare, et ſic *in ſinu gaudere* &c. Verum de hoc *togæ ſinu* hic ſermonem eſſe, mihi non ſit probabile, cum non intelligam, quomodo *ſinus togæ* inferior eſſe *ima toga* poſſit. *Tunicæ* igitur *ſinum* intelligo, eum præſertim quem *cinctura* efficit. Nimirum ille ſinus, quo quid occultatur vel geritur, commodiſſime, quod videmus quotidie, cinctura efficitur. Catullus in Juliæ et Mallii Epithal. p. 130, Voſſ. *Tibi*, inquit, *Hymeneæ virgines zonula ſolvunt ſinus*: metaphorice ille quidem, ſed ut proprietatem tamen inde intelligamus. Cicero ad Q. Fr. 2, 13, pr. *Mihi, crede, in ſinu eſt, neque ego diſcingor*, ut excidere poſſit ſcilicet. Quin Cæſar moriens, cum teſte Sueton. c. 82, *Siniſtra manu ſinum ad ima crura deduxit*, neſcio an æque commode hoc in tu-

mus, si aliquanto supra imam togam fuerit, numquam certe sit inferior. Ille, qui sub humero dextro ad sinistrum oblique ducitur, velut balteus, nec strangulet, nec fluat. Pars togæ, quæ postea imponitur, sit inferior: nam ita et sedet melius, et continetur. Subducenda etiam pars aliqua tunicæ, ne ad lacertum in actu redeat: tum [a] sinus injiciendus humero, cujus extremam oram rejecisse non dedecet. Operiri autem humerum cum toto jugulo non 141
oportet, alioqui amictus [b] fiet angustus, et dignitatem, quæ est in latitudine pectoris, perdet. Sinistrum brachium eo usque allevandum est, ut quasi normalem illum angulum faciat. Super quod ora ex toga duplex æqualiter sedeat. Manus non impleatur annulis, præcipue medios articulos 142
non transeuntibus: cujus erit habitus optimus, allevato pollice, et digitis leviter inflexis, nisi si libellum tenebit: quod non utique captandum est. Videtur enim fateri memoriæ diffidentiam, et ad multos gestus est impedimento. Togam veteres ad calceos usque [c] demittebant, 143
ut Græci pallium. Idque ut fiat, qui de gestu scripserunt circa tempora illa, Plotius Nigidiusque præcipiunt. Quo

[a] tamen *id.* [b] amictu Jens. [c] *om. id.*

nica facere potuerit, in primis cum *toga caput obvolveret*, quæ laxa admodum esse debuit, si eadem ima crura texit: et ne objicias laticlaviam tunicam cingi non solitam, quod modo s. 138 docuit Fabius, constat ex eodem Suetonio c. 45, illum *supra latum clavum cingi solitum et quidem fluxiore cinctura.* Nobis certe adhuc blandiebatur hæc interpretatio in loco, quem *maledictum* forte vocasset glossator aliquis. *Sed cœnæ fercula nostræ Malim convivis, quam placuisse coquo.*

140. *Ille—velut balteus*] Ita jungenda sunt hæc verba, ut *velut* adjectum sit nomini *balteus* signum metaphoræ, vel similitudinis certe, eadem ratione ut *quasi*: ut si dicas, *aliquem ex illo* velut *naufragio servatum.* Sic statim, *ut quasi normalem illum angulum faciat* &c. Pars togæ quæ sub humero dextro ad sinistrum per pectus ducitur, *balteum* quasi quendam format aliquot plicis constantem. Huic *velut balteo* imponitur *pars togæ* a sinistro humero veniens sic, ut sit inferior, et infra illum dependeat.

140. *sinus injiciendus humero*] Hic *sinus* generatim cavam et fluctuantem togæ partem notat, quæ ab exserto humero dextro descendit per femur versus pedum intercapedinem; hic injiciendus humero dextro, ne vel nimis oneretur sinister, vel plane toga initio actionis defluat; nam *procedente actu ab initio pene narrationis velut sponte delabitur*, quod monet s. 144.

141. *ut quasi normalem*] *Brachium* hic proprie sumitur, ut distinguatur a *lacerto*, parte inter humerum atque cubitum interjecta: cum lacerto autem efficere debet tanquam altero latere *angulum normalem* sive rectum: *acutum* enim non admittit moles togæ incumbentis; *obtusus* valde si sit, metus est, ne eadem defluat.

magis miror Plinii Secundi docti hominis, et in hoc utique libro pene etiam nimium curioſi, perſuaſionem, qui ſolitum id facere Ciceronem velandarum [d] varicum gratia tradit: cum hoc amictus genus in ſtatuis eorum quoque,
144 qui poſt Ciceronem fuerunt, appareat [e]. Palliolum, ſicut faſcias, quibus crura veſtiuntur, et focalia, et aurium ligamenta, ſola excuſare poteſt valetudo. Sed hæc amictus obſervatio, dum incipimus [f]: procedente vero actu, jam pene ab initio narrationis, ſinus ab humero recte velut ſponte delabitur: et cum ad argumenta ac locos ventum eſt, rejicere a ſiniſtro togam, dejicere etiam, ſi hæreat, ſi-
145 num conveniet. Lævam a faucibus ac ſummo pectore abducere licet. Ardent enim jam omnia. Et ut vox vehementior ac magis varia eſt, ſic amictus quoque habet [g]
146 actum quemdam velut præliantem. Itaque ut lævam involvere toga, et incingi, pene furioſum eſt: ſinum vero in dextrum humerum ab imo rejicere, ſolutum ac delicatum, fiuntque adhuc pejus aliqua: ita cur laxiorem ſinum ſiniſtro brachio non ſubjiciamus? Habet enim acre quiddam atque expeditum, et calori concitationique non inha-
147 bile. Cum vero magna pars eſt exhauſta orationis, utique afflante fortuna, pene omnia decent, ſudor ipſe et fatigatio, et negligentior amictus, et ſoluta ac velut labens

[d] velandorum G. Jenſ. *auctoritate neutra caret lectio.* [e] appareant G.
[f] incepimus Jenſ. [g] habent *id.*

143. *Plinii Secundi*] Sine dubio in opere, cui *Studioſi* titulum fecit, de quo ipſius filius 3, 5, 5.

144. *Palliolum*] Capiti ægrotorum involvendo ſerviebat. Ovid. Art. 1, 733,

Arguat et macies animum, nec turpe putaris
Palliolum nitidis impoſuiſſe comis.

Sen. Quæſt. Nat. 4, extr. *Videbis quoſdam graciles, et palliolo focalique circumdatos, pallentes et ægros.*

144. *rejicere a ſiniſtro*] Nempe *a ſiniſtro* brachio verſus humerum *rejicere* togam decet: et *ſinum, ſi* in dextro humero forte *hæreat*, ac non ſponte delabatur, *dejicere*.

145. *Lævam a faucibus*] Intelligo, togam, id eſt partem togæ lævam, ſ. lævo humero incumbentem, quæ cum a brachio retrorſum, verſus humerum, et hinc deorſum agatur, in lacerti regione colligatur neceſſe eſt; plane decidere non poteſt, niſi ſubducere ſiniſtram manum velis. Hoc nobis videbatur ſimpliciſſimum. *Lænam* volebat Ferrarius. Magis placeret Burmanni conjectura, *Læva etiam:* facile enim eſt *togam* ſupplere.

146. *incingi*] Ut collecta in ſiniſtrum brachium, et circa medium corpus in *velut balteum* conſtricta toga, pedes cum dextra ſint expeditiores.

146. *ſinum—rejicere*] Qui ab initio quidem reponendus, deinde vero, procedente actione, dejiciendus potius eſt, ſi non ſponte delabatur; tantum abeſt, ut revocandus et rejiciendus ſit.

undique toga. Quo magis miror hanc quoque ſuccurriſſe 148
Plinio curam, ut ita ſudario frontem ſiccari juberet, ne comæ turbarentur, quas componi poſt paullum, ſicuti dignum erat, graviter et ſevere vetuit. Mihi vero illæ quoque turbatæ præ ſe ferre aliquid affectus, et ipſa oblivione curæ hujus commendari videntur. At ſi incipien- 149
tibus aut paullum progreſſis decidat toga, non reponere [h] eam, prorſus [i] negligentis aut pigri, aut quo modo debeat amiciri, neſcientis eſt. Hæc ſunt vel illuſtramenta pronuntiationis, vel vitia: quibus propoſitis [k], multa cogitare debet orator. Primum, *quid*, *apud quos*, *quibus præſenti-* 150
bus ſit acturus? Nam ut dicere alia aliis, et apud alios magis convenit: ſic etiam facere. Neque eadem in voce [l], geſtu, inceſſu, apud principem, ſenatum, populum, magiſtratum, privato, publico judicio, poſtulatione, actione ſimiliter decent. Quam differentiam ſubjicere ſibi 151
quiſque, qui animum intenderit, poteſt, tum qua de re dicat, et efficere [m] quid velit. Rei quadruplex obſervatio eſt. *Una* in tota cauſſa. Sunt enim triſtes, hilares, ſolicitæ, ſecuræ, grandes, puſillæ: ut vix umquam ita ſolicitari partibus earum debeamus, ut non ſummæ meminerimus. *Altera*, quæ eſt in differentia partium, ut in pro- 152
œmio, narratione, argumentatione, epilogo. *Tertia* in ſententiis ipſis, in quibus ſecundum res et affectus [n] variantur omnia. *Quarta* in verbis, quorum ut eſt vitioſa, ſi efficere omnia velimus, imitatio: ita quibuſdam, niſi ſua natura redditur, vis omnis aufertur [o]. Igitur in laudatio- 153
nibus, (niſi ſi funebres erunt) gratiarum actione, exhortatione, ſimilibus, læta et magnifica et ſublimis eſt actio. Funebres conciones, conſolationes [p], plerumque cauſſæ reorum, triſtes atque ſubmiſſæ. In ſenatu conſervanda auctoritas, apud populum dignitas, in privatis modus.

[h] deponere G. [i] non *inſ.* Jenſ. [k] præpoſ. *id.* [l] nocte *id.*
[m] afficere *id.* [n] actus *id.* [o] affertur G. [p] conſultationes Jenſ.

148. *ne comæ turbarentur*] Videtur ob id ipſum vetuiſſe Plinius nimiam comarum negligentiam, ne deinde cura molliore et turpicula ea reparanda eſſet. Quam male audierint alioquin, qui nimis comæ ſtuderent, qui *uno digito*, ne turbarent aliquid, *caput ſcalperent*, notum eſt. Turbatas comas *affectus aliquid præ ſe ferre* videri, non ignorabat Rullus iſte, qui *ut denuntiaret omnibus vim tribuniciam, meditabatur etiam eſſe corpore inculto et horrido, capillatior quam ante, barbaque majore*, Cic. in Rull. 2, 5.

150. *poſtulatione*] Quæ eſt, ut oſtendunt ICti, prima illa accuſatoris actio, qua petit, ut liceat ſibi aliquem accuſare.

De partibus caussæ, et sententiis verbisque, quæ sunt mul-
154 tiplicia, pluribus dicendum. Tria autem præstare debet pronuntiatio: *conciliet*, *persuadeat*, *moveat*[q]: quibus natura cohæret[r], ut etiam *delectet*. *Conciliatio* fere aut commendatione morum, (qui nescio quo modo ex voce etiam atque actione pellucent[s]) aut orationis suavitate constat: *persuadendi* vis affirmatione, quæ interim plus
155 ipsis probationibus valet. *An ista* (inquit Callidio Cicero) *si vera essent, sic a te dicerentur?* et, *Tantum abest, ut inflammares nostros animos, somnum*[t] *isto loco vix tenebamus.* Fiducia igitur appareat, et constantia, utique si auctoritas
156 subest. *Movendi* autem[u] ratio aut in repræsentandis est, aut imitandis affectibus. Ergo cum judex in privatis, aut præco in publicis dicere de caussa jusserit, leniter consurgendum: tum in componenda toga, vel (si necesse erit) etiam ex integro injicienda, duntaxat in judiciis (apud principem enim et magistratus ac tribunalia non licebit) paullum est commorandum, ut et amictus sit decentior, et
157 protinus aliquid spatii ad cogitandum. Etiam cum ad judicem nos converterimus, et consultus prætor permiserit dicere, non protinus est erumpendum, sed danda brevis cogitationi mora. Mire enim auditurum dicturi cura de-
158 lectat, et judex se ipse componit. Hoc præcipit Homerus Ulixis exemplo, *quem stetisse oculis in terram defixis, immotoque sceptro, priusquam illam eloquentiæ procellam effunderet*, dicit. In hac cunctatione sunt quædam non indecentes, ut appellant scenici, moræ, caput mulcere, manum intueri, infringere articulos, simulare conatum, suspiratione solicitudinem fateri, aut quod quemque magis decet: eaque[x]
159 diutius, si judex nondum intendet animum. Status sit rectus, æqui et diducti paullum pedes, vel procedens mi-

[q] moneat Jens. [r] cohæreat *id.* [s] perlucent G. Jens. [t] somnium G. [u] est G. Jens. [x] eo Jens. ea G.

155. *An ista*] Ex Bruto c. 80. Conf. s. 123.

156. *in componenda toga*] Itaque probamus apud Plin. epist. 2, 3, 2, antiquam lectionem, *Surgit, amicitur, incipit.*

156. *non licebit*] In quibus scilicet ad nutum paratus adstat orator, ut statim incipere possit.

158. *Homerus*] Ἰλ. γ'. 217,
Στάσκεν, ὑπαὶ δὲ ἴδεσκε, κατὰ χθονὸς ὄμματα πήξας,
Σκῆπτρον δ' οὔτ' ὀπίσω οὔτε προπρηνὲς ἐνώμα,
Ἀλλ' ἀστεμφὲς ἔχεσκεν, ἀΐδρεϊ φωτὶ ἐοικώς·
Φαίης κεν ζάκοτόν τινα ἔμμεναι, ἄφρονα δ' αὔτως·
Ἀλλ' ὅτε δὴ ῥ' ὄπα τε μεγάλην ἐκ στήθεος ἵει,
Καὶ ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσιν κ. τ. λ.

nimo momento ſiniſter: genua recta, ſic tamen, ut non
extendantur. Humeri remiſſi [z], vultus ſeverus, non mœ-
ſtus, nec ſtupens, nec languidus: brachia a latere modice
remota: manus ſiniſtra, qualem ſupra demonſtravi: dex-
tra, cum jam incipiendum erit, paullum prolata ultra ſi-
num geſtu quam modeſtiſſimo, velut exſpectans [a] quando
incipiendum ſit. Vitioſa enim ſunt illa, intueri lacunaria, 160
perfricare faciem, et quaſi improbam facere: tendere con-
fidentia vultum, aut, quo ſit magis torvus, ſuperciliis ad-
ſtringere: capillos a fronte contra naturam retro agere, ut
ſit [b] horror ille terribilis: tum, id quod Græci frequen-
tiſſime faciunt, crebro digitorum labiorumque motu com-
mentari, clare exſcreare, pedem alterum longe proferre,
partem togæ ſiniſtra tenere, ſtare diductum vel rigidum,
vel ſupinum, vel incurvum, vel humeris, ut luctaturi ſo-
lent, ad occipitium ductis. Prooemio frequentiſſime lenis 161
convenit pronuntiatio. Nihil eſt enim ad conciliandum
gratius verecundia: non tamen ſemper. Nec enim uno
modo dicuntur exordia, ut docui. Plerumque tamen et
vox temperata, ac geſtus modeſtus, et ſedens humero to-
ga, et laterum lenis in utramque partem motus, eodem
ſpectantibus oculis, decebit. Narratio magis prolatam 162
manum, amictum recidentem, geſtum diſtinctum, vocem
ſermoni proximam, ac tantum apertiorem, ſonum ſimpli-
cem frequentiſſime poſtulabit in his duntaxat, *Quintus igi-
tur Ligarius, cum eſſet adhuc* [c] *nulla belli ſuſpicio*, et, *A.
Cluentius Habitus pater hujuſce*. Aliud in eadem poſcunt [d]
affectus, vel concitati, *Nubit genero ſocrus:* vel flebiles,
Conſtituitur in foro Laodiceæ [e] *ſpectaculum acerbum et miſe-
rum toti Aſiæ provinciæ*. Maxime varia et multiplex actio 163
eſt probationum. Nam et [f] proponere, partiri, [g] interro-
gare, ſermoni ſunt proxima, et contradictionem ſumere.
Nam ea quoque diverſa propoſitio eſt. Sed hæc tamen
aliquando irridentes, aliquando imitantes pronuntiamus.
Argumentatio plerumque agilior, et acrior, et inſtantior, 164
conſentientem orationi poſtulat etiam geſtum, id eſt, for-

[z] *Vid. leg.* demiſſi: *niſi tamen eandem vim habent* remiſſi. [a] ſpectans G. Jenſ. [b] ſi Jenſ. [c] in Africa G. Jenſ. [d] poſcet Jenſ. [e] Lodiceæ *id.* [f] *om. id.* [g] et *inſ.* G.

162. *Q. igitur Ligarius*] Statim c. 1. *A. Cluentius* et illud *Nubit genero* pro Cluent. 5. *Conſtituitur* in Verr. 1, 30.

163. *contradictionem ſumere*] Ut vulgo *adſumere argumentum* dicitur, h. e. repetere illud, quod ab adverſario dictum eſt.

tem celeritatem. Inſtandum quibuſdam in partibus et denſanda oratio. Egreſſiones fere lenes, et dulces, et remiſſæ, ut [h] *raptus Proſerpinæ, Siciliæ deſcriptio, Cn. Pompeii laus.* Neque eſt mirum, minus habere contentionis
165 ea, quæ ſunt extra quæſtionem. Mollior nonnumquam cum reprehenſione diverſæ partis imitatio, *Videbar* [i] *videre alios intrantes, alios autem exeuntes, quoſdam ex vino* [l] *vacillantes.* Ubi non diffidens [m] a voce permittitur geſtus, quo [n] fit in utramque partem tenera quædam, ſed intra
166 manus tamen, et ſine motu laterum, tranſlatio. Accendendi judices [o] plures ſunt gradus. Summus ille, et quo nullus eſt in oratore acutior: *Suſcepto bello, Cæſar, geſto jam etiam ex parte magna.* Prædixit enim, *Quantum potero voce contendam, ut populus hæc Romanus exaudiat.* Paullum inferior, et habens aliquid etiam jucunditatis, *Quid enim tuus ille, Tubero, in acie Pharſalica gladius*
167 *agebat?* Plenius adhuc et lentius, ideoque dulcius, *In cœtu vero populi Romani negotium publicum gerens.* Producenda omnia, trahendæque tum vocales, aperiendæque ſunt fauces. Pleniore tamen hæc canali fluunt, *Vos, Albani tumuli atque luci.* Nam [p] cantici quiddam habent, ſenſimque reſupina ſunt: *Saxa atque ſolitudines voci re-*
168 *ſpondent.* Tales ſunt illæ inclinationes vocis, quas invicem Demoſthenes atque Æſchines exprobrant, non ideo improbandæ: cum enim uterque alteri objiciat, palam eſt utrumque feciſſe. Nam neque ille per Marathonis et Platearum et Salaminis propugnatores recto ſono juravit,
169 nec ille [q] Thebas ſermone deflevit. Eſt his diverſa vox, et pene [r] extra organum, cui Græci nomen *amaritudinis*

[h] *om.* Jenſ. G. [i] videor *iid.* [l] vitio Jenſ. [m] diſcedens *id.* [n] quoque in G. Jenſ. [o] judici *iid.* [p] Jam G. [q] hic *id.* [r] plene *id.*

164. *raptus Proſerpinæ*] Verr. 4, 48. *Siciliæ deſcriptio* Verr. 2, 1. *Laus Pompeii* tum alias tum pro Balbo 4. *Videbar videre* vid. ſupra 8, 3, 66, et Aquila Romanus p. 14, Pithœi. *Suſcepto bello* pro Ligar. 3, ubi etiam, *Quid enim tuus. In cœtu vero* Phil. 2, 25. *Vos, Albani* pro Milon. 31. *Saxa* pro Archia 8.

168. *Demoſthenes atque Æſchines*] V. g. Ille huic pro Corona c. 90, Ἐπάρας τὴν φωνὴν, καὶ γεγηθὼς, ϗ λαρυγγίζων. Hic vero δάκρυα et τόνον τῆς φωνῆς illi objicit c. 72, et ſq. Juſjurandum *per Marathonis—propugnatores* eſt c. 60, pro Corona; vid. 9, 2, 62. 12, 10, 24. Lamentatio autem Æſchinis de Thebis c. 49, contra Cteſiphontem, Νομίσατε ὁρᾷν ἁλισκομένην τὴν πόλιν, τειχῶν κατασκαφὰς, ἐμπρήσεις οἰκιῶν, &c.

169. *extra organum*] Vid. ſupra ſ. 40.

169. *amaritudinis*] Πικροφωνίαν

dederunt: ſupra modum ac pene naturam vocis humanæ acerba: *Quin compeſcitis vocem iſtam, indicem ſtultitiæ, teſtem paucitatis?* Sed id, quod excedere modum dixi, in illa parte prima eſt, *Quin compeſcitis*. Epilogus, ſi enumera- 170
tionem rerum habet[s], deſiderat quamdam conciſorum continuationem; ſi[t] ad concitandos judices eſt accommodatus, aliquid ex iis, quæ ſupra dixi; ſi placandos, inclinatam quamdam lenitatem; ſi miſericordia commovendos, flexum vocis, et flebilem ſuavitatem, qua præcipue franguntur animi, quæque eſt maxime naturalis. Nam etiam orbos viduaſque videas in ipſis funeribus canoro quodam modo proclamantes. Hic etiam fuſca illa vox, 171
qualem Cicero fuiſſe in Antonio dicit, mire facit[u]: habet enim in ſe, quod imitemur[x]. Duplex eſt tamen miſeratio: altera cum invidia, qualis modo dicta de damnatione Philodami: altera cum deprecatione demiſſior. Quare, 172
etiamſi eſt in illis quoque cantus obſcurior, *In cœtu vero populi Romani*; non enim hæc rixantis modo dixit: et, *Vos, Albani tumuli*; neque enim, quaſi inclamaret[z], aut teſtaretur[a], locutus eſt: tamen infinito magis illa flexa et circumducta[b] ſunt[c], *Me miſerum, me infelicem*: et, *Quid reſpondebo liberis meis?* et, *Revocare tu me in patriam potuiſti, Milo, per hos; ego te in eadem patria per eoſdem retinere non potero?* Et cum bona C. Rabirii uno ſeſtertio addicit[d], *O meum miſerum acerbumque præconium*. Illa quo- 173
que mire facit in peroratione velut deficientis dolore et fatigatione confeſſio: ut pro eodem Milone, *Sed[e] finis ſit: neque enim præ lacrimis jam loqui poſſum*. Quæ ſimilem verbis habere debent etiam pronuntiationem. Poſſunt vi- 174
deri alia quoque hujus partis atque officii, *reos excitare*,

[s] *om.* G. Jenſ. [t] ſed Jenſ. [u] faciet G. Jenſ. [x] miratur G. imitamur Jenſ. [z] inclinaret G. [a] deteſtaretur G. Jenſ. [b] circumdata Jenſ. [c] *om.* G. Jenſ. [d] adjicit Jenſ. [e] Si *id.*

appellat Turnebianus, neſcio unde. Verba Ciceronis ad tumultuantem et ſucclamantem ſibi plebem ſunt ex Orat. pro Rabir. Perduell. c. 6, et ita hodie leguntur, *Quin continetis vocem, indicem ſtultitiæ veſtræ, teſtem paucitatis.*

171. *Cicero dicit*] In Bruto c. 38, *In Antonio vox permanens, verum ſubrauca natura: ſed hoc vitium huic uni in bonum convertebat. De damnatione Philodami* ſ. 162. *In cœtu*, et *Vos, Albani* ſ. 167. *Me miſerum* pro Milon. 37. *Bona C. Rabirii* Orat. pro illo (Poſthumo) c. 17, ubi non *uno ſeſtertio* ſed *nummo* legitur: poteſt Fabius ex memoria citaſſe locum. Interim bona eſt Turnebiana obſervatio a Burmanno etiam probata, *nummi* vocem ſolere in tali re adjici, ne non *ſeſtertius* intelligatur, ſed *ſeſtertium*.

pueros attollere, propinquos producere, vestes laniare: sed suo loco dicta sunt. Et quia in partibus caussæ [f] etiam [g] aliis est varietas, satis apparet, accommodandam sententiis ipsis pronuntiationem, sicut ostendimus. Sed verbis quoque, quod novissime dixeram, non semper, sed aliquando.
175 An non hæc, *Misellus et pauperculus*, submissa atque contracta? *Fortis, et vehemens, et latro*, erecta et concitata voce dicenda [h] sunt? Accedit enim vis et proprietas rebus tali adstipulatione: quæ nisi adsit, aliud vox, aliud ani-
176 mus ostendat. Quid? quod eadem verba mutata pronuntiatione indicant, affirmant, exprobrant, negant, mirantur, indignantur, interrogant, irrident, elevant? Aliter enim dicitur,

Tu mihi quodcumque hoc regni.

et,

Cantando tu illum?

et,

Tune ille Æneas?

et,

Meque timoris
Argue tu, Drance.

Et ne morer, intra se quisque vel hoc, vel aliud, quod volet, per omnes affectus verset: verum esse, quod dici-
177 mus, sciet. Unum jam his adjiciendum est, cum præcipue in actione spectetur decorum, sæpe aliud alios decere. Est enim latens quædam in hoc ratio, et inenarrabilis: et ut vere hoc dictum est, *caput* esse *artis, decere* [i] *quod facias*; ita id neque sine arte esse, neque totum arte tradi
178 potest [k]. In quibusdam virtutes non habent gratiam, in quibusdam vitia ipsa delectant. Maximos actores [l] comœdiarum, Demetrium et Stratoclem [m], placere diversis virtutibus vidimus [n]. Sed illud minus mirum, quod alter deos, et juvenes, et bonos patres, servosque, et matronas, et graves anus optime: alter acres senes, callidos servos,

[f] caussæ talis est G. [g] et Jens. [h] dicendum est G. Jens. [i] dicere Jens. [k] *Vid. leg.* posse. [l] auctores *id.* [m] Stratoclea G. Stratoclen Jens. [n] videmus G.

174. *suo loco dicta*] Supra 6, 1, 30.

176. *Tu mihi quodcumque*] Virg. Æn. 1, 78. *Cantando* Ecl. 3, 25. *Tune ille* Æn. 1, 617. *Meque timoris* Æn. 11, 383.

177. *caput esse artis*] Cic. de Orat. 1, 29, Roscium *sæpe audio dicere, Caput esse artis decere; quod tamen unum id esse, quod tradi arte non possit.*

paraſitos, lenones, et omnia agitatiora melius. Fuit [o]
enim natura diverſa. Nam vox quoque Demetrii jucun- 179
dior, illius acrior erat. Annotandæ magis proprietates,
quæ transferri non poterant, manus jactare, et dulces ex-
clamationes theatri cauſſa [p] producere, et ingrediendo
ventum concipere veſte, et nonnumquam dextro [q] latere
facere geſtus: quod neminem alium præter Demetrium
decuit: namque in hæc omnia ſtatura et mira ſpecie ad-
juvabatur [r]. Illum curſus, et agilitas, et vel parum con- 180
veniens perſonæ riſus, (quem non ignarus rationis populo
dabat) et contracta etiam cervicula [s]. Quidquid horum
alter feciſſet, fœdiſſimum videretur. Quare norit ſe quiſ-
que, nec tantum ex communibus præceptis, ſed etiam ex
natura ſua capiat conſilium formandæ actionis. Neque 181
illud tamen eſt nefas, ut [t] aliquem vel omnia vel plurima
deceant [u]. Hujus quoque loci clauſula ſit eadem, neceſſe
eſt, quæ ceterorum eſt, regnare maxime modum. Non
enim comœdum eſſe, ſed oratorem volo. Quare neque in
geſtu perſequemur omnes argutias, nec in loquendo diſ-
tinctionibus, temporibus, affectionibus [x] moleſte utemur.
Ut ſi ſit in ſcena dicendum, 182

Quid igitur faciam? non eam, ne nunc quidem,
Cum arceſſor ultro? an potius ita me comparem,
Non perpeti meretricum contumelias?

Hic enim [y] dubitationis moras, vocis flexus, varias manus,
diverſos nutus actor adhibebit. Aliud oratio ſapit, nec
vult nimium eſſe condita [z]. Actione enim conſtat, non
imitatione. Quare non immerito reprehenditur pronun- 183
tiatio vultuoſa, et geſticulationibus moleſta, et vocis mu-

[o] fiunt G. [p] eam Jenſ. [q] dextra Jenſ. [r] admirabatur G.
[s] cervicalia G. [t] vel G. [u] decent Jenſ. [x] affectationibus Jenſ.
[y] eſt *inſ.* Jenſ. [z] condicta *id.*

179. *ventum concipere veſte*] Opportune hic adſcripſit Burmannus Ovid. Art. 3, 301,

Hæc movet arte latus, tunicisque
fluentibus auras
Excipit, extenſos fertque ſuperba
pedes.

181. *Neque—nefas*] H. e. non eſt ἐκ τῶν ἀδυνάτων, non ſuperat vires naturæ et vim ingenii; vid. ad 10, 2, 5.

181. *temporibus, affectionibus*] *Tempora* intelligo moras et intervalla. *Affectiones* autem ipſas animi mutationes in quantum flexu vocis declarari quodammodo poſſunt.

183. *vultuoſa*] In qua vultus nimis magnæ ſunt partes, ut *clamoſus* eſt, qui nimis clamat. Sic etiam Cic. Oratore 18, *Vultus—quantam affert tum dignitatem,*

tationibus reſultans. Nec inutiliter ex Græcis veteres tranſtulerunt, quod ab his ſumtum Lenas Popilius poſuit,
184 eſſe *hanc inotioſam*[a] *actionem*. Optime igitur idem, qui omnia, Cicero præceperat, quæ ſupra ex oratore poſui: quibus ſimilia in Bruto de Marco Antonio dicit. Sed jam recepta eſt actio paullo agitatior, et[b] exigitur, et quibuſdam partibus convenit: ita tamen temperanda, ne, dum actoris captamus elegantiam, perdamus viri boni et gravis auctoritatem.

[a] invitioſam G. mocoſam *i. e.* μωκώδη *geſticulatoriam legi vult Salmaſ. ad Trebell. Pollion. Gallien. c.* 8. injocoſam *Voſſ.* 1 *et* 3. [b] etiam Jenſ.

tum venuſtatem! in quo cum effeceris, ne quid ineptum, aut vultuoſum ſit &c.

183. *inotioſam*] Ἄσχολον et Πολυάσχολον hoc ſenſu dicunt Græci pro nimis negotioſo in re non neceſſaria; ut in Philopatride Lucianeo ſub fin. ἡ πολυάσχολος μαθηματικὴ ponitur, de divinatoriis artibus.

184. *ſupra ex oratore*] Reſpicit, puto, ſ. 122. In Bruto de M. Antonio c. 38, *Geſtus erat non verba exprimens, ſed cum ſententiis congruens: manus, humeri, latera, ſupploſio pedis, ſtatus, inceſſus, omniſque motus, cum verbis ſententiiſque conſentiens.*

M. FABII QUINCTILIANI

DE

INSTITUTIONE ORATORIA

LIBER DUODECIMUS.

PROŒMIUM.

VENTUM eſt ad partem operis deſtinati longe graviſſimam. Cujus equidem onus ſi tantum opinione prima concipere potuiſſem, quanto me premi ferens ſentio, maturius conſuluiſſem vires meas. Sed initio pudor omittendi, quæ promiſeram, tenuit: mox, quamquam per ſingulas prope [a] partes labor creſceret, ne perderem, quæ jam effecta erant, per omnes difficultates animo me ſuſ-
2 tentavi. Quare nunc quoque, licet major [b] quam umquam moles premat, tamen proſpicienti finem mihi conſtitutum eſt vel deficere potius, quam deſperare. Fefellit autem, quod initium a parvis ceperamus: mox VELUT aura ſolicitante provecti longius, dum tantum nota illa, et pleriſque artium ſcriptoribus tractata præcipimus, nec adhuc a litore procul videbamur, et multos circa
3 velut iiſdem ſe ventis credere auſos habebamus. Jam [c] cum eloquendi rationem noviſſime repertam, pauciſſimiſque tentatam ingreſſi ſumus, rarus [d], qui jam procul a portu receſſiſſet, reperiebatur [e]. Poſtquam vero nobis ille, quem inſtituebamus, orator, a dicendi magiſtris dimiſſus,

[a] quoque Jenſ. [b] majori q. u. mole premar *id.* [c] Jam—tenta. *om.* G. *et pergit* tam ingreſſi ſumus. [d] ratis quæ Jenſ. *Vid. leg.* rarus qui tam procul—reperieb. [e] rapiebatur *id.*

1. *ne perderem*] *Sic ne perdiderit, non ceſſat perdere luſor.* Sed tu quidem laboris tui nihil perdidiſti, Fabi; utinam tuis divitiis ſtrenue porro utatur poſteritas, quo minus illis pereat tuæ fructus induſtriæ.

aut suo jam impetu fertur, aut majora sibi auxilia ex ipsis
sapientiæ penetralibus petit: quam in altum simus[f] ablati,
sentire cœpimus. Nunc *cœlum undique et undique pontus.*
Unum modo in illa immensa vastitate cernere videmur 4
M. Tullium, qui tamen ipse, quamvis tanta atque ita in-
structa nave hoc mare ingressus, contrahit vela, inhibet-
que remos, et de ipso demum genere dicendi, quo sit usu-
rus perfectus orator, satis habet dicere. At nostra teme-
ritas etiam mores ei conabitur dare, et assignabit officia.
Ita nec antecedentem consequi possumus, et longius eun-
dum est, ut res feret. Probabilis tamen cupiditas ho-
nestorum, et vel[g] tutioris audaciæ est tentare, quibus pa-
ratior venia est.

I. Sit ergo nobis *orator*, quem instituimus[h], is, qui a
M. Catone finitur, *vir bonus, dicendi peritus.* Verum id,
quod ille posuit prius, etiam[i] ipsa natura potius ac majus
est, utique *vir bonus.* Id non eo tantum, quod, si vis illa
dicendi malitiam instruxerit, nihil sit publicis privatisque
rebus perniciosius eloquentia[l]; sed nos quoque ipsi, qui
pro virili parte conferre aliquid ad facultatem dicendi co-
nati sumus, pessime mereamur de rebus humanis, si la-
troni comparemus hæc arma, non militi. Quid de nobis 2
loquor? Rerum ipsa natura in eo, quod[m] præcipue indul-
sisse[n] homini videtur, quoque nos a[o] ceteris animalibus
separasse, non parens, sed noverca fuerit, si facultatem di-
cendi, sociam scelerum, adversam innocentiæ, hostem ve-

[f] sumus G. Jens. [g] *om.* G. Jens. [h] constituimus Jens. [i] et *id.*
[l] eloq. nosque ipsi G. Jens. [m] quo Jens. [n] indulsisset G. [o] *om.* G.

3. *cœlum undique*] Præsidium ex hoc loco petitur Virgilio Æn. 5, 9, ubi quidam libri hanc lectionem habere dicuntur; alii, *maria undique, et undique cœlum.* Si MSS. Virgilii repugnent huic lectioni, nolim Fabio solo auctore eam tueri. Potest enim ille memoria falsus esse, potest alium alterius locum respexisse: ut adeo non magis liceat Virgilium inde emendare, quam Ovidianum illud Trist. 1, 2, 23, *Nihil est nisi pontus et aër.*

4. *inhibetque remos*] Laudat de hac formula Burmannus Gronovium Obs. 4, 26, qui *remis* legendum censet, et persuadet, si recte locutus est Fabius; nec enim *remos inhibent* nautæ in hoc actu, sed *remis* agitandis contrario motu, *navem inhibent*, ne versus proram pergat, sed retro eat in puppim; vel, ut sic appellat, et statim solvendo parata sit; vel, ut paullatim retrocedat fuga honestiore; vel, ut impetum capiat denique. Sed copiosissime ista magnus vir, Gronovius.

I, 1. *a M. Catone*] Cujus finitionem invertebat Herennius Senecio in Regulum dicens, *Est vir malus, dicendi imperitus*, apud Plin. Ep. 4, 7, 5.

ritatis invenit. Mutos enim [p] naſci, et egere omni ra-
tione ſatius fuiſſet, quam providentiæ munera in mu-
3 tuam perniciem convertere. Longius tendit hoc judi-
cium meum. Neque enim tantum id dico, eum, qui ſit
orator, *virum bonum eſſe oportere:* ſed ne futurum quidem
oratorem, niſi virum bonum. Nam certe neque intelli-
gentiam conceſſeris iis, qui, propoſita honeſtorum ac tur-
pium via, pejorem ſequi malint [q]; neque prudentiam iis [r],
qui in graviſſimas frequenter legum, ſemper vero malæ
conſcientiæ, pœnas a ſemet ipſis improviſo rerum exitu
4 induantur. Quod ſi NEMINEM *malum* eſſe, *niſi ſtultum*
eumdem, non modo a ſapientibus dicitur, ſed vulgo quo-
que ſemper eſt creditum: certe non fiet umquam ſtultus,
orator. Adde quod ne ſtudio quidem operis pulcherrimi
vacare mens, niſi omnibus vitiis libera, poteſt: primum
quod in eodem pectore nullum eſt honeſtorum turpium-
que conſortium: et cogitare optima ſimul ac deterrima
non magis eſt unius animi, quam ejuſdem hominis bonum
5 eſſe ac malum. Tum illa quoque ex cauſſa, quod men-
tem tantæ rei intentam, vacare omnibus aliis, etiam culpa
carentibus, curis oportet. Ita demum enim libera, ac
tota, nulla diſtringente atque alio ducente cauſſa, ſpecta-
6 bit id ſolum, ad quod accingitur. Quod ſi agrorum [s] ni-
mia cura, et ſolicitior rei familiaris diligentia, et venandi
voluptas, et dati ſpectaculis dies, multum ſtudiis aufe-
runt; (huic enim rei perit tempus, quodcumque alteri
datur) quid putamus facturas cupiditatem, avaritiam, in-
vidiam? quarum impotentiſſimæ cogitationes ſomnos
7 etiam ipſos, et illa per quietem viſa perturbant [t]. NIHIL
eſt enim tam [u] occupatum, tam multiforme, tot ac tam
variis affectibus conciſum atque laceratum, quam mala
mens. Nam et cum inſidiatur, ſpe [v], curis, labore diſtrin-
gitur [x]: et jam, cum ſceleris compos fuerit, ſolicitudine,
pœnitentia, pœnarum omnium exſpectatione torquetur.
Quis inter hæc literis, aut ulli bonæ arti locus [z]? Non
hercle magis, quam frugibus in [a] terra ſentibus ac rubis
8 occupata. Age, non ad perferendos ſtudiorum labores
neceſſaria frugalitas? Quid ergo ex libidine ac [b] luxuria
ſpei? Non præcipue acuit ad cupiditatem literarum amor
laudis [c]? Num igitur malis eſſe laudem curæ putamus?

[p] etiam G. [q] malunt Jenſ. [r] cum in graviſſ. G. cum graviſſ. Jenſ.
[s] corporum *de Regii conjectura quædam editi.* [t] perturbent Jenſ. [u] *om.* G.
[v] præ G. Jenſ. [x] diſtinguitur G. [z] cultus Jenſ. [a] interea Jenſ.
[b] aut *id.* [c] claudum G.

Jam hoc quis non videt, maximam partem orationis in tractatu æqui bonique conſiſtere? Dicetne de his ſecundum debitam rerum dignitatem malus atque iniquus?
Denique, ut maximam partem quæſtionis eximam[d], de- 9
mus id, quod nullo modo fieri poteſt, idem ingenii, ſtudii, doctrinæ, peſſimo atque optimo viro: uter melior dicetur orator? Nimirum qui homo quoque melior. Non igitur
umquam malus idem homo, et perfectus orator. Non 10
enim perfectum eſt[e] quidquam, quo melius eſt aliud. Sed, ne more Socraticorum nobiſmet ipſi[f] reſponſum finxiſſe videamur, ſit aliquis adeo contra veritatem obſtinatus, ut audeat dicere, eodem ingenio, ſtudio, doctrina præditum, nihilo deteriorem futurum oratorem malum virum, quam bonum. Convincamus hujus quoque amen-
tiam. Nam hoc certe nemo dubitabit, omnem oratorem 11
id agere, ut judici, quæ propoſita fuerint, vera et honeſta videantur. Utrum igitur hoc facilius bonus vir perſuadebit, an malus? Bonus quidem et dicet[g] ſæpius vera at-
que honeſta. Sed etiam ſi quando aliquo ductus officio 12
(quod accidere, ut mox docebimus, poteſt) falſo hæc affirmare conabitur, majore cum fide neceſſe eſt audiatur. At malis hominibus ex contemtu[h] opinionis, et ignoran-
tia recti, nonnumquam excidit ipſa[i] ſimulatio. Inde im- 13
modeſte proponunt, ſine pudore affirmant. Sequitur in iis, quæ certum eſt effici non poſſe, deformis pertinacia, et irritus labor. Nam ſicut in vita, ita in cauſſis quoque, ſpes improbas habent[l]. Frequenter autem accidit, ut his etiam vera dicentibus fides deſit, videaturque talis ad-
vocatus, malæ cauſſæ argumentum[m]. Nunc de iis di- 14
cendum eſt, quæ mihi quaſi conſpiratione quadam vulgi reclamari videntur. *Orator ergo Demoſthenes non fuit?* atqui malum virum accepimus. *Non Cicero?* atqui hujus quoque mores multi reprehenderunt. Quid agam? magna reſponſi invidia ſubeunda eſt, mitigandæ ſunt prius

[d] eximiam Jenſ. [e] *om.* G. [f] ipſis Jenſ. [g] dicit G. [h] conceptu Jenſ. [i] illa G. [l] habet G. [m] augmentum Jenſ.

10. *more Socraticorum*] Cum enim tota illorum, nempe Platonis, Æſchinis, Xenophontis philoſophandi ſcribendique ratio inſit in dialogis, in quibus auditor a doctore paullatim circumvenitur quaſi et redigitur ad incitas; neceſſe eſt eas dari reſponſiones auditori, e quibus laquei deinde ad ipſum irretiendum componi poſſint.

12. *ex contemtu opinionis*] Quia parum penſi habent, quid alii homines de ſe exiſtiment.

15 aures. Mihi enim nec *Demosthenes* tam gravi morum
dignus videtur invidia, ut omnia, quæ in eum ab inimicis
congesta sunt, credam; cum et pulcherrima ejus [n] in re-
16 publica consilia, et finem vitæ clarum legam [o]. Nec
Marco Tullio defuisse video in ulla parte civis optimi vo-
luntatem. Testimonio est actus [p] nobilissime consulatus;
integerrime provincia administrata; et repudiatus viginti-
viratus; et civilibus bellis, quæ in ætatem [q] ejus gravissi-
ma inciderunt, neque spe neque metu declinatus animus,
quo minus optimis se partibus, id est, reipublicæ, junge-
17 ret. Parum fortis videtur quibusdam: quibus optime re-
spondit ipse, *non se timidum in suscipiendis, sed in providen-
dis periculis:* quod probavit morte quoque ipsa, quam
18 præstantissimo [r] suscepit animo. Quod si defuit his viris
summa virtus: sic, quærentibus, An oratores fuerint? re-
spondebo, quo modo Stoici, si interrogentur [s], an sapiens
Zeno, an Cleanthes, an Chrysippus? [t] respondeant, Mag-
nos quidem illos ac venerabiles, non tamen id, quod na-

[n] ejus reip. G. Jens. [o] virum G. [p] auctus G. [q] ætate G. Jens.
[r] præsentissimo *malit cum Francio Burmannus.* [s] interrogarentur G. Jens.
[t] qui *ins.* G. ipsi *ins.* Jens.

15. *tam gravi morum invidia*] Quam facit illi in Oratione contra Ctesiphontem, vel ipsum potius, Æschines. *Finem vitæ* Plutarchus in vita longiore, et speciosissime, quasi ex Macedonicis quibusdam Antipatri commentariis, enarrat auctor encomii Demosthenis, quod inter Lucianea habetur. Totum illud encomium maximum nobis et optimum virum describit.

16. *vigintiviratus*] Agro Campano dividundo; quam rem diligenter hoc ipso etiam loco advocato declaravit, Burmanno etiam laudante, Fabricius Hist. Cic. ad A. U. C. DCXCIV.

17. *non se timidum*] Bonane fide credis hoc Tullio? an potius aliquem dicis *hic, Quinctiliane, colorem?* At ego fateor, me plus fidei habere de se Ciceroni, cum apud Terentiam, cum apud Atticum, sua timiditate, sua vivendi cupiditate, omnia perdita esse queritur. Collecta mihi sunt, quando dubitare doctos etiam viros video, ea ipsius et aliorum testimonia, quibus nisi planum sit, quod alias scripsi, in philosophia, in tota vita, in ultimo ejus actu, timidum fuisse Ciceronem, (cujus summis virtutibus quam nihil ea re detractum cupiam, satis, puto, constat volentibus) non video, quæ fides historiæ esse possit. Sed ea hic promere et supra modum longum et importunum fuerit.

17. *morte quoque ipsa*] De qua Livius, *candidissimus omnium magnorum ingeniorum æstimator*, apud Senecam Suasor. 7, *Omnium adversorum nihil ut viro dignum erat tulit, præter mortem:* et de hoc tamen etiam disputatum inter historicos, (quod facile ita evenire potuit, cum pauci interessent) satis illa ipsa Senecæ suasoria indicat. Certe, quin ultimo vitæ tempore varia animi inconstantis, et inter desperationem atque spei alicujus reliquias misere fluctuantis signa dederit, si quis Plutarchum legit, non potest dubitare. Sed hæc peculiari, si modo, libello disputabuntur.

tura hominis ſummum habet, conſecutos. Nam et Py- 19
thagoras [u], non *ſapientem* ſe, ut [v] qui ante eum fuerunt, ſed *ſtudioſum ſapientiæ* vocari voluit. Ego tamen ſecundum communem loquendi conſuetudinem ſæpe dixi, dicamque, *perfectum oratorem* eſſe Ciceronem, ut amicos et *bonos viros*, et *prudentiſſimos* dicimus vulgo, quorum nihil niſi perfecte ſapienti datur. Sed cum proprie, et ad legem ipſam veritatis loquendum erit, eum quæram oratorem, quem et ille quærebat. Quamquam enim ſtetiſſe 20
ipſum in faſtigio eloquentiæ fateor, ac vix, quid adjici potuerit [x], invenio, fortaſſe inventurus [z], quod [a] adhuc abſciſſurum putem fuiſſe, (nam fere ſic docti judicaverunt, *plurimum in eo virtutum, nonnihil fuiſſe vitiorum:* et ſe ipſe multa ex illa juvenili abundantia coercuiſſe teſtatur) tamen quando nec ſapientis ſibi nomen, minime ſui contemtor, aſſeruit; et melius dicere, certe data longiore vita, et [b] ætate [c] ad componendum ſecuriore, potuiſſet: non maligne crediderim, defuiſſe ei ſummam illam, ad quam nemo propius acceſſit. Et licebat, ſi aliter [d] ſenti- 21
rem, fortius id et liberius defendere. An vero M. Antonius *neminem a ſe viſum eloquentem*, quod tanto minus erat, profeſſus eſt; ipſe etiam M. Tullius *quærit adhuc* [e] *eum*, et tantum imaginatur ac fingit; ego non audeam di-

[u] Pythagoram G. [v] et Jenſ. [x] poterit *id.* [z] *om.* G. [a] quid G. Jenſ. [b] *om.* Jenſ. [c] ſe G. [d] aliud Jenſ. [e] hunc G.

19. *Pythagoras*] Notiſſima hiſtoria vel ex Cic. Tuſc. 5, 3, *Artem quidem ſe ſcire nullam, ſed eſſe philoſophum* &c.

20. *multa coercuiſſe teſtatur*] Bruto c. 91, de Molone, *Is dedit operam (ſi modo id conſequi potuit) ut nimis redundantes nos, et ſuperfluentes quadam dicendi impunitate et licentia, reprimeret, et quaſi extra ripas diffluentes coerceret.*

21. *Et licebat, ſi aliter*] H. e. Si minus honorifice ſentirem de Cicerone, licebat hodie, ubi inſectatores ita multos habet, ubi regnatrix domus, ob partes, adhuc odit illius memoriam, fortius et liberius de illo dicere. An ita potius, quod propter perpetuam Ciceronis in hoc opere admirationem fere probabilius videtur; Licebat mihi, per Domitianum, ſi majus quid de Cicerone ſentirem, fortius defendere, et ipſum pro perfecto undiquaque oratore laudare.

21. *M. Antonius*] Cic. Orat. 5, *M. Antonius—in eo libro quem unum reliquit, diſertos ait ſe vidiſſe multos, eloquentem omnino neminem.* Legenda ſunt etiam reliqua hujus loci admodum ad hanc rem accommodata: et ſunt per totum librum ſparſa talia, quibus indicet, ſe formam oratoris quærere, oratorem monſtrare digito vel voce non poſſe: vel, ut ipſe loquitur c. 2, perfectum illud quærit, quod neque oculis, neque *auribus, neque ullo ſenſu percipi poteſt*; *cogitatione tantum et mente complectimur*. Similia ex perſona Craſſi de Orat. 3, 22, ſq.

cere, aliquid in hac, quæ supereſt, æternitate inveniri
22 poſſe, eo, quod fuerit, perfectius? Tranſeo illos, qui Ciceroni ac Demoſtheni ne in eloquentia quidem ſatis tribuunt: quamquam neque ipſi Ciceroni Demoſthenes videatur ſatis eſſe perfectus, quem *dormitare* interim dicit; nec Cicero Bruto Calvoque, qui certe compoſitionem illius etiam apud ipſum reprehendunt; nec Aſinio utrique, qui vitia orationis ejus etiam inimice pluribus in locis in-
23 ſequuntur [f]. Concedamus ſane (quod minime natura patiatur) repertum eſſe aliquem malum virum, ſumme diſertum: nihilo tamen minus oratorem eum negabo. Nam nec omnibus, qui fuerint [g] manu promti, viri fortis nomen conceſſerim, quia ſine virtute intelligi non poteſt
24 fortitudo. An ei, qui ad defendendas cauſſas advocatur, non eſt opus fide, quam nec cupiditas corrumpat, nec gratia avertat, nec metus frangat? ſed proditorem, transfugam, prævaricatorem donabimus oratoris illo ſacro nomine? Quod ſi mediocribus etiam patronis convenit hæc, quæ vulgo dicitur, *bonitas:* cur non orator ille, qui nondum fuit, ſed poteſt eſſe, tam ſit moribus, quam dicendi virtute

[f] conſeq. Jenſ. [g] fuerunt G.

21. *in hac æternitate*] Non abſurde ita argumentari licet: cum obſervata ſint ea incrementa artium ſucceſſione ſæculorum, quæ prædicere vel imaginari nemo facile auſus eſſet; credibile eſt, futuram etiam ætatem adjecturam aliquid illis, quæ ſumma nunc putantur. Quanquam cauſæ ſupervenire externæ poſſunt, quæ illum quaſi gradum et progreſſum impediant, ut v. g. perierat ex rebus eloquentia; et licet ad aliquam ſcribendi facultatem reditus factus ſit; neſcio, an ea, quæ proprie vocatur eloquentia et vis dicendi, unquam locum ſuum ſplendoremque ſit recuperatura: contra in phyſicis mathematiciſque artibus ille gradus factus eſt, ut admiraturi ſint, ſi redeant antiqui illi ingenioſiſſimi homines &c. Quod autem *æternitatem* Fabius appellat, a recepta tum ſentiendi inter gentiles tum loquendi ratione profectum eſt.

22. *Demoſthenes—dormitare*] Vid. quæ monemus ad 10, 1, 24. Utrum periit locus, ubi de Demoſthene hoc verbo uſus eſt? An Fabius, qui l. c. *dormitandi* verbo per occaſionem Homeri uſus fuerat, eoque complexus Demoſthenem, memoria labitur?

22. *Bruto Calvoque*] Dial. de Oratt. 18, *Legiſti utique et Calvi et Bruti ad Ciceronem miſſas epiſtolas, ex quibus facile eſt deprehendere, Calvum quidem Ciceroni viſum exſanguem et attritum, Brutum autem otioſum atque disjunctum: rurſumque Ciceronem a Calvo quidem male audiviſſe tanquam ſolutum et enervem; a Bruto autem, ut ipſius verbis utar, fractum atque elumbem. Si me interroges, omnes mihi* (Aper loquitur) *videntur verum dixiſſe.* Add. 12, 10, 12. ſq.

22. *Aſinio utrique*] Patri et filio, quorum hic *de comparatione patris et Ciceronis libros* edidit lectos Plinio epiſt. 7, 4, 4, et refutatos a Claudio Imp. teſte Sueton. c. 41. Add. Gell. 17, 1.

perfectus ? Non enim forenſem quamdam inſtituimus 25
operam, nec mercenariam vocem, nec (ut aſperioribus verbis parcamus) non inutilem ſane litium advocatum, quem denique *cauſſidicum* vulgo vocant; ſed virum, cum ingenii natura præſtantem, tum vero tot pulcherrimas artes penitus mente complexum, datum tandem rebus humanis, qualem nulla antea vetuſtas cognoverit, ſingularem, perfectumque undique, optima[h] ſentientem, optimeque dicentem. In hoc quota pars erit, quod aut inno- 26
centes tuebitur, aut improborum ſcelera compeſcet, aut in pecuniariis quæſtionibus veritati contra calumniam aderit[i]? Summus ille quidem in his quoque operibus fuerit, ſed in majoribus clarius elucebit, cum regenda ſenatus conſilia, et popularis error ad meliora ducendus.
An non talem quemdam videtur finxiſſe Virgilius, quem 27
in ſeditione vulgi, jam faces et ſaxa jaculantis, moderatorem dedit[l]?

Tum pietate gravem ac meritis ſi forte virum quem
Conſpexere, ſilent, arrectiſque auribus adſtant.

Habemus igitur ante omnia *virum bonum*, poſt hæc adjecit *dicendi peritum*,

Ille regit dictis animos, et pectora mulcet.

[m]Quid? non in bellis quoque idem ille vir, quem inſti- 28
tuimus, ſi ſit ad prælium miles cohortandus, ex mediis ſapientiæ præceptis orationem trahet? Nam quomodo pugnam ineuntibus, tot ſimul metus laboris, doloris, poſtremo mortis ipſius exciderint[n], niſi in eorum locum pietas, et fortitudo, et honeſti præſens[o] imago ſucceſſerit?
Quæ certe melius perſuadebit aliis, qui prius perſuaſerit 29
ſibi. PRODIT enim ſe, quamlibet[p] cuſtodiatur, ſimulatio: nec umquam tanta fuerit eloquendi[q] facultas, ut non titubet ac hæreat, quoties ab animo verba diſſentiunt. Vir autem malus aliud dicat[r] neceſſe eſt, quam ſentit[s].
Bonos[t] numquam honeſtus ſermo deficiet, numquam re- 30

[h] optime G. [i] addiderit Jenſ. [l] animi G. Jenſ. [m] Et *inſ.* Jenſ. [n] exciderent Jenſ. [o] patris Jenſ. *ex compendio* pris *et* pns. [p] quantum libet G. *gloſſa.* [q] loquendi G. [r] dicit G. [s] ſentiet Jenſ. [t] Bonis *id.*

25. *forenſem—operam*] Ut ſæpiſſime apud ruſticos meos ponuntur *operæ* pro hominibus vel mercede, vel ſervitutis neceſſitate opus facientibus.

27. *Tum pietate*] Æn. 1, 148.

rum optimarum (nam iidem etiam prudentes erunt) inventio: quæ etiam ſi lenociniis deſtituta ſit, ſatis tamen natura ſua ornatur: NEC quidquam non diſerte, quod
31 honeſte, dicitur. Quare, juventus, imo omnis ætas (NEQUE enim rectæ voluntati ſerum eſt tempus ullum) totis mentibus huc tendamus, in hoc [u] elaboremus: forſan et conſummare contingat. Nam ſi natura non prohibet, et eſſe virum bonum, et eſſe dicendi peritum: cur non aliquis etiam unus utrumque conſequi poſſit? cur autem
32 non ſe quiſque ſperet fore illum aliquem? Ad quod ſi vires ingenii non ſuffecerint, tamen ad quem uſque modum proceſſerimus, meliores erimus ex utroque. Hoc certe prorſus [x] eximatur animo, rerum pulcherrimam eloquentiam cum vitiis mentis poſſe miſceri. Facultas dicendi, ſi in malos incidit, et ipſa judicanda eſt malum:
33 pejores enim illos facit, quibus contingit [z]. Videor mihi audire quoſdam (nec enim deerunt unquam, qui diſerti eſſe, quam boni, malint) illa dicentes: Quid ergo tantum eſt artis in eloquentia? cur tu de coloribus, et difficilium cauſſarum defenſione [a], nonnihil etiam de confeſſo loquutus es, niſi aliquando vis et facultas dicendi expugnat ipſam veritatem? Bonus enim vir non agit niſi bonas cauſſas: eas porro etiam ſine doctrina ſatis per ſe tuetur
34 veritas ipſa. Quibus ego, cum [b] de meo primum opere reſpondero, etiam pro boni viri officio, ſi quando eum ad defenſionem nocentium ratio duxerit [c], ſatisfaciam. Pertractare [d] enim, quo modo aut [e] pro falſis, aut etiam [f] pro injuſtis aliquando dicatur, non eſt inutile, vel propter hoc ſolum, ut ea facilius et deprehendamus, et refellamus: quemadmodum remedia melius adhibebit, cui nota,
35 quæ nocent, fuerint. Neque enim Academici, cum in utramque diſſerunt [g] partem, non ſecundum alteram [h] vivunt: neque Carneades ille, qui Romæ audiente Cenſorio Catone non minoribus viribus contra juſtitiam dicitur diſſeruiſſe, quam pridie pro juſtitia dixerat, injuſtus ipſe vir

[u] hac G. Jenſ. [x] procul exim. animorum pulch. *iid.* [z] contigit G. [a] defenſionibus G. [b] non G. [c] dixerit G. [d] Protractare Jenſ. [e] etiam Jenſ. [f] *om.* G. Jenſ. [g] dixerunt Jenſ. [h] naturam G.

35. *Carneades ille*] Rem copioſe narrat Plut. in Caton. maj. p. 639. H. Steph. Breviter Plinius 7, 30, ſ. 31, *Cato Cenſorius, in illa nobili trium ſapientiæ procerum ab Athenis legatione, quam primum legatos eos cenſuit dimittendos: quoniam illo viro argumentante, quid veri eſſet haud facile diſcerni poſſet.*

fuit. Verum et, *virtus* quid ſit, adverſa ei *malitia* detegit: et *æquitas* fit ex *iniqui* contemplatione manifeſtior, et plurima contrariis probantur. Debent ergo oratori ſic eſſe adverſariorum nota conſilia, ut hoſtium imperatori.
Verum et illud, quod prima propoſitione durum videtur, 36
poteſt afferre ratio, ut *vir bonus* in defenſione cauſſæ velit auferre aliquando judici veritatem. Quod ſi quis a me proponi mirabitur, (quamquam non eſt hæc mea proprie ſententia, ſed eorum, quos graviſſimos ſapientiæ magiſtros ætas vetus credidit) ſic judicet[i], pleraque eſſe, quæ non tam factis, quam cauſſis eorum, vel honeſta fiant, vel turpia. Nam ſi *hominem occidere, ſæpe*[l] *virtus, liberos necare*, 37
nonnumquam pulcherrimum eſt; aſperiora quædam adhuc dictu, ſi communis utilitas exegerit, facere conceditur; ne hoc quidem nudum[m] eſt intuendum, qualem cauſſam vir bonus, ſed etiam quare, et qua mente, defendat[n]. Ac primum concedant mihi omnes oportet, quod 38
Stoicorum quoque aſperrimi confitentur, facturum aliquando virum bonum, ut mendacium dicat, et quidem nonnumquam levioribus cauſſis: ut in pueris ægrotantibus, utilitatis eorum gratia multa fingimus, multa non facturi promittimus: nedum ſi ab homine occidendo graſ- 39
ſator avertendus ſit, aut hoſtis pro ſalute patriæ fallendus: ut hoc, quod alias in ſervis quoque reprehendendum eſt, ſit alias in ipſo ſapiente laudandum. Id ſi conſtiterit, multa jam video poſſe evenire, propter quæ orator bene ſuſcipiat tale cauſſæ genus, quale, remota ratione honeſta, non ſuſcepiſſet[o]. Nec hoc dico, quia ſeveriores ſequi 40
placet leges, pro patre, fratre, amico periclitantibus; tametſi[p] non mediocris hæſitatio eſt, hinc *juſtitiæ* propoſita imagine, inde *pietatis*: non nihil dubii relinquamus. Sit aliquis inſidiatus tyranno, atque ob id reus: utrumne ſalvum eum nollet[q] is, qui a nobis finitur, orator? an, ſi tuendum ſuſceperit, non tam falſis defendet, quam qui apud judices malam cauſſam tuetur? Quid ſi quædam 41
bene facta damnaturus eſt judex, niſi ea non eſſe facta convicerimus[r]: non vel hoc modo ſervabit orator non in-

[i] judicent G. [l] ſæpe virtus *om.* G. [m] nondum Jenſ. [n] defendit G. [o] recep. G. [p] tamen ſi med. G. [q] nolet G. Jenſ. [r] convinceremus G.

37. *liberos necare—pulcherrimum*] Ut in Junio Bruto Cos. ut in Manlio.

38. *ut mendacium dicat*] Quibus non contradicunt niſi in verbo, qui *mendacium* appellandum negant, cum bono conſilio diſſimulatur veritas, falſum dicitur.

nocentem modo, ſed etiam[s] laudabilem civem? Quid ſi quædam juſta natura, ſed conditione temporum inutilia civitati ſciemus: nonne utemur arte dicendi, bona qui-
42 dem, ſed malis artibus ſimili? At hoc nemo dubitabit, quin[t], ſi nocentes mutari in bonam mentem aliquo modo poſſint, ſicut poſſe interdum[u] conceditur, ſalvos eſſe eos magis e republica ſit, quam puniri. Si liqueat igitur oratori, futurum bonum virum, cui[x] vera objicientur, non
43 id aget, ut ſalvus ſit? Da nunc, ut crimine manifeſto prematur dux bonus, et ſine quo vincere honeſte civitas non poſſit: nonne ei communis utilitas oratorem advocabit? Certe Fabricius Cornelium Rufinum[z], et alioqui malum civem, et ſibi inimicum, tamen, quia utilem ſciebat ducem, imminente bello palam conſulem ſuffragio ſuo fecit: atque id[a] mirantibus quibuſdam reſpondit, *A cive ſe ſpoliari malle, quam ab hoſte venire.* Ita hic, ſi fuiſſet orator, non defendiſſet eumdem Rufinum[b] vel manifeſti peculatus
44 reum? Multa dici poſſunt[c] ſimilia, ſed vel unum ex his quodlibet ſufficit. Non enim hoc agimus, ut iſtud illi, quem formamus, viro ſæpe ſit faciendum: ſed ut, ſi talis coegerit ratio, ſit tamen vera finitio, *oratorem eſſe virum bonum, dicendi peritum.* Præcipere vero ac diſcere quomodo etiam probatione difficilia tractentur, neceſſarium[d]
45 eſt. Nam frequenter etiam optimæ cauſſæ ſimiles ſunt malis, et innocens reus multis veri ſimilibus premitur: quo ſit, ut eadem actionis ratione ſit defendendus, qua, ſi nocens eſſet. Jam innumerabilia ſunt bonis cauſſis maliſque communia, *teſtes, literæ, ſuſpiciones, opiniones.* Non aliter autem[e] veri ſimilia, quam vera, et confirmantur, et refelluntur. Quapropter, ut res feret, flectetur[f] oratio, manente honeſta voluntate.

II. Quando igitur orator eſt *vir bonus*, is autem citra virtutem intelligi non poteſt; virtus, etiamſi quoſdam impetus ex natura ſumit, tamen perficienda doctrina eſt: *mores* ante omnia oratori ſtudiis erunt excolendi, atque

[s] *om.* Jenſ. [t] quando *id.* [u] *om.* G. [x] cum G. Jenſ. [z] Rufum, et aliquando mal. Jenſ. [a] admir. G. Jenſ. [b] Rufum Jenſ. [c] poſſent *id.* [d] neceſſe G. Jenſ. [e] *om.* G. [f] flectatur G.

43. *Fabricius Cornelium*] Cic. de Orat. 2, 66, *Cum C. Fabricio P. Cornelius, homo, ut exiſtimabatur, avarus et furax, ſed egregie fortis, et bonus imperator, gratias ageret, quod ſe homo inimicus conſulem feciſſet, bello præſertim magno et gravi:* Nihil eſt, quod mihi gratias agas, *inquit*, ſi malui compilari, quam venire. Narrat etiam Gellius 4, 8.

omnis honeſti juſtique diſciplina pertractanda, ſine qua
nemo nec vir bonus eſſe, nec dicendi peritus poteſt. Niſi 2
forte accedamus iis, qui natura conſtare mores, et nihil
adjuvari diſciplina putant: ſcilicet, ut ea quidem, quæ
manu fiunt, atque eorum etiam contemtiſſima, confitean-
tur egere doctoribus: virtutem vero, qua nihil homini,
quo ad deos immortales propius accederet[g], datum eſt,
obviam et illaboratam, tantum quia nati[h] ſimus[i], habea-
mus. Abſtinens erit, qui id[l] ipſum, quid ſit abſtinentia, 3
ignorarit[m]? Et fortis, qui metus doloris, mortis, ſuperſti-
tionis, nulla ratione purgaverit? Et juſtus, qui æqui bo-
nique tractatum, qui leges, quæ natura ſunt omnibus da-
tæ, quæque propriæ populis et gentibus conſtitutæ, non
eruditiore[n] aliquo ſermone tractaverit? O quam iſtud pa-
rum putant, quibus tam[o] facile videtur! Sed hoc tranſeo, 4
de quo neminem, qui literas vel primis, ut aiunt, labris
deguſtarit, dubitaturum puto: ad illud ſequens revertar,
ne dicendi quidem ſatis peritum fore, qui non et naturæ
vim omnem penitus perſpexerit, et mores præceptis ac ra-
tione formarit. Neque enim fruſtra in tertio de Oratore 5
libro L. Craſſus cuncta, quæ *de æquo, juſto, vero, bono*,
deque iis, quæ ſunt contra poſita, dicuntur, propria eſſe
oratoris affirmat: ac philoſophos, cum ea dicendi viribus
tuentur, uti rhetorum armis, non ſuis. Idem tamen con-
fitetur, ea jam eſſe a philoſophia petenda, videlicet quia
magis hæc illi videtur in poſſeſſione earum rerum fuiſſe.
Hinc etiam illud eſt, quod Cicero pluribus libris et epi- 6
ſtolis teſtatur, dicendi facultatem ex intimis ſapientiæ[p]
fontibus fluere: ideoque aliquamdiu præceptores eoſdem
fuiſſe morum atque dicendi. Quapropter hæc exhortatio

[g] accedat Jenſ. [h] nacti *id.* [i] ſumus G. Jenſ. [l] id ipſum *om. iid.*
[m] ignoraret G. [n] eruditione Jenſ. [o] non Jenſ. [p] ſcientiæ G.

II, 2. *mores—nihil adjuvari diſciplina*] Eſt hæc antiqua illa quæſtio, εἰ διδακτὸν ἀρετή: de qua Plato in Menone et Protagora, Æſchines Socraticus dialogo hac inſcriptione, Max. Tyrius diſſ. 17. 21. 22. In primis autem huc pertinet, et graviter ſententiam Fabii confirmat aureus Plutarchi libellus Ὅτι διδακτὸν ἡ ἀρετή.

3. *Abſtinens—ignorarit?*] Sunt quidem homines vel natura, vel neceſſitate, vel conſuetudine abſtinentes, aut alia parte ſibi utiles, boni et commodi reipublicæ, qui hoc ipſum quid ſit? ignorant; præferendi (addetur enim et hoc) illis, ſi qui poſt acutiſſimas de virtute diſputationes, vivunt vitia. Sed virtus, quæ imputari poſſit, quæ præmium mereatur, proprie non eſt, niſi, quid? et cur faciat? intelligentis.

5. *in tertio de Oratore*] C. 19. 27. 31. quin toto paſſim opere.

mea non eo pertinet, ut eſſe oratorem philoſophum velim, quando non alia vitæ ſecta longius a civilibus officiis, at-
7 que ab omni munere oratoris receſſit. Nam quis philoſophorum aut in judiciis frequens, aut clarus in concionibus fuit? Quis denique in ipſa, quam maxime plerique præcipiunt, reipublicæ adminiſtratione verſatus eſt [q]? Atque ego illum, quem inſtituo [r], Romanum quemdam velim eſſe ſapientem, qui non ſecretis diſputationibus, ſed rerum experimentis atque operibus, vere civilem virum
8 exhibeat. Sed quia deſerta ab iis, qui ſe ad eloquentiam contulerunt, ſtudia ſapientiæ, non jam in actu ſuo atque in hac fori luce verſantur, ſed in porticus et gymnaſia primum, mox in conventus ſcholarum receſſerunt, id quod eſt oratori neceſſarium, nec a dicendi præceptoribus traditur, ab iis petere nimirum neceſſe eſt, apud quos remanſit.
9 Evolvendi penitus auctores, qui de *virtute* præcipiunt, ut oratoris vita cum ſcientia divinarum rerum ſit humanarumque conjuncta. Quæ ipſæ quanto majores ac pulchriores viderentur, ſi illas ii docerent, qui etiam eloqui præſtantiſſime poſſent? Utinamque ſit tempus umquam, quo perfectus aliquis (qualem optamus) orator hanc partem ſuperbo nomine et vitiis quorumdam bona ejus corrumpentium inviſam, vindicet ſibi, ac, velut rebus repetitis, in
10 corpus eloquentiæ adducat. Quæ quidem cum ſit in tres diviſa partes, *naturalem*, *moralem*, *rationalem*: quæ [s] tandem non eſt cum oratoris opere conjuncta? Nam ut ordinem retro agamus, de ultima illa, quæ tota verſatur in verbis, nemo dubitaverit, ſi et proprietates vocis cujuſque noſſe, et ambigua aperire, et perplexa diſcernere, et de falſis judicare, et colligere ac reſolvere, quæ velis, oratoris
11 eſt. Quamquam ea non tam eſt minute atque conciſe in actionibus utendum, quam in diſputationibus: quia non docere modo, ſed movere etiam ac delectare audientes debet orator: ad quod impetu quoque et viribus ac decore eſt opus: UT vis amnium major eſt altis ripis, multoque gurgitis tractu fluentium, quam tenuis aquæ, et
12 objectu lapillorum reſultantis. Et UT palæſtrici doctores illos, quos *numeros* vocant, non idcirco diſcentibus tra-

[q] *om.* Jenſ. [r] inſtitutum *id.* [s] qua *id.*

6. *oratorem philoſophum*] Adulatur hic etiam Domitiano, *philoſophos urbe Italiaque ſubmoventi*, Sueton. c. 10.

8. *ab iis petere*] Totum hunc locum tractat etiam in proœmio univerſi operis ſ. 16. ſqq.

dunt, ut his omnibus ii, qui didicerint, in ipſo luctandi certamine utantur, (plus enim pondere et firmitate et ſpiritu agitur) ſed ut ſubſit copia illa, ex qua unum aut alterum, cujus ſe occaſio dederit, efficiant: ita hæc pars dia- 13
lectica, ſive illam dicere malimus *diſputatricem*, ut eſt utilis ſæpe et finitionibus, et comprehenſionibus, et ſeparandis, quæ ſunt differentia, et reſolvenda ambiguitate, et diſtinguendo, dividendo, illiciendo, implicando: ita ſi totum ſibi vindicaverit in foro certamen, obſtabit melioribus, et ſectas ad tenuitatem ſuam vires ipſa[t] ſubtilitate
conſumet. Itaque reperias quoſdam in diſputando mire 14
callidos, cum ab illa[u] cavillatione diſceſſerint, non magis ſufficere in aliquo graviore actu, quam parva quædam animalia, quæ in anguſtiis mobilia, campo deprehenduntur.
Jam quidem pars illa *moralis*, quæ dicitur *Ethice*, certe 15
tota oratori[x] eſt accommodata. Nam in tanta cauſſarum (ut[z] ſuperioribus libris diximus) varietate, cum alia conjectura quærantur, alia finitionibus concludantur, alia jure ſubmoveantur, vel transferantur, alia colligantur, vel ipſa inter ſe concurrant, vel in diverſum ambiguitate ducantur: nulla fere dici poteſt, cujus non parte in aliqua tracta-
tatus æqui ac boni reperiatur[a]. Pleraſque vero eſſe quis 16
neſcit, quæ totæ in ſola qualitate conſiſtant? In conſiliis vero quæ ratio ſuadendi eſt ab honeſti quæſtione ſepoſita? Quid[b] illa etiam pars tertia, quæ *laudandi* ac *vituperandi* officiis continetur? Nempe in tractatu recti pravique ver-
ſatur. An de *juſtitia*, *fortitudine*, *abſtinentia*, *temperantia*, 17
pietate, non plurima dicet orator? ſed ille vir bonus, qui hæc non vocibus tantum ſibi nota atque nominibus, aurium tenus[c] in uſum linguæ perceperit, ſed qui virtutes ipſas mente complexus, ita ſentiet, nec in cogitando ita labo-
rabit, ſed, quod ſciet, vere dicet. Cum ſit[d] autem omnis 18
generalis quæſtio ſpeciali potentior, quia univerſo pars continetur, non utique accedit parti, quod univerſum eſt: profecto nemo dubitabit, generales quæſtiones in illo
maxime ſtudiorum more verſatas. Jam vero cum ſint 19
multa propriis brevibuſque comprehenſionibus finienda, unde etiam ſtatus cauſſarum dicitur *finitivus*: nonne ad id

[t] ipſam Jenſ. [u] vero G. Jenſ. [x] oratoris eſt. Nam *iid.* [z] in G. [a] reperiantur Jenſ. [b] Quin *id.* [c] tenuis G. [d] *om.* G. Jenſ.

13. *illiciendo*] Quaſi in retia quædam: interrogationibus nempe, quæ nihil ad rem facere videntur, invitare et prolicere eum ad quædam reſponſa, quibus deinde implicetur.

quoque inſtrui ab iis, qui plus in hoc ſtudii dederunt, oportet? Quid? non quæſtio juris omnis, aut verborum proprietate, aut æqui diſputatione, aut voluntatis conjectura continetur? quorum pars ad rationalem, pars ad
20 moralem tractatum redundat. Ergo natura permixta eſt omnibus iſtis oratio, quæ quidem oratio eſt vere. Nam ignara quidem hujuſce doctrinæ loquacitas erret, neceſſe eſt, ut quæ vel nullos, vel falſos duces habeat. Pars vero *naturalis*, cum eſt ad exercitationem dicendi tanto ceteris uberior, quanto majore ſpiritu de divinis rebus, quam humanis loquendum eſt, tum illam etiam moralem, ſine qua nulla eſſe (ut docuimus) oratio poteſt, totum complecti-
21 tur. Nam ſi regitur providentia mundus, adminiſtranda certe bonis viris erit reſpublica. Si divina noſtris animis origo, tendendum ad virtutem: nec voluptatibus terreni corporis ſerviendum. An hæc [e] non frequenter tractabit orator? Jam *de auguriis, reſponſis, religione* [f] denique omni, de quibus maxima ſæpe in ſenatu conſilia verſata ſunt, non erit ei diſſerendum, ſi quidem (ut nobis placet) futurus eſt vir civilis idem? Quæ denique intelligi ſaltem poteſt eloquentia hominis optima neſcientis? Hæc ſi ratione manifeſta non eſſent, exemplis tamen crederemus.
22 Siquidem et Periclem (cujus eloquentiæ, etiamſi nulla ad nos monumenta venerunt, vim tamen quamdam incredibilem cum hiſtorici, tum etiam [g], liberrimum genus hominum, comici veteres tradunt) Anaxagoræ phyſici conſtat auditorem fuiſſe: et Demoſthenem, principem omnium
23 Græciæ oratorum, dediſſe operam Platoni. Nam M. Tul-

[e] hoc Jenſ. [f] religioni G. religioneque Jenſ. [g] *om.* G.

21. *ſi regitur providentia*] Argumentandi ratio Stoica, qua utitur etiam 3, 5, 6. it. 5, 10, 89. Propoſitio hic eſt phyſica. In naturali enim philoſophia quæritur, *Regaturne mundus providentia?* et argumentis ex ea petitis probatur validiſſime.

22. *comici veteres*] Vid. ſupra 2, 16, 19. et infra 12, 10, 65.

22. *Anaxagoræ — auditorem*] Plut. in Pericle p. m. 280. ſq. Quem etiam impietatis reum defendit; quo reſpexit lepidiſſimus mortalis Lucianus in Timone c. 10, ubi Jupiter fractum ſibi fulmen ait, cum peteret Anaxagoram, Ἐκείνȣ μὲν διήμαρτον, (ὑπερέσχε γὰρ αὐτȣ̃ τὴν χεῖρα Περικλῆς) ὁ δὲ κεραυνὸς κ. τ. λ.

22. *Demoſthenem—Platoni*] Plut. in vita maj. p. 1555, Ἕρμιππος δέ φησιν ἀδεσπότοις ὑπομνήμασιν ἐντυχεῖν, ἐν οἷς ἐγέγραπτο τὸν Δημοσθένη συνεσχολακέναι Πλάτωνι, καὶ πλεῖστον εἰς τȣ̀ς λόγȣς ὠφελεῖσθαι.

23. *M. Tullius*] Orat. 3, *Fateor me oratorem, ſi modo ſim, aut etiam quicunque ſim, non ex rhetorum officinis, ſed ex Academiæ ſpatiis exſtitiſſe.—Omnis enim ubertas et quaſi ſilva dicendi ducta ab illis eſt.*

lius, non tantum ſe debere ſcholis rhetorum, quantum
Academiæ ſpatiis, frequenter ipſe teſtatus eſt. Neque ſe
tanta in eo umquam fudiſſet ubertas, ſi ingenium ſuum
conſepto fori, non ipſius rerum [h] naturæ finibus termi-
naſſet. Verum ex hoc alia mihi quæſtio exoritur, quæ
ſecta conferre plurimum eloquentiæ poſſit: quamquam ea
non inter multas [i] poteſt eſſe contentio. Nam in primis 24
nos *Epicurus* a ſe ipſe [l] dimittit, qui fugere omnem diſci-
plinam navigatione quam [m] velociſſima [n] jubet. Neque
vero *Ariſtippus*, ſummum in voluptate corporis bonum
ponens, ad hunc nos laborem adhortetur [o]. *Pyrrho* qui-
dem quas in hoc opere partes habere poteſt, cui judices
eſſe, apud quos verba faciat, et reum, pro quo loquatur,
et ſenatum, in quo ſit dicenda ſententia, non liquebit?
Academiam quidam [p] utiliſſimam credunt, quod mos in 25
utramque partem diſſerendi ad exercitationem forenſium
cauſſarum proxime accedat. Adjiciunt loco probationis,
quod ea præſtantiſſimos in eloquentia viros ediderit. *Pe-
ripatetici* ſtudio quoque ſe quodam oratorio jactant. Nam
theſes dicere exercitationis gratia fere eſt ab his inſtitu-
tum. *Stoici*, ſicut copiam nitoremque eloquentiæ fere 26
præceptoribus ſuis defuiſſe concedant, neceſſe eſt, ita nul-
los aut probare acrius, aut concludere ſubtilius conten-
dunt. Sed hæc inter ipſos, qui velut ſacramento rogati,
vel etiam ſuperſtitione conſtricti, nefas ducunt a ſuſcepta
ſemel [q] perſuaſione diſcedere. Oratori vero nihil eſt ne-
ceſſe in cujuſquam jurare leges. Majus enim eſt opus at- 27
que præſtantius, ad quod ipſe tendit, et cujus eſt velut
candidatus, ſi quidem eſt futurus cum vitæ, tum etiam
eloquentiæ laude perfectus. Quare in exemplum bene
dicendi facundiſſimum quemque proponet ſibi ad imitan-

[h] *om.* G. [i] multos Jenſ. [l] ipſo G. [m] quaſi G. [n] velociſſime G. Jenſ. [o] hortetur Jenſ. [p] quidem *id.* [q] demum G.

24. *Epicurus a ſe dimittit*] *Qui neglexerit orationis ornamenta* Cic. de Fin. 1, 5, qui etiam Brut. 35, Epicureos *minime aptum ad dicendum genus* appellat.

24. *Pyrrho*] Artem vero impudenter negandi, et oppugnandi, quæ manifeſta videntur aliis, nemo forte felicius docuerit: et ſane multa ſuppeditabit in utramque partem diſputare amanti præſidia Sextus Empiricus.

25. *præſtantiſſimos—viros*] Platonem primo ipſum, (quem audiviſſe modo dictum eſt Demoſthenem) tum Carneadem, ipſumque Ciceronem.

25. *Peripatetici*] Quis enim vel de Oratoria arte melius ſcripſit Ariſtotele, aut Theophraſto locutus eſſe elegantius putatur?

dum: moribus vero formandis quam honeſtiſſima præcepta, rectiſſimamque ad virtutem viam deliget. Exercitatione quidem utetur omni, ſed tamen erit plurimus in
28 maximis quibuſque ac natura pulcherrimis [r]. Nam quæ poteſt materia reperiri ad graviter copioſeque dicendum magis abundans, quam *de virtute, de republica, de providentia; de origine animorum, de amicitia?* Hæc ſunt, quibus mens pariter atque oratio inſurgant: *quæ vere*[s] *bona, quid mitiget metus, coerceat cupiditates, eximat nos opinioni-*
29 *bus vulgi, animumque*[t] *cæleſtem.* Neque ea ſolum, quæ talibus diſciplinis continentur, ſed magis etiam, quæ ſunt tradita antiquitus, dicta, ac facta præclare, et noſſe, et animo ſemper agitare conveniet. Quæ profecto nuſquam plura majoraque, quam in noſtræ civitatis monumentis re-
30 perientur. An fortitudinem, juſtitiam, fidem, continentiam, frugalitatem, contemtum doloris ac mortis, melius alii docebunt, quam Fabricii, Curii, Reguli, Decii, Mutii, aliique innumerabiles? Quantum enim Græci præceptis valent, tantum Romani (quod[u] eſt majus) exem-
31 plis. Tantumque non cognatis id[v] e rebus admoneri ſciet, qui non modo proximum tempus, locumque præſentem intueri ſatis credat, ſed omnem poſteritatis memoriam, ſpatium vitæ honeſtæ, et curriculum laudis exiſtimet. Hinc mihi ille juſtitiæ hauſtus bibat, hinc ſumtam libertatem in cauſſis atque conſiliis præſtet. Neque erit perfectus orator, niſi qui honeſte dicere et ſciet, et audebit.

III. *Juris* quoque *civilis* neceſſaria huic viro *ſcientia* eſt, et morum ac religionum ejus reipublicæ, quam capeſſet. Nam qualis eſſe ſuaſor in conſiliis publicis privatiſve poterit, tot rerum, quibus præcipue civitas continetur, ignarus? Quo autem modo patronum ſe cauſſarum non falſo dixerit, qui, quod eſt in cauſſis potentiſſimum, ſit ab al-

[r] pulcherrimus Jenſ. [s] vero *id.* [t] exiſtiment *inſ. Lugd.* 1528, 8, *ex conj. Aſc.* probant *inſ. conj. Paſſer. ap. Burm. cui etiam aliquid deeſſe vid.* [u] *incluſa vid. ex gloſſa.* [v] idem rebus G. ſideribus Jenſ. tantum quod non cognatis ſideribus admoneri, quin non *Obr. vid. not.*

31. *Tantumque non*] Locus ſi non corruptus plane, certe obſcurus; quem ſi legas ut Gothæ eſt, ſic forte interpreteris haud male. Futurus, quem hic fingimus, orator Romanus *tantum non* (h. e. prope) *cognatis rebus* geſtis majorum ſuorum *idem* ſ. ad eandem rem *admoneri* ſe et impelli *ſciet* atque ſentiet, *qui*, vel ſi quis, *non modo proximum* &c. Cum enim videat ſuperiorum ſupereſſe memoriam, idem ſibi et ſuis rebus eventurum intelligit.

tero petiturus? pene non diſſimilis iis, qui poetarum
ſcripta pronuntiant. Nam quodammodo mandata per- 2
feret, et [x] ea, quæ ſibi a judice credi poſtulaturus eſt, aliena fide dicet: et ipſe litigantium auxiliator egebit auxilio.
[y] Quod ut fieri nonnunquam minore incommodo poſſit, cum domi præcepta et compoſita, et ſicut cetera, quæ in cauſſa ſunt, in diſcendo cognita ad judicem perferet [z]: quid fiet in iis [a] quæſtionibus, quæ ſubito inter ipſas actiones naſci ſolent? non deformiter reſpectet? et inter
ſubſellia minores advocatos interroget? Poteſt autem [b] 3
ſatis diligenter accipere, quæ tum audiet, cum ei dicenda ſunt? aut fortiter affirmare, aut ingenue [c] pro ſuis dicere? poſſit [d] in actionibus: quid fiet [e] in altercatione [f], ubi occurrendum continuo, nec libera ad diſcendum mora eſt? Quid? ſi forte peritus juris ille non aderit? Quid [g]? ſi quis non ſatis in ea re doctus, falſum aliquid ſubjecerit? Hoc enim eſt maximum ignorantiæ malum, quod credit
eum ſcire, qui moneat. Neque ego ſum noſtri moris ig- 4
narus, oblituſve eorum, qui velut ad arculas ſedent, et tela agentibus ſubminiſtrant: neque idem Græcos quoque neſcio factitaſſe, unde nomen his *pragmaticorum* datum eſt. Sed loquor de oratore, qui non clamorem modo
ſuum cauſſis, ſed omnia, quæ profutura ſunt, debet. Ita- 5
que eum nec inutilem, ſi ad horam forte conſtiterit, ne-

[x] eaque Jenſ. [y] Quid? quod fieri *id.* [z] perfert G. [a] *om.* G. Jenſ. [b] aut Jenſ. [c] poſſit *inf.* Jenſ. [d] *om. id.* [e] *om.* G. [f] altricatione G. *hic et ſæpe ſupra.* [g] Quod ſi Jenſ.

III, 4. *ad arculas*] Telorum in curru militari, quibus inclamat ipſe heros, ex Æn. 10, 333, *Suggere tela mihi:* quod bene obſervatum in Burmanniana.

4. *nomen—pragmaticorum*] Vid. 3, 6, 58.

5. *ad horam forte conſtiterit*] Nihil melius, certius quidem nihil novi iis, quæ Burmannus hic dedit; *Patronus ita debet poſſe conſiſtere in judicio, ut ex tempore, et intra ſpatium quod clepſydra definit, ea dicat, quæ cauſa requirit.* Probat hanc ſententiam etiam rogatus a me Ill. Gebaverus, non minor literarum noſtrarum, quam juris quod docet, de quo reſpondet, gloria. Et tamen, fateor, ſcrupulum mihi injicit, non quidem *conſiſtendi* verbum; illud enim de cauſæ dictione apud judices adhiberi vel Tertullianus ſatis me docuit, v. g. Apol. c. 4, pr. *Jam de cauſa innocentiæ conſiſtam, nec tantum refutabo, quæ nobis objiciuntur, ſed etiam in ipſos retorquebo,* qui objiciunt. Et c. 46, pr. *Conſtitimus adverſus omnium criminum intentationem:* ibidemque συνωνύμας ponuntur, *Si de pudicitia provocemus, ſi de probitate defendam, ſi de modeſtia certem, ſi de animi æquitate congrediar, ſi de fide comparem,* (an *compaream?*) *ſi de ſimplicitate conſiſtam.* De hoc igitur nullum mihi erat dubium. Neque negavero *ad horam* ſignificare *ad clepſydram* illam judicia-

que in teſtationibus faciendis eſſe imperitum velim. Quis enim potius præparabit ea, quæ, cum aget, eſſe in cauſſa velit? Niſi forte imperatorem quis idoneum credit in præliis quidem ſtrenuum et fortem, et omnium, quæ pugna poſcit, artificem: ſed neque delectus agere, nec copias contrahere atque inſtruere, nec proſpicere commeatus, nec locum capere caſtris ſcientem: prius eſt enim
6 certe parare bella, quam gerere. Atqui ſimillimus huic ſit advocatus, ſi plura, quæ ad vincendum valent, aliis reliquerit: cum præſertim hoc, quod eſt maxime neceſſarium, non tam ſit arduum, quam procul intuentibus fortaſſe videatur. Namque omne jus, quod eſt *certum*, aut *ſcripto* aut *moribus* conſtat: *dubium* æquitatis regula exa-
7 minandum eſt. Quæ ſcripta ſunt, aut poſita in more civitatis, nullam habent difficultatem, cognitionis ſunt enim, non inventionis: at quæ conſultorum reſponſis explicantur, aut in verborum interpretatione ſunt poſita, aut
8 in[h] recti pravique diſcrimine. Vim cujuſque vocis intelligere, aut commune prudentium eſt, aut proprium oratoris: æquitas optimo cuique notiſſima. Nos porro et bonum virum, et prudentem in primis oratorem putamus: qui cum ſe ad id, quod eſt optimum natura, direxerit[i], non magnopere commovebitur[l], ſi quis ab eo conſultus diſſentiet[m], cum ipſis illis diverſas inter ſe opiniones tueri conceſſum ſit. Sed etiam ſi noſſe, quid[n] quiſque ſenſerit, volet, lectionis opus eſt, qua nihil eſt in ſtu-
9 diis minus laborioſum. Quod ſi plerique, deſperata facultate agendi, ad diſcendum jus declinaverunt, quam id

h *om.* Jenſ. i duxerit *id.* l conabitur G. m diſſentiat G. n *om.* G.

riam. Verum illud me movet, quod non de opere proprio Oratoris vel Patroni hic ſermo eſt, ſed de ea opera, quam *forte* et obiter præſtare etiam vult Patronum Fabius; non de agenda cauſa apud judices, ſed de *præparandis, quæ* Patronus *in cauſa eſſe velit*; nempe vel apud prætorem ſive in jure, ubi conteſtanda lis eſt, vel *in teſtationibus faciendis*. Itaque arbitror, verbis, ad quæ iſta commentamur, intelligi *litis conteſtationem*, et quidquid ante illam agendum eſt juris ſui obtinendi cauſa, in quo ICto opus eſt cauto, ne plus petatur, ne actio difficilior pro faciliore inſtituatur &c. Hic, ſi forte intervenerit Patronus, optabile eſt, ut et ipſe juris in tantum peritus ſit, quo cavere clienti poſſit.

5. *in teſtationibus faciendis*] Vid. Bynckerſh. Obſſ. 3, 18. Nimirum hic generatim puto hoc intelligi; oratorem juris eatenus certe peritum eſſe debere, ut non ignoret, quibus ſolennibus cautionibuſve opus ſit ad teſtes audiendos, eorumque dicta conſignanda, ut ea res fidem conſequatur et firmitatem.

9. *ad diſcendum jus declinaverunt*] Cicero pro Murena c. 13,

ſcire facile eſt oratori, quod diſcunt, qui ſua quoque confeſſione oratores eſſe non poſſunt? Verum et M. Cato cum in dicendo præſtantiſſimus, tum juris idem fuit peritiſſimus: et Scævolæ Servioque Sulpicio conceſſa eſt etiam facundiæ virtus. Et M. Tullius non modo inter agen- 10
dum numquam eſt deſtitutus ſcientia juris, ſed etiam componere aliqua de eo cœperat: ut appareat, poſſe oratorem non diſcendo [o] tantum juri vacare, ſed etiam docendo. Verum ea, quæ de moribus excolendis ſtudioque 11
juris præcipimus [p], ne quis eo credat reprehendenda, quod multos cognovimus, qui tædio laboris, quem ferre tendentibus ad eloquentiam neceſſe eſt, confugerint ad hæc deverticula deſidiæ: quorum alii ſe ad album ac rubricas tranſtulerunt, et formularii, vel, ut Cicero ait, *leguleii* quidam eſſe maluerunt, tamquam utiliora eligentes ea, quorum ſolam facilitatem ſequebantur: alii pigritiæ arro- 12
gantioris, qui ſubito fronte conficta [q], immiſſaque barba, veluti deſpexiſſent oratoria præcepta, paullum aliquid ſederunt in ſcholis philoſophorum, ut deinde in publico triſtes, domi diſſoluti, captarent auctoritatem contemtu ceterorum. PHILOSOPHIA enim ſimulari poteſt, eloquentia non poteſt.

IV. In primis vero abundare debet orator *exemplorum copia*, cum veterum, tum etiam novorum, adeo ut non ea modo, quæ conſcripta ſunt hiſtoriis, aut ſermonibus velut per manus tradita, quæque quotidie aguntur, debeat noſſe; verum ne ea quidem, quæ ſunt a clarioribus poetis ficta, negligere. Nam illa quidem priora [r], aut teſtimo- 2

[o] dicendo G. [p] præcepimus nonne quis Jenſ. nonne *etiam* G. [q] conſtructa i. b. v. depexuiſſent *J. Gebh. Crep.* 2, 9, p. 80, *et Gallæus. Quid ſi* conſtricta? [r] propria Jenſ.

Videntur plerique ICti *initio multo hoc maluiſſe* ut oratores fierent.) *Poſt, cum id aſſequi non potuiſſent, iſtuc potiſſimum ſunt delapſi: ut aiunt in Græcis artificibus* &c.

11. *ad album et rubricas*] *Album* Prætoris, ut omnia inde edicta diſcerent, et in numerato haberent; *rubricas* autem ICtorum, quæ jam ea ætate hoc nomen habuiſſe, ex Perſio 5, 90, et *Maſuri rubrica*, apparet.

11. *leguleii*] De Orat. 1, 55, *Ita eſt tibi Juriſconſultus ipſe per ſe nihil, niſi leguleius quidam cautus et acutus, præco actionum, cantor formularum, auceps ſyllabarum.*

12. *immiſſaque barba*] Confirmat hæc formula, et viciſſim confirmatur his, quæ ſcripſimus in Add. ad Varr. R. R. 1, 31, 3. Nam ut ibi *vitis immittitur* pro eo, quod ſolennius eſt *ſubmittitur* vel *ſummittitur*; ita hic *immiſſa* barba eſt, quæ alias *ſubmiſſa*. Cæterum hic etiam peti inviſos Domitiano philoſophos, apparet.

niorum, aut etiam judicatorum obtinent locum: ſed hæc quoque aut vetuſtatis fide tuta ſunt, aut ab hominibus magnis præceptorum loco ficta creduntur. Sciat ergo quam plurima: unde etiam ſenibus auctoritas major eſt, quod plura noſſe et vidiſſe creduntur: quod Homerus frequentiſſime teſtatur. Sed non eſt exſpectanda ultima ætas, cum ſtudia præſtent, ut, quantum ad cognitionem pertinet rerum, etiam præteritis ſeculis vixiſſe videamur.

V. Hæc ſunt, quæ me redditurum promiſeram, *inſtrumenta*, non artis, ut quidam putaverunt, ſed ipſius *oratoris*. Hæc arma habere ad manum, horum ſcientia debet eſſe ſuccinctus, accedente verborum figurarumque facili copia, et inventionis ratione, et diſponendi uſu, et memoriæ firmitate [s], et actionis gratia. Sed plurimum ex his valet *animi præſtantia*, quam nec metus frangat, nec acclamatio terreat, nec audientium auctoritas [t] ultra
2 debitam reverentiam tardet. Nam ut abominanda ſunt contraria his vitia confidentiæ, temeritatis, improbitatis, arrogantiæ: ita citra conſtantiam, fiduciam, fortitudinem, nihil ars [u], nihil ſtudium, nihil profectus ipſe profuerit: ut ſi des arma timidis et imbellibus. Invitus mehercle dico, quoniam et aliter accipi poteſt, ipſam verecundiam, vitium quidem, ſed amabile, et quæ virtutes facillime generet, eſſe interim [x] adverſam, multiſque in cauſſa fuiſſe, ut bona ingenii ſtudiique in lucem non prolata, ſitu quo-
3 dam ſecreti conſumerentur. Sciat autem, ſi quis hæc, forte minus adhuc peritus diſtinguendi vim cujuſque verbi, leget, non probitatem a me reprehendi, ſed verecundiam, quæ eſt timor quidam, reducens animum ab iis, quæ facienda ſunt, unde confuſio, et cœpti pœnitentia, et ſubitum ſilentium. Quis porro dubitet vitiis adſcribere
4 affectum, propter quem facere honeſte pudet? Neque ego rurſus nolo eum, qui ſit dicturus, et ſolicitum ſurgere, et colore [z] mutari, et periculum intelligere: quæ ſi non accident, etiam ſimulanda erunt. Sed intellectus hic ſit operis, non metus: moveamurque, non concidamus. Optima eſt autem emendatio verecundiæ, *fiducia*: et quam-
5 libet imbecilla frons, magna *conſcientia* ſuſtinetur. Sunt et naturalia, ut ſupra dixi, quæ tamen et cura juvantur,

[s] firmate Jenſ. [t] auctoritatis *id.* [u] artes G. [x] inter adverſa G. [z] colorem mutare Jenſ.

V, 5. *ut ſupra dixi*] Procœm. univerſi operis ſ. 26. ſq. Illud de *Trachallo* etiam tetigit 10, 1, 119.

inſtrumenta, *vox*, *latus* [a], *decor*: quæ quidem tantum valent, ut frequenter famam ingenii faciant. Habuit oratores ætas [b] noſtra copioſiores: ſed cum diceret, eminere inter æquales *Trachallus* [c] videbatur: ea corporis ſublimitas erat, is ardor oculorum, frontis auctoritas, geſtus præſtantia, vox quidem, non ut Cicero deſiderat, pene tragœdorum, ſed ſuper omnes, quos ego quidem audierim, tragœdos. Certe cum in baſilica Julia diceret primo tri- 6
bunali, quatuor autem judicia, ut moris eſt, cogerentur, atque omnia clamoribus fremerent, et auditum eum et intellectum, et, quod agentibus ceteris contumelioſiſſimum fuit, laudatum quoque ex quatuor tribunalibus memini. Sed hoc votum [d] eſt, et rara felicitas: quæ ſi non adſit, ſane ſufficiat, ab iis, quibus quis dicit, audiri. Talis eſſe debet orator, et hæc ſcire.

VI. Agendi autem initium ſine dubio ſecundum vires cujuſque ſumendum eſt. Neque ego annos definiam, cum *Demoſthenem* puerum admodum actiones pupillares [e] habuiſſe manifeſtum ſit; *Calvus*, *Cæſar*, *Pollio*, multum ante quæſtoriam omnes ætatem graviſſima judicia ſuſceperint [f]; prætextatos egiſſe quoſdam ſit traditum; *Cæſar Auguſtus* duodecim natus annos aviam pro Roſtris laudaverit [g]. Modus mihi videtur quidam tenendus, ut neque 2
præpropere [h] diſtringatur [i] immatura frons, et quidquid eſt illud adhuc acerbum proferatur. Nam inde et contemtus operis innaſcitur, et fundamenta jaciuntur impudentiæ, et (quod eſt ubique perniencioſiſſimum) prævenit vires fiducia. Nec rurſus differendum eſt tirocinium in ſenectutem. Nam quotidie metus creſcit, majuſque fit ſemper, quod 3
auſuri ſumus: et, dum deliberamus, quando incipiendum

[a] latera G. [b] *om.* G. [c] Trachulus G. Trachalus Jenſ. [d] notum Jenſ. [e] populares Jenſ. [f] ſuſceperunt *id.* [g] laudavit G. [h] propere G. Jenſ. [i] deſtringatur *leg. vid. Cupero Obſ.* 4, 5. *et probat merito Burm.*

5. *ut Cicero deſiderat*] Locus elegans de Orat. 1, 28, *In oratore acumen dialecticorum, ſententiæ philoſophorum, verba prope poetarum, memoria Juriſconſultorum, vox tragœdorum, geſtus pene ſummorum actorum eſt requirendus.*

6. *quatuor judicia*] Vid. 10, 3, 30. Hinc *quadruplex judicium* de quo Plinius junior aliquoties v. g. 1, 5, 4. 1, 18, 3. 6, 33, 2; ubi etiam numerum judicum in IV judiciis indicat CLXXX. Illud de *laudibus* et plauſu dicentium illuſtramus ad 6, 4, 6.

VI, 1. *Demoſthenem puerum*] Certe in procemio primæ contra Aphobum tutorem ſuum actionis ἄπειρον ſe ait ὄντα παντάπασι πραγμάτων διὰ τὴν ἡλικίαν.

1. *Auguſtus duodecim*] Sueton. c. 8, *Duodecimum annum agens aviam Juliam defunctam pro concione laudavit.*

ſit, incipere jam ſerum eſt. Quare fructum ſtudiorum viridem et adhuc dulcem promi decet, dum et venia et ſpes eſt, et paratus favor, et [l] audere non dedecet; et, ſi quid deſit operi, ſupplet ætas; et, ſi qua ſunt dicta juveniliter,
4 pro indole accipiuntur: ut totus ille Ciceronis pro [m] Sexto Roſcio locus, *Quid enim tam commune, quam ſpiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus ejectis?* Quæ cum ſex et viginti natus annos, ſummis audientium clamoribus dixerit, deferbuiſſe [n] tempore, et annis liquata jam ſenior idem fatetur. Et hercle [o] quantumlibet ſecreta ſtudia contulerint, eſt tamen proprius quidam fori profectus, alia lux, alia veri diſcriminis facies; PLUSque, ſi ſepares, uſus ſine doctrina, quam citra uſum doctrina,
5 valeat. Ideoque nonnulli ſenes in ſchola facti ſtupent novitate, cum in judicia venerunt, et omnia ſuis exercitationibus ſimilia deſiderant. At illic et judex tacet, et adverſarius obſtrepit, et nihil temere dictum perit: et, ſi quid tibi ipſe ſumas, probandum eſt: et laboratam congeſtamque dierum ac noctium ſtudio actionem aqua deficit: et, omiſſo magna ſemper flandi tumore, in quibuſdam cauſſis loquendum eſt, quod illi diſerti minime ſci-
6 unt. Itaque nonnullos reperias [p], qui ſibi eloquentiores videantur, quam ut cauſſas agant. Ceterum illum, quem juvenem, teneriſque adhuc viribus nitentem in forum deduximus, et incipere a quam maxime facili ac favorabili cauſſa velim, UT [q] catuli ferarum molliore præda saginantur: et non utique ab hoc initio continuare operam, et ingenio [r] adhuc alendo callum inducere; ſed jam ſcientem, quid ſit pugna, et in quam rem ſtudendum ſit, refici
7 atque renovari. Sic et tirocinii metum, dum facilius eſt audere, tranſierit, nec audendi facilitatem uſque ad contemtum operis adduxerit. Uſus eſt et hac ratione M. Tullius: et cum jam clarum meruiſſet inter patronos, qui tum erant, nomen, in Aſiam navigavit, ſeque et aliis ſine

[l] *om.* G. [m] *om.* G. [n] deſeruiſſe G. [o] equidem G. [p] reperies G. Jenſ. [q] uti Jenſ. [r] ingenium G.

4. *Ciceronis locus*] Pro S. Roſ. c. 26. De hoc ipſo loco ipſe in Orat. c. 30, *Quantis illa clamoribus adoleſcentuli diximus de ſupplicio parricidarum? quæ nequaquam ſatis deferbuiſſe poſt aliquanto ſentire cœpimus.* Illud *annis liquata* de ſuo addit Fabius; eademque docere poteſt, *liquare vina* apud Horatium eſſe, cum, poſt fervorem, liquidum vel coli ope, vel defundendo, redditur.

7. *Uſus eſt—Tullius*] Quod ipſe narrat Bruto c. 91.

dubio eloquentiæ ac ſapientiæ magiſtris, ſed præcipue tamen Apollonio Moloni, quem Romæ quoque audierat, Rhodi rurſus [s] formandum ac velut recoquendum dedit. Tum dignum operæ pretium venit, cum inter ſe congruunt præcepta et experimenta.

VII. Cum [t] ſatis in omne certamen virium fecerit, prima ei cura in ſuſcipiendis cauſſis erit: in quibus defendere quidem reos profecto, quam facere, vir bonus mallet [u]: non tamen ita nomen ipſum accuſatoris horrebit, ut nullo neque publico neque privato duci poſſit officio, ut aliquem ad reddendam rationem vitæ vocet. Nam et leges ipſæ nihil valeant [v], niſi actoris idonea voce munitæ: et, SI pœnas ſcelerum expetere fas non eſt, prope eſt, ut ſcelera ipſa permiſſa ſint: et licentiam malis dari, certe
contra bonos eſt. Quare neque ſociorum querelas, nec 2
amici vel propinqui necem [x], nec erupturas in rempublicam conſpirationes inultas patietur orator: non pœnæ nocentium cupidus, ſed emendandi vitia, corrigendique mores. Nam qui ratione traduci ad meliora non poſſunt,
ſolo metu continentur. Itaque, ut accuſatoriam vitam 3
vivere et ad deferendos [z] reos præmio duci proximum latrocinio eſt; ita peſtem inteſtinam propulſare, cum propugnatoribus patriæ comparandum. Ideoque principes in republica viri non detrectaverunt [a] hanc officii partem: creditique ſunt etiam clari juvenes, obſidem reipublicæ dare malorum civium accuſationem, quia nec odiſſe improbos, nec ſimultates provocare, niſi ex fiducia bonæ
mentis videbantur. Idque cum ab Hortenſio, Lucullis [b], 4
Sulpicio, Cicerone, Cæſare, plurimis aliis, tum ab utroque Catone factum eſt: quorum alter appellatus eſt *ſapiens*, alter niſi creditur fuiſſe, vix ſcio, cui reliquerit hujus nominis locum. Neque [c] defendet [d] omnes orator,

[s] reſponſum reform. G. [t] Quam Jenſ. *ex* Quum. [u] *Quid ſi* malet *vel* malit? [v] valent Jenſ. [x] neceſſe G. *quia interdum* nece. [z] defendendos reos primo Jenſ. [a] detract. G. Jenſ. [b] Lucillis G. Lucullo Jenſ. [c] *Sic codex ap. Turnebianum interpr. Sic malunt Gallæus, Rollinus, Burm.* Namque *adhuc editum.* [d] defendat Jenſ.

VII, 3. *clari juvenes*] Vid. ad 5, 13, 3, et add. Dial. de Oratt. ſ. de cauſis corr. eloquent. c. 34.

4. *Neque defendet omnes*] Nihil certius mihi hac lectione videbatur. Vir bonus accuſat etiam aliquando, ſi ſit e re publica. Num inferre poteſt, poſtquam iſta dixit, Fabius, *Namque defendet omnes?* Si quidem mente conſtitit, et, quid ſcriberet, cogitavit, ſic dare non potuit. Sed ita contexuit orationem, *Vir bonus accuſat aliquando: neque defendet omnes*; (pro hoc enim poni

idemque PORTUM illum eloquentiæ suæ salutarem non
etiam piratis patefaciet, duceturque in advocationem ma-
5 xime caussa. Quoniam tamen omnes, qui non improbe
litigabunt, quorum certe bona [e] pars est, sustinere non
potest unus, aliquid etiam commendantium [f] personis da-
bit, et ipsorum, qui judicio decernent, ut [g] optimi cujus-
que voluntate moveatur; namque hos et amicissimos vir
6 bonus habebit [h]. Submovendum vero est utrumque am-
bitus genus, vel potentibus contra humiles venditandi
operam suam; vel illud etiam jactantius, minores, utique
contra dignitatem, attollendi. Non enim fortuna caussas
vel justas vel improbas facit. Neque vero pudor obstet,
quo minus susceptam, cum melior videretur, litem, cog-
nita inter dicendum [i] iniquitate, dimittat [k], cum prius li-
7 tigatori dixerit verum. Nam et in hoc maximum, si æqui
judices sumus, beneficium est, ut non fallamus vana spe
litigantem. Neque est [l] dignus opera patroni, qui non
utitur consilio. Et certe non convenit ei, quem oratorem
esse volumus, injusta tueri scientem. Nam si ex illis,
quas supra diximus, caussis [m] falsum tuebitur, erit tamen
honestum, quod ipse faciet. Gratisne ei semper agendum
8 sit, tractari potest. Quod ex prima [n] statim fronte dijudi-
care, imprudentium est. Nam quis ignorat, quin id lon-
ge sit honestissimum, ac liberalibus disciplinis, et illo,
quem exigimus, animo dignissimum, non vendere ope-
ram, nec elevare tanti beneficii auctoritatem? cum plera-

[e] *om.* G. Jens. [f] commendatum G. [g] aut Jens. [h] habet G.
[i] disceptandum G. discendum Jens. *et plur. ap. Burm.* [k] dimittas G.
[l] enim G. Jens. [m] *om.* Jens. [n] primo G.

omnis, vix opus est dictu). *Namque* et *neque* quam facile misceantur, notum est.

6. *contra dignitatem*] Vel, ut hodie loquuntur, contra merita causæ. *Dignitatem* ita poni, vel sola illa definitio Justitiæ docet, apud Cic. de Inv. 2, 53, quod *suam cuique tribuat dignitatem*. It. pro Muren. c. 9, *Ad consulatum adipiscendum multo plus affert dignitatis, rei militaris quam juris civilis gloria*.

6. *inter dicendum*] Blandiebatur nobis Jensoniana lectio *inter discendum*: tum enim vel maxime æquitas vel iniquitas videtur cognosci. Sed mox collegi me, cum de *susceptа* jam causa sermo sit, quod nemo nisi levis ante facit, quam eam didicerit. Deinde quis pudor obstare potest eo tempore, cum adhuc cum solo litigatore negotium est, causam suam docente? Itaque sine dubitatione jam præfero *inter dicendum*; vel si quid in vulgata lectione mutandum sit, Gothanum sequar, *inter disceptandum*. *Inter dicendum* nempe, *inter disceptandum*, nonnunquam emergunt atque apparent, quæ dissimulaverat litigator. Hic patroni ejusdemque boni viri est, obsequi Horatiano monito, *Quem sua culpa premet, deceptus omitte tueri*.

que hoc ipso possint videri vilia, quod pretium habent.
Cæcis hoc, ut aiunt, satis clarum[o] est: nec quisquam, qui 9
sufficientia sibi (modica autem hæc sunt) possidebit, hunc
quæstum sine crimine sordium fecerit. At si res familia-
ris amplius aliquid ad usus necessarios exiget, secundum
omnes sapientium leges patietur sibi gratiam referri;
cum et Socrati collatum sit ad victum; et Zeno, Clean-
thes, Chrysippus mercedes a discipulis acceptaverint. Ne- 10
que enim video, quæ justior acquirendi ratio, quam ex
honestissimo labore, et ab iis, de quibus optime merue-
rint, quique, si nihil invicem præstent, indigni fuerint de-
fensione. Quod quidem[p] non justum modo, sed necessa-
rium etiam est; cum hæc ipsa opera, tempusque omne,
alienis negotiis datum, facultatem aliter acquirendi reci-
dant. Sed tum quoque tenendus est modus: ac pluri- 11
mum refert, et *a quo* accipiat, et *quantum*, et *quousque*[q].
Paciscendi quidem ille piraticus mos, et imponentium pe-
riculis pretia procul abominanda negotiatio, etiam[r] a me-
diocriter improbis aberit; cum præsertim bonos homines
bonasque caussas tuenti non sit metuendus ingratus, qui si
futurus, malo tamen ille peccet. Nihil ergo acquirere 12
volet orator ultra[s], quam satis erit[t]: ac ne pauper qui-
dem tamquam mercedem accipiet, sed mutua benevo-
lentia utetur, cum sciat[u] se tanto plus præstitisse: quia
nec venire hoc beneficium oportet, nec perire. Denique
ut gratus sit, ad eum magis pertinet, qui debet.

VIII. Proxima *discendæ caussæ ratio*, quod est oratio-
nis[x] fundamentum. Neque enim quisquam tam ingenio
tenui reperitur[z], qui, cum omnia, quæ sunt in caussa,
diligenter cognoverit, ad docendum certe judicem non
sufficiat. Sed ejus rei paucissimis cura est. Nam ut ta- 2
ceam de negligentibus, quorum nihil refert, ubi litium
cardo vertatur, dum sint, quæ[a] vel extra caussam ex per-

[o] *om.* Jens. [p] quidam G. [q] quotisque Jens. [r] esse G. [s] utraque Jens. [t] est G. [u] sciet G. [x] oratoris Jens. [z] reperietur G. *et al. ap. Burm.* [a] qui G.

9. *Socrati collatum*] Gratis ille quidem docebat, et versabatur, quibuscum visum esset, quod gloriatur in Memorab. 1, 6: et in ipsa Apologia, οὔτε δῶρα, inquit, οὔτε μισθὸν δέχομαι. Nec obstat, puto, quod de illo narrat apud Laertium Diogenem 2, 20, Aristoxenus, cum χρηματίσασθαι κ. τ. λ. Sive enim recte Menagius de fœnebri pecunia interpretatus est, sive τιθέναι refertur ad statuas, quas prima ætate posuerit; huc nihil pertinet. Potest interim fieri, ut vel Aristoxenus, vel alius veterum ea de Socrate, quæ hic narrantur, memoriæ prodiderit.

ſonis aut communi tractatu locorum occaſionem clamandi largiantur; aliquos et ambitio pervertit, qui partim tamquam occupati, ſemperque aliud[b] habentes, quod ante agendum ſit, pridie ad ſe venire litigatorem, aut eodem matutino jubent: nonnumquam etiam inter ipſa ſubſellia
3 didiciſſe ſe glorientur: partim jactantia ingenii, ut res cito accepiſſe videantur, tenere ſe et intelligere prius pene, quam audiant, mentiti, cum multa et diſerte, ſummiſque clamoribus, quæ neque ad judicem, neque ad litigatorem pertineant[c], decantaverunt, bene ſudantes bene-
4 que comitati per forum reducuntur[d]. Ne illas quidem tulerim delicias eorum, qui doceri amicos ſuos jubent: quamquam minus mali eſt, ſi illi ſaltem recte diſcant, recteque doceant. Sed quis diſcet tam bene, quam patronus? Quomodo autem ſequeſter ille et media litium manus, et quidam interpres, impendet æquo animo labo-
5 rem in alienas actiones, cum dicturus ipſe[e] non ſit? Peſſimæ vero conſuetudinis, libellis eſſe contentum, quos componit aut litigator, qui confugit ad patronum, quia liti ipſe non ſufficit; aut aliquis ex eo genere advocatorum, qui ſe non poſſe agere confitentur, deinde faciunt id, quod eſt in agendo difficillimum. Nam qui judicare, quid *dicendum*, quid *diſſimulandum*, quid *declinandum*, *mutandumve*, *fingendum* etiam ſit[f], poteſt, cur non ſit orator, quando, quod difficilius eſt, facit? Hi porro non tantum
6 nocerent, ſi omnia ſcriberent, uti geſta ſunt. Nunc conſilium et colores adjiciunt, et aliqua pejora veris, quæ plerique cum acceperunt, immutare[g] nefas habent, et velut themata in ſcholis poſita cuſtodiunt. Deinde deprehenduntur, et cauſſam, quam diſcere ex ſuis litigatori-
7 bus noluerunt, ex adverſariis diſcunt. Liberum igitur demus ante omnia iis, quorum negotium erit, *tempus* ac *locum*: exhortemurque ultro, ut omnia quamlibet verboſe, et, unde volent, repetito[h] tempore exponant. Non enim tam obeſt audire ſupervacua, quam ignorare neceſ-
8 ſaria. Frequenter autem et vulnus et remedium in iis

[b] aliquid G. [c] pertinent, decantaverint Jenſ. [d] reducantur Jenſ. [e] vere G. [f] ſi Jenſ. [g] mutare *id.* [h] repetita temp. exponat *id.*

VIII, 5. *deinde faciunt*] Suavitatem orationi conciliat uſus hujus adverbii, quod Græco εἶτα reſpondet, quo illi utuntur, cum abſurdam et inſperatam conſequentiam proponere volunt.

6. *deprehenduntur*] Ut mus in decipula, hærent, ubi expedire ſe non poſſint. Sic utitur verbo 1, 8, 21.

orator inveniet, quæ litigatori in neutram partem habere
momentum videbantur. Nec tanta ſit acturo memoriæ
fiducia, ut ſubſcribere audita pigeat. Nec ſemel audiſſe
ſit ſatis: cogendus eadem iterum ac ſæpius dicere[i] litiga-
tor; non ſolum quia effugere aliqua prima expoſitione po-
tuerunt, præſertim hominem (quod ſæpe evenit) imperi-
tum; ſed etiam, ut ſciamus, an eadem dicat. Plurimi 9
enim mentiuntur, et, tamquam non doceant cauſſam, ſed
agant, non ut cum patrono, ſed ut[l] cum judice loquun-
tur[m]. Quapropter numquam ſatis credendum eſt, ſed
agitandus omnibus modis, et turbandus, et evocandus[n].
Nam UT medicis non apparentia modo vitia curanda ſunt, 10
ſed etiam invenienda, quæ latent, ſæpe ipſis ea, qui ſa-
nandi ſunt, occulentibus; ita advocatus plura, quam oſ-
tenduntur, aſpiciat. Nam cum ſatis in audiendo patien-
tiæ impenderit, in aliam rurſus ei perſonam tranſeundum
eſt, agenduſque adverſarius, proponendum, quidquid om-
nino[o] excogitari contra poteſt, quidquid recipit in ejuſ-
modi diſceptatione natura. Interrogandus quam infeſ-
tiſſime, ac premendus. Nam, dum omnia quærimus, ali- 11
quando ad verum, ubi minime exſpectavimus, perveni-
mus. In ſumma, optimus eſt in diſcendo[p] patronus in-
credulus. Promittit[q] enim litigator omnia, teſtem popu-
lum, paratiſſimas conſignationes, ipſum denique adverſa-
rium quædam non negaturum. Ideoque opus eſt intueri 12
omne litis inſtrumentum: quod videre non eſt ſatis, per-
legendum erit. Nam frequentiſſime aut non ſunt omnino,
quæ[r] promittebantur, aut minus continent[s], aut cum
alio aliquo nocituro[t] permixta ſunt, aut nimia ſunt, et
fidem hoc ipſo detractura, quod non habent modum.
Denique linum ruptum, aut turbatam[u] ceram, aut ſine 13

[i] dicam *id.* [l] *om.* G. Jenſ. [m] loquantur *iid.* [n] *Vid. leg.* avocandus. [o] animo G. [p] *Sic* Jenſ. *et Voſſ.* 1. dicendo *al. et ſæpe confunduntur, ut mox ad not.* c. [q] Permittit Jenſ. [r] aut G. [s] continet G. [t] nocitura Jenſ. [u] turbata cera G. Jenſ. *Noſtram lectionem probat Salmaſ. de Modo Uſur.* p. 451, *Edit. Lugdun. Batav.* 1639.

9. *evocandus*] Non damno conjecturam ſupra poſitam, *avocandus:* pertinet enim ad prudentiam oratoris *avocare* paullum ad alia intentionem litigatoris, ut cum non ſentiat quid agatur, ſi mentitus ſit, tanto deprehendatur facilius. Sed neque *evocandus* damnaverim: poteſt enim ſignificare, eliciendum ab illo quavis arte verum, et latentia etiam educenda.

12. *quod non habent modum*] Hoc eſt illud quod vulgo aiunt, nihil probare, ſi quis probet nimium.

13. *linum ruptum*] Adſcribamus hic etiam locum claſſicum Paulli ſent. 5, 25, 5, *Ampliſſimus ordo decrevit, eas tabulas, quæ publici vel*

agnitione [x] ſigna frequenter invenies: quæ, niſi [z] domi excuſſeris, in foro inopinata decipient: pluſque nocebunt deſtituta, quam non promiſſa nocuiſſent. Multa etiam, quæ litigator nihil ad cauſſam pertinere crediderit, patronus eruet [a], modo per omnes, quos tradidimus [b], argu-
14 mentorum locos eat: quos ut circumſpectare in agendo, et attentare ſingulos minime convenit, propter quas diximus cauſſas; ita in diſcendo [c] rimari neceſſarium eſt, quæ *perſonæ*, quæ *tempora*, quæ [d] *loca*, *inſtituta*, *inſtrumenta*, ceteraque [e], ex quibus non tantum illud, quod eſt artificiale probationis genus, colligi poſſit, ſed qui metuendi teſtes, quo modo ſint refellendi. Nam plurimum refert, invidia reus, an [f] odio, an contemtu laboret: quorum fere pars prima ſuperiores, proxima pares, tertia humiliores premit.
15 Sic cauſſam perſcrutatus, propoſitis ante oculos [g] omnibus, quæ proſint, noceantve, tertiam deinceps [h] perſonam induat judicis, fingatque apud ſe agi cauſſam, et, quod ipſum moviſſet de eadem re pronuntiaturum, id potentiſſimum, apud quemcumque agetur [i], exiſtimet: et ſic eum raro fallet eventus, aut culpa judicis erit.

IX. Quæ ſint [l] in agendo ſervanda, toto fere opere exſecuti ſumus: pauca tamen propria hujus loci, quæ non tam dicendi arte, quam officiis agendi continentur, attingam. Ante omnia, ne, quod pleriſque accidit, ab utilitate eum
2 cauſſæ præſentis cupido laudis abducat. Nam UT gerentibus bella non ſemper exercitus per plana et amœna ducendus eſt, ſed adeundi plerumque aſperi colles, expugnandæ civitates, quamlibet [m] præciſis impoſitæ rupibus [n],

[x] agnitiore G. agnitore *Salm. l. c. quod probo.* [z] ni G. [a] ſeruet G. [b] tradimus Jenſ. [c] dicendo G. [d] et G. [e] cetera G. Jenſ. [f] ac Jenſ. [g] oculis G. Jenſ. *Nimirum* ante *pro adverbio habuere.* [h] deinde Jenſ. [i] agitur G. [l] ſunt Jenſ. [m] quantum libet G. [n] montibus G. Jenſ.

privati contractus ſcripturam continent, adhibitis teſtibus ita ſignari, ut in ſumma marginis ad mediam partem perforatæ, triplici lino conſtringantur, atque impoſitum (quid ſi impoſitæ?) *ſupra linum ceræ ſigna imprimantur, ut exteriores ſcripturæ fidem interiori ſervent. Aliter tabulæ prolatæ nihil momenti habent.* (Edit. Lugdun. Batav. 1671. 8.) Vid. plena manu iſta illuſtrantes viros doctos ad illa Sueton. Neron. c. 17, *Adverſus falſarios tunc primum repertum, ne tabulæ niſi pertuſæ, ac ter lino per foramina trajecto, obſignarentur.*

13. *turbatam ceram*] Exemplum elegans apud Cic. Verr. 2, 76, *Cum jam in manibus tabulas haberemus, repente aſpicimus lituras ejuſmodi, quaſi quædam vulnera tabellarum recentia. Statim ſuſpicione offenſi, ad ea ipſa nomina oculos animumque tranſtulimus* &c. legendus enim totus locus.

14. *quas diximus*] Supra 5, 10, 122. ſq. Add. Cic. de Orat. 2, 34.

aut operum mole difficiles; ita oratio gaudebit quidem
occaſione latius [o] decurrendi, et æquo congreſſa campo
totas vires populariter explicabit: at ſi juris anfractus, 3
aut eruendæ veritatis latebras adire cogetur, non obequi-
tabit, nec illis vibrantibus concitatiſque ſententiis velut
miſſilibus utetur; ſed operibus, et cuniculis, et inſidiis,
et occultis artibus rem geret. Quæ † omnia non, dum 4
fiunt [p], laudantur, ſed cum facta ſunt: unde etiam mi-
nus [q] cupidis opinionis plus fructus venit. Nam ‡ cum
illa dicendi vitioſa jactatio inter plauſores ſuos detonuit,
reſurgit veræ [r] virtutis fortior fama: nec judices, a quo
ſint moti, diſſimulant, et doctis creditur; nec eſt oratio-
nis vera laus, niſi cum finita eſt. Veteribus quidem etiam 5
diſſimulare eloquentiam fuit moris: idque M. Antonius
præcipit, quo plus dicentibus fidei, minuſque ſuſpectæ
advocatorum inſidiæ forent. Sed illa diſſimulari, quæ
tum erat, potuit: nondum enim tantum dicendi lumen
acceſſerat, ut etiam per obſtantia [s] erumperet. Quare ar-
tes quidem et conſilia lateant, et quidquid, ſi [t] deprehen-
ditur, perit. Hac tenus eloquentia ſecretum habet. *Ver-* 6
borum quidem *delectus*, *gravitas ſententiarum*, *figurarum
elegantia*, aut non ſunt, aut apparent: ſed vel propter hoc
ipſum oſtentanda non ſunt, quod apparent: aut ſi unum
e duobus eligendum, cauſſa potius laudetur, quam patro-
nus. Finem tamen hunc præſtabit orator, ut videatur

[o] lætius G. † Sed Kapp. [p] fuit G. [q] *Sic* G. cupidiſſimis Jenſ. cupidis minus *al.* ‡ unde illa dic. Kapp. [r] vera et Jenſ. [s] obſtantiam G. [t] ſic G.

IX, 4. *minus cupidis opinionis*] Cave ne ad *minus* adjungas nomen *opinionis*, qua re ſententiam turbaveris. Sed qui *minus cupidi* ſunt alienæ de ſe opinionis, illis *plus fructus venit*. Ut pecuniam, ſic famam negligere in loco ſapientis eſt.

5. *M. Antonius*] Qui *probabiliorem hoc populo orationem fore cenſebat ſuam, ſi omnino didiciſſe nunquam putaretur* &c. Cic. de Orat. 2, 1, ubi ſimilia de Craſſo. Præceptum Antonii forte in eo libro fuit, quem de eloquentia ſcriptum ab eo conſtat ex Cic. Orat. 5.

6. *cauſſa—quam patronus*] Nimirum a judice, qui ſit dominus rei. Finis enim patroni hic eſt, cauſam probare judici. Alia ratio eſt, ubi de ingenio tantum contenditur, de cauſa aliunde conſtat. Sicut v. g. cum in Regicidio Anglicano cauſa laudaretur Salmaſii, patronus autem Miltonus; nemo eſt, puto, quin Miltonum ſe malit, hac quidem parte eſſe, quam Salmaſium. Et poteſt cauſa ita deſperata eſſe, ut ipſa placere nullo modo poſſit, poſſit vis et ingenium patroni tamen interim probari. Nimirum illud agit omni ſtudio Fabius, ne quid aliud tirones fori ſpectent, quam victoriam: et vitium ætatis ſuæ dum reprimere ſtudet, aliquantum ipſe τῷ ἀμέτρῳ τῆς ἀνθολκῆς videtur abripi.

optimam caussam optime egisse. Illud certum erit, neminem pejus agere, quam qui displicente caussa placet:
7 necesse est enim, extra caussam sit, quod placet. Nec illo [u] fastidio laborabit orator, non agendi caussas minores, tamquam [x] infra eum sint, aut detractura sit opinioni minus liberalis materia. Nam et suscipiendi ratio justissima est, officium, et optandum etiam, ut amici quam minimas lites habeant: et abunde dixit bene, quisquis [z] rei satis
8 fecit. At quidam, etiam si forte susceperunt [a] negotia paullo ad dicendum tenuiora, extrinsecus adductis ea rebus circumliniunt, ac, si defecerint alia, conviciis implent vacua caussarum; si contingit, veris; si minus, fictis, modo sit materia ingenii [b], mereaturque clamorem, dum dicitur. Quod ego adeo longe puto ab oratore perfecto, ut eum ne vera quidem objecturum, nisi id caussa exigit,
9 credam. Ea est enim prorsus *canina*, ut ait Appius, *eloquentia*, *censuram* [c] *maledicendi subire:* quod facientibus, etiam male audiendi [d] præsumenda patientia est. Nam et in ipsos fit impetus frequenter, qui egerunt, et certe patroni petulantiam litigator luit. Sed hæc minora sunt ipso illo vitio animi, quo MALEdicus a malefico non distat,
10 nisi occasione. Turpis voluptas, et inhumana, et nulli audientium bono grata: a litigatoribus quidem frequenter exigitur, qui ultionem malunt, quam defensionem. Sed neque alia multa ad arbitrium eorum facienda sunt. Hoc quidem quis hominum liberi modo sanguinis susti-
11 neat, petulans esse ad alterius arbitrium? Atqui etiam in advocatos partis adversæ libenter nonnulli invehuntur: quod, nisi si [e] forte meruerunt, et inhumanum est respectu communium officiorum, et cum ipsi, qui dicit, inutile, (nam idem juris responsuris datur) tum caussæ contrarium, quia plane adversarii, fiunt et inimici: et quantu-
12 lumcumque his virium est, contumelia augetur. Super

[u] ullo Jens. [x] tamquam *om.* G. quam tam Jens. [z] qui G. [a] susceperint G. Jens. [b] ingenua Jens. [c] cognituram G. Jens. [d] audendi G. [e] *om.* G. Jens.

8. *conviciis implent*] Quod licitum fuisse supra ostendimus ad 6, 4, 13. Add. quæ disputat suavissimi vir ingenii et exquisitæ doctrinæ J. F. Christius Noctt. Acadd. obs. 5, p. 76. sq.

9. *canina, ut ait Appius*] Servavit, quod Turnebianus hic commentator monuit, verba Appii etiam Sallustius apud Nonium cap. 1, §. 298, in *Rabula*. Hinc *caninum studium a veteribus dictum locupletissimum quemque allatrandi* apud Columellam præf. 9, ubi plura Schœttgenius et Buchnerus.

omnia perit illa, quæ plurimum oratori et auctoritatis et ſidei affert, modeſtia, ſi a viro bono in rabulam latratoremque convertitur, compoſitus non ad animum judicis, ſed ad ſtomachum litigatoris. Frequenter etiam ſpecies libertatis deducere ad temeritatem ſolet, non cauſſis modo, ſed ipſis quoque, qui dixerunt, periculoſam. Nec 13
immerito Pericles ſolebat optare, ne quod ſibi verbum in mentem veniret, quo populus offenderetur. Sed quod ille de populo, id ego de omnibus ſentio, qui tantumdem poſſunt nocere. Nam quæ *fortia*, dum dicuntur, videbantur, *ſtulta*, cum læſerunt, vocantur. Nunc quia[f] va- 14
rium fere propoſitum agentium fuit, et quorumdam cura tarditatis, quorumdam facilitas temeritatis crimine laboravit; quem credam fore in hoc oratoris modum, tradere non alienum videtur. Afferet[g] ad dicendum curæ ſemper quantum plurimum poterit. Neque enim ſolum ne- 15
gligentis, ſed[h] et[i] mali, et in ſuſcepta cauſſa perſidi ac proditoris eſt, pejus agere, quam poſſit. Ideoque ne ſuſcipiendæ quidem ſunt cauſſæ plures, quam quibus ſuffecturum ſe ſciat. Dicet ſcripta, quum res patietur[l], plurima; et ut Demoſthenes ait, ſi continget, et ſculpta. Sed hoc aut primæ actiones, aut quæ in judiciis publicis 16
poſt interjectos dies dantur, permiſerint: at cum protinus reſpondendum eſt, omnia parari non poſſunt: adeo ut paullo minus promtis etiam noceat ſcripſiſſe, ſi alia ex diverſo, quam opinati fuerant[m], occurrerint. Inviti enim 17
recedunt a præparatis, et tota[n] actione reſpiciunt, requiruntque, num aliquid ex illis intervelli[o], atque ex tempore dicendis inſeri poſſit: quod ſi fiat, non cohæret, nec commiſſuris modo, ut in opere male juncto, hiantibus, ſed ipſa coloris inæqualitate detegitur. Ita nec liber eſt 18
impetus, nec cura contexta, et utrumque alteri obſtat. Illa enim, quæ ſcripta ſunt, retinent animum, non ſequuntur. Itaque in his actionibus *omni*, ut agricolæ di-

[f] qui Jenſ. [g] Affert *id.* [h] *om.* Jenſ. [i] *om.* G. [l] patiatur G. Jenſ. [m] fuerint *iid.* [n] nota G. Jenſ. [o] intervallis *iid.*

13. *Pericles ſolebat optare*] Plut. in vita p. 284, Ἀεὶ πρὸς τὸ βῆμα βαδίζων ηὔχετο τοῖς θεοῖς μηδὲ ῥῆμα μηδὲν ἐκπεσεῖν ἄκοντος αὐτοῦ πρὸς τὴν προκειμένην χρείαν ἀνάρμοστον.

15. *ut Demoſthenes ait*] Nondum inveni, ubi? ſed multa Plutarchus in vita p. 1557, ſq. quam fugerit ex tempore dicere, quamque ea in re Periclem imitatus ſit.

17. *intervelli*] Merito ſic e Voſſianis libris emendavit Burmannus, et Fabio ſuum verbum reddidit, quod habet etiam 10, 7, 5. Ruſticorum alias verbum eſſe, Lexicon noſtrum docet.

18. *omni—pede ſtandum*] Non puto in rei ruſticæ, quos hodie habe-

19 cunt, *pede ſtandum eſt.* Nam cum in propoſitione ac refutatione cauſſa conſiſtat, quæ noſtræ partis ſunt, ſcripta eſſe poſſunt: quæ etiam reſponſurum adverſarium certum eſt, (eſt enim aliquando certum) pari cura refelluntur. Ad alia unum paratum [p] afferre poſſumus, ut cauſſam bene noverimus; alterum ibi ſumere, ut dicentem adverſa-
20 rium diligenter audiamus. Licet tamen præcogitare plura, et animum ad omnes caſus [q] componere: idque eſt tutius ſtilo, quo facilius et omittitur cogitatio, et transfertur. Sed ſive in reſpondendo [r] fuerit ſubito dicendum, ſive quæ alia ita exegerit ratio, numquam oppreſſum [s] ſe ac deprehenſum credet orator, cui diſciplina et ſtudium et
21 exercitatio dederit vires etiam facilitatis [t]: quemque armatum ſemper, ac velut in procinctu ſtantem, non magis umquam in cauſſis oratio, quam in rebus quotidianis ac domeſticis ſermo deficiet, nec ſe umquam propter hoc oneri ſubtrahet; modo ſit cauſſæ diſcendæ tempus, nam cetera ſemper ſciet.

X. Supereſt, ut dicam *de genere orationis.* Hic erat propoſitus a nobis in diviſione prima locus tertius: nam ita promiſeram, me de *arte*, de *artifice*, de *opere* dicturum. Cum ſit autem rhetorices atque oratoris opus *oratio*, pluresque ejus formæ, ſicut oſtendam; in omnibus his [u] et *ars* eſt et *artifex*: plurimum tamen invicem differunt, nec ſolum ſpecie, ut ſignum ſigno, et tabula tabulæ, et actioni actio; ſed genere ipſo, ut a Græcis Tuſcanicæ ſtatuæ, et
2 Aſianus eloquens Attico. Suos autem hæc operum genera, quæ dico, ut auctores, ſic etiam amatores habent: atque ideo nondum eſt perfectus orator, ac neſcio an ars ulla, non ſolum quia aliud in alio magis eminet, ſed quod non una omnibus forma placuit, partim conditione vel temporum vel locorum, partim judicio cujuſque atque
3 propoſito. Primi, quorum quidem opera non vetuſtatis modo gratia viſenda ſint, clari pictores fuiſſe dicuntur

[p] partum Jenſ. [q] cauſſas expon. *id.* [r] reſpondendis Jenſ. [s] preſſum G. Jenſ. [t] facultatis G. [u] *om.* G.

mus, ſcriptoribus hanc formulam legi: ſed res ipſa eſt v. g. in Columella 3, 20, 1; *Providentis eſt diverſa genera* vitium *deponere: neque enim unquam ſic mitis et temperatus eſt annus, ut nullo incommodo vexet aliquod vitis genus* &c. Geſner.

X, 3. *clari pictores*] De his, et ſtatuariis Plinius libris 34 et 35, et ex recentioribus Fr. Junius in Catalogo artificum libris de pictura ſubjuncto, itemque David. Durandus in Gallica ex Plinio picturæ hiſtoria. Nobis extra oleas Fabii vagari tanto minus lubet, quod et ipſe excurſione potius hic utitur, quam in ſuo verſatur opere.

Polygnotus atque *Aglaophon*, quorum ſimplex color tam
ſui ſtudioſos adhuc habet, ut illa prope rudia, ac velut fu-
turæ mox artis primordia maximis, qui poſt eos exſtite-
runt, auctoribus [x] præferantur, proprio quodam intelli-
gendi [z] (ut mea fert opinio) ambitu. Poſt *Zeuxis* atque 4
Parrhaſius non multum ætate diſtantes (circa Peloponne-
ſia ambo tempora; nam cum Parrhaſio ſermo Socratis
apud Xenophontem invenitur) plurimum arti addiderunt.
Quorum prior luminum umbrarumque inveniſſe ratio-
nem, ſecundus examinaſſe ſubtilius lineas traditur. Nam 5
Zeuxis plus membris corporis dedit, id amplius atque au-
guſtius [a] ratus, atque (ut exiſtimant) *Homerum* ſecutus,
cui validiſſima quæque forma etiam in feminis placet.
Ille vero ita circumſcripſit omnia, ut eum [b] *legumlatorem*
vocent, quia deorum atque heroum effigies, quales ab eo
ſunt [c] traditæ, ceteri, tamquam ita neceſſe ſit, ſequuntur.
Floruit autem circa Philippum, et uſque ad ſucceſſores 6
Alexandri, pictura præcipue, ſed [d] diverſis virtutibus. Nam
cura [e] *Protogenes*, ratione *Pamphilus* ac *Melanthius*, facili-
tate *Antiphilus*, concipiendis viſionibus (quas φαντασίας
vocant) *Theon Samius* [f], ingenio et gratia, quam in ſe ipſe
maxime jactat, *Apelles* eſt præſtantiſſimus. *Euphranorem*
admirandum facit, quod et ceteris optimis ſtudiis inter
præcipuos, et pingendi fingendique idem mirus artifex
fuit. Similis in ſtatuis differentia. Nam duriora, et Tuſ- 7
canicis proxima *Calon* atque *Egeſias* [g], jam [h] minus rigida
Calamis [i], molliora adhuc ſupra dictis *Myron* fecit. Dili-
gentia ac decor in *Polycleto* ſupra ceteros: cui quamquam

[x] pictoribus præferant G. [z] modo *inſ.* Jenſ. [a] anguſtius *iid.* [b] cum G. [c] *om.* Jenſ. [d] ex *inſ.* G. Jenſ. [e] cum Jenſ. [f] Samnius G. [g] Hegias *conj. Broukh. ad Prop.* 3, 7, 10, *et probat Burm.* [h] lami frigida Jenſ. [i] Calinus G.

3. *intelligendi ambitu*] Ut videantur aliquid intelligere, nec rudes, ſed eleganter docti, et belli homines eſſe, talia laudant etiam, qui non probant. Plin. 34, 2, ſ. 3, de ære Corinthio, *Mira circa id multorum affectatio fuit. At mihi major pars eorum ſimulare eam ſcientiam videtur, ad ſegregandos ſe a cæteris magis, quam intelligere aliquid ibi ſubtilius.*

4. *apud Xenophontem*] Memorab. Socr. l. 3, c. 10.

5. *legumlatorem*] Sicut Polycleti ſtatuam *canona* dicebant Plin. 34, 8, ſ. 19.

6. *concipiendis viſionibus*] Vid. ſupra 6, 2, 29.

6. *ingenio et gratia*] Plin. 35, 10, ſ. 36, *Præcipua* Apellis *in arte* venuſtas *fuit, cum eadem ætate maximi pictores eſſent, quorum opera cum admiraretur, collaudatis omnibus, deeſſe illis unam illam* Venerem *dicebat, quam Græci* charita *vocant: cætera omnia contigiſſe, ſed hac ſola ſibi neminem parem.*

a pleriſque tribuitur [k] palma, tamen, ne nihil detrahatur,
8 deeſſe pondus putant. Nam ut humanæ formæ decorem addiderit ſupra verum, ita non expleviſſe [l] deorum auctoritatem videtur. Quin ætatem quoque graviorem dicitur refugiſſe, nihil auſus ultra leves [m] genas. At quæ *Poly-*
9 *cleto* defuerunt, *Phidiæ* atque *Alcameni* dantur. *Phidias* tamen diis, quam hominibus, efficiendis melior artifex traditur, in ebore vero longe citra æmulum, vel ſi nihil, niſi *Minervam Athenis*, aut *Olympium in Elide Jovem*, feciſſet: cujus pulchritudo adjeciſſe aliquid etiam receptæ religioni videtur: adeo majeſtas operis deum æquavit. Ad veritatem *Lyſippum* et *Praxitelem* acceſſiſſe optime affirmant. Nam *Demetrius* tamquam nimius in ea reprehenditur, et fuit ſimilitudinis, quam pulchritudinis, aman-
10 tior. In oratione vero ſi ſpecies intueri velis, totidem pene reperias ingeniorum, quot corporum, formas. Sed fuere quædam genera dicendi conditione temporum horridiora, alioqui magnam jam ingenii vim præ ſe ferentia. Hinc ſunt *Lælii, Africani, Catones, Gracchique,* quos tu licet *Polygnotos* vel *Calonas* [n] appelles. Mediam illam for-
11 mam teneant [o] *L. Craſſus, Q. Hortenſius.* Tum deinde effloreſcat non multum inter ſe diſtantium tempore oratorum ingens proventus. Hinc *vim* Cæſaris, *indolem* Cœlii, *ſubtilitatem* Callidii, *gravitatem* Bruti, *acumen* Sulpicii, *acerbitatem* Caſſii, *diligentiam* Pollionis, *dignitatem* Meſſalæ, *ſanctitatem* Calvi reperiemus. In his etiam, quos ipſi vidimus, *copiam* Senecæ, *vires* Africani, *maturitatem* Afri, *jucunditatem* Criſpi, *ſonum* Trachalli [p], *elegantiam* Secundi.

[k] tribuatur Jenſ. [l] explicuiſſe G. [m] lenes G. [n] Calones G. Jenſ. *Sed Græca terminatio in nomine Græco præferenda, ne* calones *quis Latinos intelligat, quod monet Burm.* [o] tenent G. [p] Trachali G. Jenſ.

9. *tamquam nimius*] In pulchritudine nimium eſſe poſſe artificem apertum eſt: ſed in ſimilitudine etiam nimius fuerit, ſi quis non nævos modo, ſed lichenas etiam et puſtulas, aliaque minuta corporis vitia, quæ quidem ad vultum et habitum corporis nihil pertinent, velit exprimere. Subit hic vitium quorundam ſimilitudinis artificum, qui, ut nobiliſſimis ſæculi ſuperioris exemplis utar, tum demum mirifice ſacros ſe vultus in numis expreſſiſſe videbantur, ſi alterum dependente ultra pectoris regionem labio deformem; alterum autem enormi naſo, cujus lacinia caput eſſet armatum, propoſuiſſent. Adeo facilius eſt vitia exprimere quam virtutes! Deinde ingenioſos putemus pueros, ſi qui vitioſum ſermonem, geſtum, vultum aliorum feſtive imitentur.

11. *elegantiam Secundi*] Non Plinii junioris, quem nominaturus, tanquam vivum et juniorem, non erat. Sed *Julii Secundi*, de quo 10, 1, 120, unde ſcilicet elogia eorum, qui hic laudantur, peti poſſunt.

At *M. Tullium*, non illum habemus *Euphranorem* circa plurium artium ſpecies præſtantem, ſed in omnibus, quæ in quoque laudantur, eminentiſſimum. Quem tamen et ſuorum homines temporum inceſſere audebant ut tumidiorem, et Aſianum, et redundantem, et in repetitionibus nimium, et in ſalibus aliquando frigidum, et in compoſitione fractum, exſultantem, ac pene (quod procul abſit) viro molliorem. 12
Poſtea vero quam triumvirali proſcriptione conſumtus eſt, paſſim qui oderant, qui invidebant, qui æmulabantur, adulatores etiam præſentis potentiæ, non reſponſurum invaſerunt. Ille tamen, qui jejunus a quibuſdam et aridus habetur, non aliter ab ipſis inimicis male audire, quam nimiis floribus et ingenii affluentia, potuit. Falſum utrumque; ſed tamen illa mentiendi propior occaſio. 13
Præcipue vero preſſerunt eum, qui videri Atticorum imitatores concupierant[q]. Hæc manus, quaſi quibuſdam ſacris initia, ut [r] alienigenam, et virum [s] ſuperſtitioſum, devinctumque illis legibus inſequebatur[t]. 14
Un- 15

[q] concupierunt G. [r] vel G. [s] parum ſtatioſum *V. C. Alm.* metrorum ſuperſtit. *Obr.* [t] inſequebantur Jenſ. *non male. Syneſis.*

13. *nimiis floribus*] Compara 10, 1, 62, et adde de Cicerone 12, 1, 22.

14. *alienigenam, et virum ſuperſtitioſum*] *Alienigenam*, minime Atticum, ſed alterius generis ex Aſia. Sed quid ſibi vult *ſuperſtitioſum?* Veniebat in mentem, *ſuperſtitioſos* ab eo quod *ſuperſtat*, ſupereſt, abundat, dictos videri Servio, quod probat in Etymologico G. I. Voſſius. Quid ſi igitur *ſuperſtitioſum* vocaverint hoc ſenſu Ciceronem, h. e. nimis abundantem, et ultra modum plenum? Sed ita non reſpondet alterum illud *devinctum legibus*. Nihil itaque novi rectius eo, quod Celeberrimus Burmannus monuit, legi poſſe *et parum ſuperſtitioſum* &c. Nimirum Attici illi, qui ſolos ſe hoc nomine dici volebant, *ſuperſtitioſi* erant et *devincti* quibuſdam, quas finxerant, dicendi legibus. His *parum* ſimilis erat Cicero. Probemus illud ex laudato modo Tullii Bruto, c. 82, ubi de *Calvo, qui ſe Atticum dici volebat, ejus oratio,* inquit, *nimia religione* (ea quidem eſt *ſuperſtitio*) *attenuata*. Ad *leges* autem quaſdam referas, quod paullo ante de eodem dicitur, *Accuratius quoddam dicendi et exquiſitius adferebat genus: quod quamquam ſcienter eleganterque tractabat, nimium tamen inquirens in ſe, atque ipſe ſeſe obſervans, metuenſque ne vitioſum colligeret, etiam verum ſanguinem deperdebat*. Item, *Sanitatem, et integritatem, quaſi religionem et verecundiam* probant, ſed incidunt in genus *fractum, minutum, in ipſa concinnitate puerile*. Ponamus etiam ex Orat. 8, Atticorum illam rationem cum ſuo exceſſu vel in pravum deflexione: *Athenienſium ſemper fuit prudens ſincerumque judicium—eorum* religioni *cum ſerviret orator*—c. 8. Ad *Atticorum aures teretes et* religioſas *qui ſe accommodant, ii ſunt exiſtimandi Attice dicere*. Ita *tenues et circumſpectos* mox vocat noſter ſ. 23. Hæc qui ſequuntur, in hæc qui incidunt, iis Cicero *alienigena, parum ſuperſtitioſus, parum legibus* illis ſuis *devinctus videtur*.

de nunc quoque aridi, et exſucci, et exſangues (hi ſunt enim, qui ſuæ imbecillitati ſanitatis appellationem, quæ eſt maxime contraria, obtendant) quia clariorem vim eloquentiæ, VELUT ſolem, ferre non poſſunt, umbra magni nominis delitefcunt: quibus quia multa, et pluribus locis Cicero ipſe reſpondit, tutior mihi de hoc differendi brevi-
16 tas erit. Et antiqua quidem illa diviſio inter *Aſianos* atque *Atticos* fuit; cum hi preſſi et integri, contra inflati illi et inanes haberentur; et [u] in his nihil ſuperflueret, illis judicium maxime [v] ac modus deeſſet. Quod quidam [x], quorum et *Santra* [z] eſt, hoc putant accidiſſe, quod, paullatim ſermone Græco in proximas Aſiæ civitates influente, nondum ſatis periti loquendi facundiam concupierint: ideoque ea, quæ proprie ſignari poterant, circuitu cœpe-
17 rint enuntiare, ac deinde in eo perſeverarint. Mihi autem orationis differentiam feciſſe et dicentium et audientium naturæ videntur, quod *Attici* limati quidem et emuncti nihil inane aut redundans ferebant. *Aſiana* gens tumidior alioqui atque jactantior, vaniore etiam dicendi
18 gloria inflata eſt. Tertium mox, qui hæc dividebant, adjecerunt *genus Rhodium:* quod velut medium eſſe atque [a] ex utroque mixtum volunt. Neque enim *Attice* preſſi, neque *Aſiane* ſunt abundantes, ut aliquid habere viden-
19 tur gentis, aliquid auctoris. *Æſchines* enim, qui hunc exſilio delegerat locum, intulit eo ſtudia Athenarum, quæ, VELUT ſata quædam cœlo terraque degenerant, ſaporem illum Atticum peregrino miſcuerunt. Lenti ergo quidem [b] ac remiſſi, non ſine pondere tamen: neque fontibus puris, neque torrentibus turbidis, ſed lenibus ſtagnis ſimi-
20 les habentur. Nemo igitur dubitaverit, longe eſſe optimum genus Atticorum. In quo ut eſt aliquid inter ipſos

[u] *om.* G. Jenſ. [v] maximum Jenſ. [x] quidem *id.* [z] Stantra G. Sanctra Jenſ. Sancta Kapp. Satira *Voſſ.* 3. [a] velut G. [b] quidam G. Jenſ.

15. *Cicero ipſe reſpondit*] Iis ipſis locis, quos modo laudavimus.

16. *quorum et Santra eſt*] Feſtinatione, quod ſæpe mihi uſu venit, erravi, cum hunc locum inter Nodos Quinctilianeos retuli: quem tanto facilius ſolvit, qui Gordium haud unum extricavit, Heumannus meus, oſtenditque mihi nobilem Grammaticum *Santram,* Feſto, Hieronymo, vitæ Terentii ſcriptori antiquo, aliiſque laudatum. Scilicet ex iis, quæ per otium quærenda mihi ſumſeram, improvide et hic et unus itemque alter præterea locus in illum indiculum tranſcriptus eſt, quem in ipſo itineris procinctu cum eiſdem, typographo dedi Parergis Gottingenſibus inſerendum, cujus rei pluſcula habet impreſſa ſibi veſtigia

commune, id est, judicium acre, tersumque; ita ingeniorum plurimæ formæ. Quapropter mihi falli multum vi- 21
dentur, qui solos esse *Atticos* credunt tenues, et lucidos, et significantes, sed quadam eloquentiæ frugalitate contentos, ac semper manum intra pallium continentes. Nam quis erit hic *Atticus?* Sit *Lysias*; hunc enim amplectuntur [c] amatores istius nominis modum. Non [d] igitur jam
usque ad *Coccum* [e] et *Andocidem* remittemur [f]? Interro- 22
gare tamen velim, an Isocrates [g] *Attice* dixerit? Nihil enim tam est *Lysiæ* diversum. Negabunt? At ejus schola principes oratorum dedit. Quæratur similius aliquid. *Hyperides Atticus?* Certe. At plus indulsit voluptati. Transeo plurimos, *Lycurgum*, *Aristogitona*, et his priores, *Isæum* [h], *Antiphontem:* quos ut homines, inter se genere
similes, differentes dixeris specie. Quid ille, cujus modo 23
fecimus mentionem, *Æschines?* nonne his latior et audentior, et excelsior? Quid denique *Demosthenes?* non [i] cunctos illos tenues et circumspectos, vi, sublimitate, impetu, cultu, compositione superavit? non insurgit locis? non figuris gaudet? non translationibus nitet? non ora-
tione ficta dat carentibus [k] vocem? non illud jusjuran- 24
dum per cæsos in *Marathone* ac *Salamine* propugnatores reipublicæ, satis manifesto docet præceptorem ejus *Platonem* fuisse? Quem ipsum num *Asianum* appellabimus, plerumque instinctis divino spiritu vatibus comparandum? Quid *Periclea?* similemne credimus *Lysiacæ* gracilitati, quem fulminibus et cœlesti fragori comparant Comici,
dum illi conviciantur [l]? Quid est igitur, cur in iis de- 25
mum, qui tenui venula per calculos fluunt, *Atticum saporem* putent? ibi demum *thymum redolere dicant?* Quos ego existimo, si quod in his finibus uberius invenerint solum, fertilioremve segetem, negaturos *Atticam* esse, quod plus, quam acceperit, seminis reddat, quia hanc ejus ter-
ræ fidem *Menander* eludit. Itaque si quis nunc ad eas 26

[c] amplectimur G. [d] *Vid. leg.* Num. [e] Cocum Kapp. [f] remittentur G. [g] Socrates Jens. [h] Iseum G. *ex* Ileum. [i] nonne Jens. [k] tacentibus G. Jens. *et plerique.* carentibus *primus quod observarim Vascosan.* 1542. *f. quem sequuntur alii.* [l] convicientur *id.*

21. *manum intra pallium*] Vid. supra 11, 3, 138.

21. *istius nominis modum*] Mensuram omnis ejus, quod *Atticum* vocari debeat, aiunt esse Lysiam. Cæterum simillima hæc disputatio Tullianæ in Oratore c. 9, qui locus comparandus est.

24. *illud jusjurandum*] Vid. 9, 2, 62. 11, 3, 168. Illud de Periclis fulminibus illustramus ad 2, 16, 19.

25. *terræ fidem*] *Fides certa segetis* apud Horat. Od. 3, 16, 30,

Demosthenis virtutes, quas ille summus orator habuit, ta-
men quæ defuisse ei, sive ipsius natura, sive lege civitatis
videntur, adjecerit, ut affectus concitatius moveat, au-
diam dicentem, *Non fecit hoc Demosthenes?* et si quid ex-
ierit numeris aptius; fortasse non possit; sed tamen si
quid exierit; non erit *Atticum?* Melius de hoc nomine
27 sentiant, credantque *Attice dicere esse optime dicere.* Atque
in hac tamen opinione perseverantes Græcos magis tule-
rim. *Latina* mihi *facundia*, ut inventione, dispositione,
consilio, ceteris hujus generis artibus similis Græcæ, ac
prorsus discipula [11] ejus, videtur: ita circa rationem elo-
quendi vix habere imitationis locum. Namque est ipsi
statim sonus durior [m], quando et jucundissimas ex Græcis [n]
literas [o] non habemus, vocalem alteram, alteram [p] conso-
nantem, quibus nullæ apud eos dulcius spirant: quas mu-
28 tuari solemus, quoties illorum nominibus utimur. Quod
cum contingit, nescio quo modo velut [q] hilarior protinus
renidet [r] oratio, ut in *Zephyris* et [s] *Zopyris*, quæ si nostris
literis scribantur, surdum quiddam [t] et barbarum effi-
cient [u], et velut in locum earum succedent [x] tristes et hor-
29 ridæ, quibus Græcia caret. Nam illa, quæ sexta est nos-
trarum, pene non humana voce, vel omnino non voce po-
tius, inter discrimina dentium efflanda est: quæ etiam
cum vocalem proximam accipit, quassa quodammodo,

[11] disciplina G. [m] dulcior *Asc.* 1519, *f. Lugd.* 1538, 8. *et al. ap. Burm. et probat Gibson. Male.* [n] *υ* et *ζ* *inf. Lugd.* 1538, 8. *et al. ap. Burm. Male. Quid enim opus erat verbis quæ sequuntur,* vocalem alteram &c. [o] literis G. [p] *om.* Jens. [q] *om.* G. Jens. [r] revidet Jens. [s] Zopyrisque *id.* [t] quidem *id.* [u] sonum *inf.* G. Jens. [x] succedunt G. Jens.

non minus quam *fundus mendax* apud eundem Od. 3, 1, 30, nota sunt. Sed et Plinius Paneg. 32, 4, *fallacem unius anni fidem* de sterilitate Ægypti dixit. Menander jocatus videtur in *fidem terræ Atticæ*, quæ depositum cum fide (licet non cum fœnore) reddat. Sterilem enim fuisse et apibus quam vervecibus aut bubus opimis commodiorem, eaque de causa ϖενίας non minus quam ϖαιδείας συντρόφυς Atticos, pervulgatum est.

27. *jucundissimas ex Græcis literas*] Quod Y et Z nominant editiones quædam, etiam hoc nomine reprehendendum, quod Z hic non intelligi manifestum sit attendentibus. Occurrit illa quidem in *Zephyris* pariter ac *Zopyris*. Sed si nostris h. e. Latinis literis scribantur, succeduntne tales, quibus Græcia caret? non puto. Nam Z Græcorum in SD vel DS vel TS denique mutari, inauditum, puto, est; quoties in S transit, non potest dici succedere literam, qua Græcia careat. Quid ergo? Ypsilo succedit V Latinum, cujus vim simplicium nulla exprimat, τῶ Φ autem sufficitur nonnunquam F, ut in *fama, fure, ferendo* &c.

utique quoties aliquam conſonantium [z] frangit, ut [a] in hoc
ipſo *frangit* [a], multo fit horridior. *Æolicæ* quoque literæ,
qua *ſervum cervumque* dicimus, etiamſi forma a nobis re-
pudiata eſt, vis [b] tamen nos ipſa perſequitur. Duras et 30
illa ſyllabas facit, quæ ad conjungendas demum ſubjectas
ſibi vocales eſt utilis, alias ſupervacua, ut [c] *equos* ac [d]
equum ſcribimus, cum ipſæ etiam hæ vocales duæ efficiant
ſonum, qualis apud Græcos nullus eſt, ideoque ſcribi il-
lorum literis non poteſt. Quid? quod pleraque nos illa, 31
quaſi mugiente, litera cludimus [e] *M* [f], qua nullum Græce
verbum cadit? At illi *N*, jucundam, et in fine præcipue,
quaſi tinnientem [g] illius loco ponunt, quæ eſt apud nos ra-
riſſima in [h] clauſulis. Quid? quod [i] ſyllabæ noſtræ in [l] *B* 32
literam, et *D* innituntur [m] adeo aſpere, ut plerique non an-
tiquiſſimorum [n] quidem, ſed tamen veterum, mollire tenta-
verint, non ſolum *averſa* [o] pro *abverſis* dicendo, ſed et in

[z] conſonantem Jenſ. [a] *Sic* G. Jenſ. *it. Vaſcoſ.* 1542, *f. et marg. Baſ.* ut—frangit *om. al.* [b] vix Jenſ. [c] *om.* G. [d] æque cur G. [e] cudimus Jenſ. elidimus Baſil. [f] in Jenſ. *et* G. *a ſecunda manu.* [g] timentem G. Jenſ. [h] in clauſulis *om.* G. [i] *om.* G. [l] *om. id.* [m] immittuntur G. *a dictante.* [n] antiquorum Jenſ. [o] adverſa pro adv. G. 2. Jenſ. apverſa *et in marg.* aſverſa pro abv. *Aſc.* 1519, *f.* aſverſa *Lugd.* 1528, 8. *Gryph. Colin.*

29. *conſonantium frangit*] Quid hoc ſit, jam ſupra 1, 4, 11, nos interpretatos putamus: rationem vocis explicare forte difficile eſt. Melius mihi videbar intelligere, ſi cogitarem in *fr*, *pr*, *tr*, et ſimilibus inter ſe junctis, vibrari quaſi poſteriorem literam, eaque re tremulum ſonum atque ſtridulum, qualis eſt a fractis corporibus, edi. Cæterum repetitio verbi *frangit* mutilando huic loco occaſionem dedit, quo facto obſcurior multo redditus eſt.

29. *Æolicæ literæ*] *Digamma*, de quo ſupra 1, 4, 7 et 14. *SerℲum*, *CerℲum* ſcribi volebat Claudius.

31. *litera cludimus M*] Ut accuſativos ſingulares et plurales genitivos, quos Græci in N finiunt. Simile quid in Hiſpanorum et Portugallorum conſuetudine obſervatur, cum hi M ſuum terminationibus quorundam vocabulorum pro N illorum ſubſtituant.

32. *averſa pro abverſis*] Sic fuerit exemplum literæ B. Sed ſi exemplum τῆς D hic poſtulari dicas, cum proximum ad B pertineat (in primis cum *adverſis* omnes prope agnoſcant) poſſis legere *arverſa* pro *adverſis*. Ut Cato RR. 135, *ubi arvectum erit.* Add. c. 138, *arvehant ligna.* Qua de re Velius Longus Orthogr. p. 327, Urſin. (p. 2232, Putſch.) D *non minus in R literam tranſit—apud antiquos in* arvorſo *et* arvorſario: *Unde et pro* audiculis *ab* audiendo, auriculas *dicimus, et* meridiem *pro* medio die *loquimur.* Agit ibid. de verbo *arceſſo.* Sic in SC. de Bacchanalibus ſunt ARF. ARFUISSE, ARVORSUM, pro *adfuerunt* &c. Locus claſſicus eſt Priſcian. 1, p. 559, Putſch. ubi de *arceſſo*, laudatque *arvenas*, *arventores*, *arvocatos*, *arfines*, *arfari*, *arvolare.*

præpositione *B* literæ absonam † et ipsam *S* ‡ subjiciendo.
33 Sed accentus quoque [p] cum rigore quodam, tum similitudine ipsa minus suaves habemus, quia ultima syllaba nec acuta umquam excitatur, nec flexa circumducitur, sed in gravem, vel duas graves cadit semper. Itaque tanto est sermo Græcus Latino jucundior, ut nostri poetæ, quoties dulce carmen esse voluerunt, illorum id nominibus exor-
34 nent. His illa potentiora, quod res plurimæ carent appellationibus, ut eas necesse sit transferre, aut circumire: etiam in iis, quæ denominata sunt, summa paupertas in eadem nos frequentissime revolvit: at illis non verborum modo, sed linguarum etiam inter se differentium copia est.
35 Quare qui a Latinis exiget illam gratiam sermonis *Attici*, det mihi in eloquendo eamdem jucunditatem, et parem

† adsonam G. 2. *Vid. leg.* ob sonum. ‡ F G. Jens. G. 2. Bas. P Kapp.
p *om.* G.

32. *in præpositione*] *In præpositione* A *B literæ* accessoriæ *subjicitur et ipsum S* ut fiat ABS, *ob sonum* int. molliorem. Sic quidem puto legendum: quis enim, quæso, *mollire* se putat literam vel syllabam, *absona* alia litera *subjicienda?* aut cur *S* est absona? Posterius hoc viderunt, qui pro S maluerunt F legere, cui modo maledixerat noster. Sed non omitti debet Werlhofii mei conjectura et interpretatio: *Sed et in præpositione* (nominis) *absonam, B literæ absonam et ipsam F subjiciendo*, ut *absonam* primo materialiter, ut aiunt, supponatur, deinde formaliter, quod cum parum observaret librarius, semel omiserit. Nimirum pronuntiatum ait *Affonam:* aut si S malis, *Assonam:* illud putat hic significare *subjicere*, quod in formulis illis, ubi *testamentum* vel *epistola* dicitur *subjici*. Doctissimus Heusingerus probat lectionem Gothani secundi, *b literæ* adsonam *et ipsam f subjiciendo:* credo et ipsum *subjicere* hic intelligere pro substituere.

33. *in gravem, vel duas graves*] *In gravem*, quoties penultima longa accentum eadem habet; *in duas graves*, quoties brevi penultima in antepenultimam accentus rejicitur. Nimirum vel ex hoc loco rectam de gravi accentu Græcorum, a quo dicuntur et nomina et verba βαρύτονα, sententiam haurire licuit.

33. *poetæ — exornent*] Hic est velut fundus multarum emendationum Horatii, quas quarto animadversionum suarum capite doctissimus Cuningamus proposuit. *Nomina Græcorum* nimirum hic sunt quæ terminantur in *os*, *on*, *an*, *a*, *en* pro Latinis *us*, *um*, *am*, *em*. Multus hic fuit Dan. Vechnerus, et nuperus ipsius editor, Cl. Heusingerus, cujus amicitia etiam Fabii nostri quibusdam locis profuit.

34. *in iis, quæ denominata sunt*] Tenta, qui dubitas, totidem denominatis et adjectivis nominibus, reddere ista Xenophontis, Memor. Socr. 3, 1, ubi dicit imperatorem esse debere παρασκευαστικὸν, ποριστικὸν τῶν ἐπιτηδείων τοῖς στρατιώταις, μηχανικὸν, ἐργαστικὸν, καρτερικὸν, φυλακτικὸν, προετικὸν, ἐπιθετικὸν, τακτικὸν, it. c. 3, dic mihi eodem modo ἰατρικώτατον, et κυβερνητικώτατον, et γεωργικώτατον κ. τ. λ. Ludunt profecto, si qui Latina Græcis comparare hac parte audent.

copiam. Quod ſi negatum eſt, ſententias aptabimus iis
vocibus, quas habemus, nec rerum nimiam tenuitatem,
ut non dicam pinguioribus, fortioribus certe verbis miſce-
bimus, ne virtus utraque pereat ipſa confuſione. Nam 36
quo minus adjuvat ſermo, rerum inventione pugnandum
eſt. Senſus ſublimes variique eruantur. Permovendi
omnes affectus erunt, oratio tranſlationum nitore illumi-
nanda [q]. Non poſſumus eſſe tam graciles? ſimus for-
tiores. Subtilitate vincimur? valeamus pondere. Pro-
prietas [r] penes illos eſt certior [s]? copia vincamus. Inge- 37
nia Græcorum, etiam minora, ſuos portus habent? nos
plerumque majoribus velis moveamur: validior ſpiritus
noſtros ſinus tendat. Non tamen alto ſemper feremur:
nam et litora interim ſequenda ſunt. Illis facilis per
quælibet vada acceſſus, ego aliquid, non multo tamen,
altius, in quo mea cymba non ſidat [t], inveniam. Neque 38
enim, ſi tenuiora hæc ac preſſiora Græci melius, in eoque
vincimur ſolo, et ideo in comœdiis non contendimus,
prorſus tamen omittenda pars hæc orationis, ſed exigenda
ut optime poſſumus: poſſumus autem rerum et [u] modo
et [x] judicio eſſe ſimiles: verborum gratia, quam in ipſis
non habemus, extrinſecus condienda [z] eſt. An [a] non in 39
privatis et acutus [b], et non aſper, et non indiſtinctus, et
non ſupra modum elatus M. Tullius? non in M. Callidio
inſignis hæc virtus? non Scipio, Lælius, Cato in elo-
quendo [c] velut Attici Romanorum fuerunt? Cui porro
non ſatis eſt, quo nihil eſſe melius poteſt? Ad hoc [d] qui- 40
dam nullam eſſe naturalem putant eloquentiam, niſi quæ
ſit quotidiano ſermoni ſimillima, quo cum amicis, conju-
gibus, liberis, ſervis loquamur [e], contenti promere animi
voluntatem, nihilque arceſſiti et elaborati requirentes:
quidquid huc ſit adjectum, id eſſe affectationis [f], et ambi-
tioſæ in loquendo jactantiæ, remotum a veritate, fictum-
que ipſorum gratia [g] verborum, quibus ſolum a natura ſit
officium attributum, ſervire ſenſibus: SICUT athletarum 41
corpora etiamſi validiora fiant exercitatione, et lege qua-
dam ciborum, non tamen eſſe naturalia, atque ab illa ſpe-

[q] eſt *inſ.* Jenſ. [r] proprietatis Jenſ. [s] certiore G. [t] conſidat Jenſ. [u] *om. id.* [x] in *inſ. id.* [z] concidenda Jenſ. condicenda *Locat. et al. ap. Burm. Quid ſi* conducenda *h. e. concilianda?* [a] At *id.* [b] acutus *id.* [c] loquendo G. Jenſ. [d] adhuc Jenſ. [e] loquimur G. Jenſ. [f] affectionis Jenſ. [g] gratiarum Jenſ.

37. *ſuos portus habent*] Ubi tuta ſint, ubi in tenui opere, ſtilo gracili, gloria ſit, gratia certe et venuſtas.

cie, quæ ſit conceſſa hominibus, abhorrere. Quid enim, inquiunt[h], attinet circuitu res oſtendere, et tranſlationibus, id[i] eſt, aut pluribus aut alienis verbis, cum ſua cui-
42 que ſint aſſignata nomina? Denique antiquiſſimum quemque maxime ſecundum naturam dixiſſe contendunt, mox poetis ſimiliores extitiſſe, etiamſi parcius, ſimili tamen ratione falſa et impropria virtutes[l] ducentes. Qua[m] in diſputatione nonnihil veri eſt, ideoque non tam procul, quam ſit a quibuſdam, recedendum a[n] propriis atque
43 communibus. Si quis tamen (ut in[o] loco dixi compoſitionis) ad neceſſaria, quibus nihil minus eſt, aliquid melius adjecerit, non erit hac calumnia reprehendendus. Nam mihi aliam quamdam videtur habere naturam ſermo vulgaris, aliam viri eloquentis oratio: qui[p], ſi res indicare[q] modo ſatis eſſet, nihil ultra verborum proprietatem elaboraret: ſed cum debeat delectare, movere, in plurimas animum audientis ſpecies impellere, utetur iis quoque adjutoriis, quæ ab eadem ſunt nobis conceſſa natura.
44 Nam et lacertos exercitatione conſtringere, et augere vires, et colorem[r] trahere, naturale eſt: ideoque in omnibus gentibus alius alio facundior habetur, et eloquendo[s] dulcis magis. Quod ſi non eveniret, omnes pares eſſent, et idem omnes deceret. At loquuntur, et ſervant[t] perſonarum diſcrimen: ita quo quiſque plus efficit dicendo,
45 hoc magis ſecundum naturæ[u] eloquentiam dicit. Quapropter ne illis quidem nimium repugno, qui dandum putant nonnihil eſſe temporibus atque auribus, nitidius aliquid atque affectatius[x] poſtulantibus. Itaque non ſolum ad priores Catonem[y] Gracchoſque, ſed ne ad hos quidem oratorem alligandum puto. Atque id feciſſe M. Tullium video, ut cum omnia[z] utilitati, tum partem quamdam delectationi daret, cum † et ipſam ſe rem agere

[h] inquit *id.* [i] idem pluribus et G. [l] virtute G. Jenſ. [m] Quia Jenſ. [n] aut *id.* [o] illo *inſ.* G. [p] cui G. Jenſ. [q] judicare Jenſ. [r] calorem *id.* [s] loquendo G. [t] ſalvant G. Jenſ. *gloſſa monachalis.* [u] naturam eloquentiæ G. *et plur. MSS. ap. Burm. quod fere eſt ut præferam.* [x] effectius G. *pulchre!* affectius *MSS. quidam ap. Burm.* affectibus Jenſ. [y] Catone Gracchiſque *Obr.* [z] omnium G. Jenſ. † Et cum ſuam rem agere diceretur *conj. Burm.*

43. *in loco compoſitionis*] 9, 4, tum in principio capitis tum in fine.

44. *lacertos—conſtringere*] Unde *corpora* ipſa fiunt *colorata, et adſtricta, et lacertis expreſſa* 8, pr. 19. Add. 8, 3, 10.

45. *Catonem Gracchoſque*] Jungit etiam in tali re 8, 5, 33. *Ad hos quidem*, i. e. qui nuper fuere et nunc ſunt, ut ſæpe Cicero.

45. *cum et ipſam ſe rem*] Cicero

diceret (agebat autem maxime[a]) litigatoris. Nam hoc 46
ipſo proderat, quod placebat. Ad cujus voluptates nihil equidem quod addi poſſit[b] invenio, niſi ut ſenſus nos quidem dicamus plures. Neque enim fieri poteſt ſalva tractatione cauſſæ et dicendi auctoritate, ſi[c] crebra hæc lumina et continua fuerint, ut[d] non invicem offecerint[e].
Sed me hac tenus cedentem nemo inſequatur ultra: do 47
tempori, ne craſſa[f] toga ſit; [g]non ſerica: ne intonſum caput; non in[h] gradus atque annulos[i] totum comtum: cum in eo, qui[l] ſe non ad luxuriam ac libidinem referat[m], eadem ſpecioſiora quoque ſint, quæ honeſtiora.
Ceterum hoc quod vulgo *ſententias* vocamus, (veteribus, 48
præcipueque Græcis in uſu non fuit, apud Ciceronem[n] invenio) dum rem contineant, et copia non[o] redundent, et ad victoriam ſpectent, quis utile neget? Feriunt animum, et uno ictu frequenter impellunt, et ipſa brevitate
magis hærent, et dictione[p] perſuadent. Ac ſunt qui hæc 49
excitatiora lumina, etiamſi dicere permittant, a componendis tamen orationibus excludenda arbitrentur. Quocirca mihi ne hic quidem locus intactus eſt omittendus, quod plures eruditorum aliam eſſe dicendi rationem, aliam ſcribendi putaverunt: ideoque in agendo clariſſimos quoſdam nihil poſteritati manſuriſque [mox †] literis reli-
quiſſe, ut *Periclem* et *Demadem:* rurſus alios ad compo- 50
nendum optimos, actionibus idoneos non fuiſſe, ut *Iſocratem:* præterea in agendo plus impetus[q] poſſe plerumque, et petitas vel paullo licentius voluptates; commovendos enim eſſe, docendoſque ‡ animos imperitorum: at

a rem G. b poſſet G. c non *inſ.* G. Jenſ. d et inv. G. Jenſ. e effecerint G. f nigra Jenſ. g ut *inſ.* G. h ſmaragdus Jenſ. i annuli centum ſint cum eo Jenſ. l quod ſi G. Jenſ. m referas *iid.* n enim *inſ. iid.* o *om.* Jenſ. p dejectione G. † *Videtur otioſum, et neſcio unde irrepſiſſe.* q impetum pler. G. Jenſ. ‡ ducendoſque *conj. Burm. et firmat ad Ovid. Met.* 11, 2.

dicebat, ſe etiam cum delectationi partem quandam ſuæ orationis daret, rem agere litigatoris; agebat autem, Fabio judice, maxime. Nimirum et Cicero dicebat, et firmat Fabius, delectandis in loco auditoribus, judicibus præſertim, rem agi litigatoris: quo enim quis delectatur, illi favet, cui favet illum cupit vincere, illi credit, ſi judex ſit, facilius. Itaque nihil muto.

46. *ſenſus — plures*] Sententias, de quibus 8, 5, ubi ad finem capitis eadem fere quæ hic monet. Illud *Neque enim* videtur ita connectendum. Ad Tullii voluptates nihil addi poteſt, niſi ut ſenſus, id eſt, ſententias *plures* dicamus: *plures* inquam, non *meras* et perpetuas. *Neque enim fieri poteſt* &c. Hoc indicant, quæ ſequuntur, *Do tempori, ne craſſa toga ſit, non* ideo ſtatim do, ut *ſerica.*

quod libris dedicatur, et in exemplum editur[r], tersum ac limatum, et ad legem ac regulam compositum esse oportere; quia veniat in manus doctorum, et judices[s] artis[t]
51 habeat artifices. Quin illi subtiles, ut similes ac multi[u] persuaserunt magistri, παράδειγμα dicendo, ἐνθύμημα scribendo esse aptius[x], tradiderunt. Mihi unum atque idem videtur *bene dicere*, ac *bene scribere:* neque aliud esse oratio scripta, quam monumentum[z] actionis habitæ. Itaque nullas non (ut opinor) debet habere virtutes. Non dico, nulla[a] vitia. Nam[b] imperitis placere aliquando quæ vi-
52 tiosa sunt scio. Quo different igitur? Quod[c] si mihi des concilium judicum sapientum, perquam multa recidam ex orationibus non Ciceronis modo, sed etiam ejus, qui est strictior multo, Demosthenis. Neque enim affectus omnino movendi erunt, nec aures delectatione mulcendæ, cum etiam procemia[d] supervacua esse apud tales, Aristoteles existimet: non enim trahentur his illi sapientes: proprie et significanter rem indicare, probatione colligere,
53 satis est. Cum vero judex detur aut populus, aut ex populo, laturique sententiam indocti sæpius, atque interim rustici: omnia, quæ ad obtinendum quod[e] intendimus, prodesse credemus[f], adhibenda sunt, eaque etiam[g] cum dicemus[h], promenda[i], et cum scribemus, ut doceamus
54 quo modo[l] dici oporteat. An *Demosthenes*[m] male sic egisset ut scripsit? aut *Cicero*[n]*?* aut eos præstantissimos oratores alio quam scriptis cognoscimus? Melius egerunt igitur, an pejus? nam si pejus, sic potius[o] oportuit dici, ut scripserunt: si[p] melius, sic oportuit scribi, ut dixerunt.
55 Quid ergo? Semper sic aget orator, ut scribit[q]? Si licebit, semper: quod si impediant[r] brevitate tempora a ju-

[r] redditur Jens. [s] judicis artes G. [t] sibimet ac multis *vid. leg.* sibi ac multis *jam conj. Burm.* [u] multos G. [x] altius G. a tuis Jens. [z] momentum G. monumenta Jens. [a] *om.* G. Jens. [b] Non G. [c] *om. id.* [d] procemium supervacuum Jens. [e] quæ Jens. [f] credimus G. Jens. [g] *Vid. leg.* et tum, cum dic. [h] dicimus G. Jens. [i] *om.* G. *Voss.* 2. [l] scribi *ins.* G. *sed puncta subduxit manus emendatrix, quibus abesse illud debere significatur. Quoties talia puncta evanescunt?* [m] *Sic* G. Kapp. *Voss.* 2. *Lugd.* 1528, 8. *Obr. nisi quod* vellem G. *Sed* male *habet etiam Asc.* 1519, *f.* malle Jens. Demosthenem mallem sic egisse *al. Itaque nec opus est, elegante licet, conjectura Rollini,* An Demosthen. nollem sic egisse. [n] *Sic Lugd.* 1528, 8. *et Obr.* Ciceronem *al.* [o] *om.* G. [p] si—oportuit *om.* G. [q] scribet G. *recte.* [r] expediant G.

52. *procemia supervacua*] Vid. 4, 1, 72.

53. *ut doceamus quo modo dici oporteat*] *Est enim oratio actionis exemplar, et quasi ἀρχέτυπον,* Plin. epist. 1, 20, 9, quo in loco plura disputat in præceptoris sui sententiam.

dice data: multum ex eo quod potuit dici, recidetur[s];
editio habebit omnia. Quæ autem ſecundum naturam
judicantium dicta ſunt, non ita poſteris tradentur, ne[t] vi-
deantur propoſiti fuiſſe, non temporis. Nam id quoque 56
plurimum refert, quo modo judex audire velit: atque ei[u]
vultus ſæpe ipſe rectus[x] eſt dicentis, ut Cicero præcipit.
Ideoque inſtandum iis, quæ placere intellexeris, reſilien-
dum ab iis, quæ non recipientur. Sermo ipſe, qui facile
judicem doceat, optandus. Nec id mirum ſit, cum etiam 57
teſtium perſonis aliqua mutentur. Prudenter enim, qui
cum interrogaſſet ruſticum teſtem, *an*[y] *Amphiona*[z] *noſ-
ſet*[a]*?* negante[b] eo detraxit aſpirationem[c], breviavitque
ſecundam ejus nominis ſyllabam, et ille eum ſic optime no-
rat. Hujuſmodi caſus efficiunt, ut aliquando dicatur aliter
quam ſcribitur; cum dicere, quo modo ſcribendum eſt,
non licet. Altera eſt diviſio, quæ in tres partes et ipſa 58
diſcedit[d], qua diſcerni poſſe etiam recte dicendi genera
inter ſe videntur. Namque unum *ſubtile*, quod ἰσχνὸν vo-
cant. Alterum *grande* atque *robuſtum*, quod conſtituunt
ἁδρόν. Tertium alii *medium* ex duobus, alii *floridum* (nam- 59
que id ἀνθηρὸν appellant) addiderunt, quorum tamen ea
fere ratio eſt, ut primum *docendi*, ſecundum *movendi*, ter-
tium illud utrocumque † nomine, *delectandi*, ſive aliud[e]
interconciliandi præſtare videatur[f] officium: in docendo
autem *acumen*, in[g] interconciliando *lenitas*, in movendo
gravitas[h] videatur. Itaque illo ſubtili præcipue ratio
narrandi probandique conſiſtit: ſed quod etiam detractis

[s] reciderunt Jenſ. [t] ut G. [u] his multus G. 2. [x] rector *Obr. et eo non inſpecto Werlh.* [y] at G. Jenſ. [z] Amphionem G. Amphion Jenſ. [a] *om.* G. Jenſ. [b] negat et detr. Jenſ. negant eo detraxiſſet G. [c] ſpiratione brevi autque G. [d] deſcendit G. † ultrorumque G. 2. [e] *Vid. om. Rollino et Capp. Pro* aliud inter *conj. Heum.* auditores. [f] *Sic* G. G. 2. *et al. MSS. ap. Burm. Cur igitur ita diu retentum* videtur? [g] *om.* G. Jenſ. [h] *om.* G.

56. *ei vultus ſæpe ipſe*] Si omnino ita ſcripſit Fabius, quod aſſeverare non auſim, dativum poſuit pro ablativo cum præpoſitione, ut *audita tibi putaram* &c. Si exſtaret, a nobis quidem inventus eſſet Ciceronis, ad quem reſpicit, locus, nihil forte dubitationis relinqueretur.

56. *Sermo—optandus*] H. e. eligendus, et ſtudioſe conſectandus, αἱρετέος. Quoties in declamationibus *optant* præmia fortes, nuptias raptoris aut mortem raptæ? *Adoptare* et *cooptare* tota ſunt ex hac notione.

59. *ſive aliud interconciliandi*] *Interconciliandi* verbum an alias etiam legatur, dubito. Cum bis poſitum ſit, eo minus auſim mutare. *Aliud* vero e margine irrepſiſſe arbitror, cum varietatem lectionis quamcunque *aliud* exemplar habere, aliquis indicaret.

60 ceteris virtutibus, ſuo genere plenum ſit[k]. Medius hic modus[l], et tranſlationibus crebrior, et figuris erit jucundior, egreſſionibus amœnus[m], compoſitione aptus, ſententiis dulcis, lenior tamen, UT[n] amnis lucidus quidam[o], et
61 virentibus utrimque ſilvis inumbratus. At ille, qui ſaxa devolvat, et *pontem indignetur*, et ripas ſibi faciat, multus et torrens judicem, vel nitentem contra, feret, cogetque ire qua rapit. Hic orator et defunctos excitabit, ut *Appium Cæcum*: apud hunc et patria ipſa exclamabit, aliquandoque[p] *Ciceronem*, in oratione *contra Catilinam* in ſenatu, al-
62 loquetur. Hic et amplificationibus extollet orationem, et vi[q] ſuperlationum quoque eriget: *Quæ Charybdis tam vorax?* et, *Oceanus medius fidius ipſe*. Nota ſunt enim jam ſtudioſis hæc lumina. Hic deos ipſos in congreſſum prope ſuum ſermonemque deducet, *Vos enim Albani tumuli atque luci: vos, inquam, Albanorum obrutæ aræ, ſa-*
63 *crorum populi Romani ſociæ et æquales*. Hic iram, hic miſericordiam inſpirabit, hic dicet, *Te vidit*[r], *et flevit, et appellavit*, et per omnes affectus tractatur[s]. Hinc itaque illuc ſequitur, *nec doceri*[t] *deſiderabit*. Quare ſi ex tribus his generibus neceſſario ſit eligendum unum, quis dubitet hoc[u] præferre omnibus, et validiſſimum alioqui, et

[k] *om.* G. Jenſ. [l] *om. iid.* [m] amœnis Jenſ. [n] et *id.* [o] eſt *inſ. id.* [p] *Sic* G. J. *Aſc.* 1519, *f. Lugd.* 1528, 8. *Baſſ. et al. tum MSS. tum edd. ap. Burm.* aliquemque ut Ciceronem *Obr.* aliquemque ut apud *rel.* [q] in ſuperlationem *editt. plur.* [r] videt, appellavit et flevit G. *et Voſſ.* 2. [s] auditor huc atque illuc ſequetur, nec doceri deſiderabit *Obr. Optime ſi ex MSS.* tractatus judex huc &c. *conj. Burm.* [t] decere G. doceri Jenſ. docere *rel.* [u] hunc G.

59. *ſed quod—plenum ſit*] Ita intelligo. Subtile illud genus non tantum partes orationis decet, narrationem, probationemque: ſed totas etiam orationes, quæ probabiles, pro materiæ nimirum ratione, eſſe poſſunt, etiam *detractis cæteris virtutibus*, h. e. etiam ſi nihil neque floridum habeant neque grande: *plenum* igitur eſt ſufficiens ac per ſe implens orationem, ut alio genere opus non ſit.

61. *ſaxa devolvat*] Cum reſpectu, quod viſum Burmanno, ad illa Horatii Od. 4, 2, 11, de Pindaro, *Per audaces nova dithyrambos Verba devolvit.* Dixerat *Monte decurrens velut amnis* &c. *Pontem indignatus* ut ille Virgilianus *Araxes* Æn. 8, 728. Nimirum, præcepta et hic ſunt ſimul exempla. Huc pertinent etiam, quæ ſequuntur, *Appius excitatus* pro Cœlio c. 14. *Patria exclamat* in Catil. 1, 7. *Ciceronem autem alloquitur* ibid. c. 11, *M. Tulli quid agis* &c. Quem locum cum non animadvertiſſent quidam editores, mutationem temere induxerunt ſupra indicatam. Nam libri antiqui tum manu exarati tum formis cuſi, quod ſciam, omnes nobiſcum faciunt.

62. *Quæ Charybdis*] Philipp. 2, 27. *Vos enim Albani* pro Milon. 31.

maximis quibuſque cauſſis accommodatiſſimum? Nam et 64
Homerus *brevem* quidem cum animi [x] jucunditate, et *pro-
priam*, (id enim eſt *non errare verbis*) et carentem ſuperva-
cuis *eloquentiam* Menelao dedit, quæ ſunt virtutes generis
illius primi. Et *ex ore* Neſtoris dixit *dulciorem melle pro-
fluere ſermonem:* qua certe delectatione nihil fingi majus
poteſt. Sed ſummam [z] aggreſſus, ut in Ulyſſe, facun-
diam, magnitudinem illi junxit [a]: cui [b] *orationem nivibus
hibernis, et copia verborum, atque impetu parem* tribuit.
Cum hoc igitur nemo mortalium contendet: hunc ut 65
deum homines intuebuntur. Hanc vim et celeritatem in
Pericle miratur Eupolis, hanc fulminibus Ariſtophanes
comparat: hæc eſt vera [c] dicendi facultas. Sed neque his 66
tribus quaſi formis incluſa eloquentia eſt. Nam ut inter
gracile validumque tertium aliquid conſtitutum eſt: ita
horum intervalla ſunt: atque inter hæc ipſa mixtum
quiddam ex duobus medium eſt eorum [d]. Nam et ſubtili
plenius aliquid atque ſubtilius, et vehementi remiſſius at-
que vehementius invenitur; ut illud lene aut aſcendit ad
fortiora, aut ad [e] tenuiora ſubmittitur: ac ſic prope in- 67
numerabiles ſpecies reperiuntur, quæ utique aliquo mo-
mento inter ſe differant, SICUT quatuor ventos generali-
ter a totidem mundi cardinibus accepimus flare, cum in-
terim plurimi medii [f] eorum, varietate [g] regionum ac flu-
minum [h] proprii [i] deprehendantur [k]. Eademque muſicis 68

[x] *om.* G. Jenſ. [z] ſumma regreſſus eſt G. ſi in mare greſſus eſſet Jenſ. [a] viciſſent G. [b] cum orationi G. [c] vere G. Jenſ. [d] quorum et ſubt. G. [e] *om.* G. [f] et *inſ.* G. Jenſ. [g] varia etiam G. *Vid. leg.* varie etiam. [h] flaminum *Obr. vid. not.* [i] proprie Jenſ. [k] deprehendentur G. deprehenduntur Jenſ.

64. *Nam et Homerus*] 'Ιλ. γ'. 213,

Ἦ τοι μὲν Μενέλαος ἐπιτροχάδην ἀγόρευε
Παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως, ἐπεὶ οὐ πολύμυθος,
Οὐδ' ἀφαμαρτοεπής.—

De Ulyſſe verba jam dedimus ad 11, 3, 158. Cæterum non intermiſit Clarkius tum Fabii noſtri, tum Ciceronis, Halicarnaſſenſis Dionyſii, et Gellii verba adſcribere, qui omnes tria illa genera in Menelao, Ulyſſe, Neſtore, non adumbrata, ſed expreſſa ab Homero agnoſcunt. Cæterum de Neſtore 'Ιλ. α'. 249, Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

65. *in Pericle*] Vid. 2, 16, 19. et 12, 2, 22.

67. *fluminum proprii*] Ne *flaminum* alicui placeat, congeſſit hic Burmannus feſtivam locorum copiam, ubi ſpirantium *a fluminibus* ventorum mentio fit. Nobis duos laudaſſe ſatis fuerit, Senecam Quæſt. Nat. 5, 7, *Antelucanos flatus inſpiciamus, qui aut* ex fluminibus, *aut ex convallibus, aut ex aliquo ſinu feruntur.* Plin. 2, 43, ſ. 44, de ventis, *Namque et* e fluminibus, *ac ſinubus, et e mari videmus—conſurgere.* Adeo frequens iſta ſententia, ut vulgo ipſum aerem, in

ratio eſt, qui cum in cithara quinque conſtituerunt ſonos, plurima deinde varietate complent ſpatia illa nervorum, atque iis quos interpoſuerunt, inſerunt alios, ut pauci illi
69 tranſitus multos gradus habeant. Plures igitur etiam eloquentiæ facies, ſed ſtultiſſimum quærere, ad quam recturus ſe ſit orator: cum omnis ſpecies, quæ modo recta eſt, habeat uſum, atque id ipſum omne [l] ſit oratoris, quod vulgo *genus dicendi* vocant. Utetur enim, ut res exiget, omnibus, nec pro cauſſa [m] modo, ſed et [n] pro partibus
70 cauſſæ. Nam ut non eodem modo pro reo capitis, et in certamine hereditatis, et de interdictis [o] ac ſponſionibus, et de certa re [p] credita dicet; ſententiarum in ſenatu, et concionum, et privatorum conſiliorum ſervabit diſcrimina; vitam [q] ex differentia *perſonarum, locorum, temporumque* mutabit: ita in eadem oratione aliter conciliabit, non ex eiſdem partibus iram et miſericordiam petet: alias
71 ad docendum, alias ad movendum [r] adhibebit artes. Non unus color *procemii, narrationis, argumentorum, egreſſionis, perorationis,* ſervabitur. Dicet idem graviter, ſevere, acriter, vehementer, concitate, copioſe, amare, comiter, remiſſe, ſubtiliter, blande, leniter, dulciter, breviter, ur-
72 bane, non ubique ſimilis [s], ſed ubique [t] par ſibi. Sic fiet, cum id, propter quod maxime repertus eſt uſus orationis, ut dicat et utiliter, et ad efficiendum quod intendit, potenter: tum laudem quoque nec [u] doctorum modo [x], ſed
73 etiam vulgi conſequatur. Falluntur [z] enim plurimum, qui vitioſum et corruptum dicendi genus, quod aut verborum licentia reſultat, aut puerilibus ſententiolis laſcivit, aut immodico tumore turgeſcit, aut inanibus locis bacchatur, aut caſuris, ſi leviter excutiantur, floſculis nitet, aut præcipitia pro ſublimibus habet, aut ſpecie libertatis inſanit: magis exiſtimant [a] populare atque plauſibile.
74 Quod quidem placere multis nec infitior, nec miror. Eſt

[l] non G. Jenſ. *ex* oe̅. [m] cauſſæ Jenſ. [n] *om.* G. Jenſ. [o] internis G. [p] *om.* G. Jenſ. [q] multa *Obr.* utram *V. C. Alm. Quid ſi* ut rationem *ex* ut ra̅m? [r] monendum Jenſ. [s] ſimul G. Jenſ. [t] ubicunque G. [u] non Jenſ. [x] quoque G. [z] Fallunt e. plurimi Jenſ. [a] exiſtiment G. exiſtimet Jenſ.

cujus motu ventus ineſt, aquam attenuatam et rarefactam dicerent. Nec vera ratio nimis obſcura.

70. *aliter conciliabit*] Etiam hic ſapienter prohibet medicam manum Burmannus, certe lacunæ ſuſpicionem ex uno tantum *aliter* motam a Rollino, et ad Gronovium nos ablegat, qui ad Liv. 3, 37, et ad Tac. 3, 37, oſtenderit, ſolitarium nonnunquam illud poni.

enim jucundioris[b] ac favorabilis qualiſcumque eloquen-
tiæ[c], et ducit animos naturali voluptate vox omnis, neque
aliunde illi per fora atque aggerem circuli: quo minus
mirum eſt, quod nulli non agentium parata vulgi corona
eſt. Ubi vero quid exquiſitius dictum accidit auribus 75
imperitorum, qualecumque id, quod modo ſe ipſi poſſe
deſperent, habet admirationem, neque immerito: nam ne
illud quidem facile eſt. Sed evaneſcunt hæc atque emo-
riuntur[d] comparatione meliorum: *ut lana tincta fuco citra*

[b] *Vid. leg.* jucunda auri—eloquentia *vel certe* jucundi oris: *ſed prius magis placet.* [c] eloquentia G. [d] moriuntur G. Jenſ.

74. *atque aggerem*] Non intelligo vias publicas, quas *aggeres* potius dixiſſet; neque ſpeciatim *aggerem Tarquinii*, magnificum opus, de quo Liv. 1, 44. Plin. 3, 5, ſ. 9. it. 36, 15, ſ. 24, 2, donec oſtendatur, ibi quoque circulos otioſorum hominum, aures locantium nugis, fuiſſe: ſed eum quem *circo* jungit, et in circo, ut mihi quidem videbatur, collocat Juvenalis 6, 588. Nec putabam aliter videri poſſe, ſi quis totum locum attente legat:

Plebeium in circo poſitum eſt et in aggere fatum.
Quæ nudis longum oſtendit cervicibus aurum,
Conſulit ante phalas Delphinorumque columnas &c.

Minime profecto audiendus Rycquius de Capitolio, qui de præcipitatis ſupplicii cauſa ex aggere Tarquinii poetam intelligit. Sane hic *agger* non minus circi pars quam *phalæ* ac *delphini*. Intelligo igitur eam, quæ *ſpina* alias vocatur, theatrum et campum varii generis agyrtarum, nugas canoras popello venditantium, quem graphice etiam deſcribit, quin tabula depictum proponit Anton. van Dalen de Oraculis p. 308.

75. *ut lana tincta*] Placet ingenium Colomeſii, qui verſiculos ex tragœdia forte ſumtos ita reſtituit:

Ut lana tincta purpuram citra placet;
At ſi contuleris eam lacernæ,
Conſpectu melioris obruatur.

Sed *fuco* omitti non debebat, e qua herba veſtes tingi, Servius docet ad Georg. 4, 39. Add. Plin. 26, 10, ſ. 66, ubi docet, *in Creta veſtes* fuco *tingi*, eumque *conchyliis ſubſterni* h. e. lanas eo prius imbui, quam pretioſum alterum colorem bibant. Conf. Plin. 32, 6, ſ. 22. Huc reſpicit elegantiſſimus e Tullii Hortenſio locus, ſervatus a Nonio 4, 405. *Ut ii qui combibi purpuram volunt, ſufficiunt prius lanam medicamentis quibuſdam: ſic literis talibuſque doctrinis ante excoli animos, et ad ſapientiam concipiendam imbui et præparari decet.* Deinde probat quidem ex hoc loco Ferrarius de Re Veſt. 2, 1, 24, *lacernas* vulgo fuiſſe purpureas. Cum vero vilioris etiam coloris fuiſſe, ipſe non neget; non potuit eam Ovidius *lanæ fuco tinctæ* ita ſimpliciter opponere. Quæ cum ita ſint, non dubito ſcripſiſſe Ovidium, quod ſervavit Vallæ liber, *Lacænæ*, i. e. *Laconicæ*, quod nobiliſſimum purpuræ genus fuiſſe, nemo ignorat, qui vel Horatium legit et illud Od. 2, 18, 7, *Nec Laconicas mihi Trahunt honeſtæ purpuras Clientæ. Citra purpuram* igitur h. e. ſi non comparetur purpuræ, placet *lana fuco tincta*, ſed ſi *Lacænæ* purpuræ eam *contuleris, obruatur* ſplendoremque ſuum perdat &c.

purpuram[e] *placet: at si contuleris etiam lacernæ*[f], *conspectu*
76 *melioris obruatur*, ut Ovidius ait. Si vero judicium his corruptis acrius adhibeas, ut buccinis[g] purpuram, jam illud quod[h] fefellerat, exuat mentitum colorem, et quadam vix enarrabili fœditate pallescat. Luceat igitur hæc citra solem, [i] UT quædam exigua animalia igniculi viden-
77 tur in tenebris. Denique mala multi probant, nemo improbat bona. Neque vero omnia ista, de quibus locuti sumus, orator optime tantum, sed etiam facillime faciet. Neque enim vis summa dicendi est[k] admiratione digna, si infelix usque ad ultimum solicitudo persequitur, ac oratorem macerat et coquit, ægre verba vertentem, et perpen-
78 dendis coagmentandisque eis intabescentem. Nitidus ille, et sublimis, et locuples, circumfluentibus undique eloquentiæ copiis imperat. Desinit enim in adversa niti, qui pervenit in summum. Scandenti circa ima labor est[l]: ceterum quantum processeris, mollietur clivus[m] et lætius

[e] purpuras G. Jens. *Obr.* [f] Lacenæ *f.* Lacænæ *liber Vallæ: quod probat Gallæus. vid. not.* [g] succinis sulfura Jens. *et al. ap. Burm.* buccini purpuram *Ferrar. conj. vid. not.* [h] quo G. [i] et *inf.* G. Jens. [k] esset *iid.* [l] laboret: cet. Jens. [m] *Sic ausus sum rescribere.* dives *omn.*

76. *ut buccinis purpuram*] Si ita dedit Fabius, fuerit *Buccinum* concha et color purpura deterior, et favere videtur Plin. 9, 38, f. 62, *Buccinum per se damnatur, quoniam fucum remittit.* Sed deinde cum pretia indicat, *non tamen usquam*, inquit, *pelagii* (hoc alterum genus purpuræ) *centenas libras quinquagenos nummos excedere, et buccini centenos, sciant* &c. Itaque *buccinum* pretiosissimum, cujus illud vitium, *quod fucum remittit* atque adeo pallescit facile, quomodo emendetur, idem tradit Plinius, *Pelagio admodum alligatur* (cum eo coalescit et inolescit) *nimiæque ejus nigritiæ dat austeritatem illam, nitoremque qui quæritur, cocci.* Igitur probanda est conjectura Ferrarii, qui l. c. legendum putat *buccini purpuram. Buccini* nempe *purpura* præstantissima si adhibeatur *lanæ* solo *fuco tinctæ*, exuit mentitum colorem &c. Altera lectio, *ut succinis sulfura* ab aliquo videtur excogitata, qui *buccinum* quid sibi hic vellet, ignarus, cogitaret de externa quadam *succini et sulphuris* similitudine, quæ fallere non possit, si quis utrumque comparet. An mangonio quædam effici potuerit aliquid succino simile, idque admoto sulphuris fumo deprehendi, docuerint forte Chymici.

77. *infelix solicitudo*] Vid. ad 10, 1, 115.

78. *mollietur clivus*] Ita ausus sum rescribere, non Harduini equidem secutus auctoritatem, cui idem videri deprehendo, dum Virgilianæ auctoritati *mollis clivi* Ecl. 9, 8, adscribere hic volo Plinium, cujus recordabar *mollem clivum* a Chersiphrone *exaggeratum æronibus* 36, 14, f. 21: sed quod *dives solum* hic nihil ad rem facit, ubi *scandendum* est; quod *dives ac lætius solum* opus non habet ut *molliatur*; quod statim *lenius supina* eodem intellectu appellantur, (vid. not. prox.) quod *clivos* forte antiqua ratione scriptum cum inventum in libris esset, tanto mutari facilius

ſolum. Et ſi hæc quoque jam lenius ſupina[n] perſeverantibus ſtudiis evaſeris[o], inde fructus illaborati offerunt ſeſe, et omnia ſponte proveniunt: quæ tamen quotidie niſi decerpantur, areſcunt. Sed et copia habet modum, ſine quo nihil nec laudabile, nec ſalutare eſt: et nitor ille cultum virilem, et inventio judicium. Sic erunt *magna*, non nimia[p]; *ſublimia*, non abrupta; *fortia*, non temeraria; *ſevera*, non triſtia; *gravia*, non tarda; *læta*, non luxurioſa; *jucunda*, non diſſoluta; *plena*[q], non tumida. Similis in ceteris ratio eſt[r]. Tutiſſima fere per medium via, quia utriuſque ultimum vitium eſt. 79 80

XI. His dicendi virtutibus uſus orator in judiciis, conſiliis, concionibus, ſenatu, in omni denique officio boni civis, finem quoque dignum et optimo viro, et opere ſanctiſſimo faciet: non quia prodeſſe umquam ſatis ſit, et illa mente atque illa facultate prædito non conveniat operis pulcherrimi quam longiſſimum tempus: ſed quia decet hoc quoque proſpicere, ne quid[s] pejus, quam fecerit, faciat. Neque enim ſcientia modo conſtat orator, quæ 2 augetur annis, ſed voce, latere, firmitate; quibus fractis aut imminutis ætate ſeu valetudine, cavendum eſt, ne quid in oratore ſummo deſideretur, ne[t] interſiſtat fatigatus, ne quæ dicet, parum audiri ſentiat, ne[u] ſe quærat

[n] *Sic Burm. ex V. C. Almel.* ſuprema G. Jenſ. [o] evaſerit Jenſ. [p] nimium Jenſ. [q] grandia G. fortia Jenſ. [r] *om.* G. Jenſ. [s] id *inſ.* Jenſ. [t] non G. Jenſ. [u] nec ſe queratur perire G. Jenſ.

potuit. Ultra progreditur Harduinus, et legit *clivis elatius ſolum*, vel *clivus et elatius ſolum.* Sed niſi *lætius* fuiſſet in libris antiquis, nemini in mentem veniſſet *dives:* et *lætius ſolum* etiam aſpero et ſcrupis horrido opponitur &c.

79. *lenius ſupina*] Hunc *mollem clivum* eſſe jam diximus, et oſtendit pluribus tum ad h. l. Burmannus, tum Bentleius ad Horat. Epod. 1, 29, ubi itidem *ſupinum Tuſculum* reſtituit pro *ſuperno*, quod libros, ut hic, obſederat: quemadmodum etiam in Statio factum Theb. 8, 640, ubi *crines a fronte ſupinos* i. e. molliter ſurgentes retrorſum, ex MSS. repoſuit pro *ſupernis* Barthius. Verbo igitur *lenius ſupina* ſunt minus jam ardua, adhuc tamen acclivia.

XI, 1. *ne quid pejus—faciat*] Hoc uſque eo metuit Socrates, ut hanc præcipue cauſam habuerit irritandi judices ſuos, quo mortem illi ſibi decernerent, quod in procemio Apologiæ illius docet Xenophon. Et nota illius Barbari hiſtoria, qui interfici mallet, quam ſpecimen artis edere, quam aliquandiu non exercuerat, ne famam forte peccato amitteret.

2. *ne ſe quærat*] Id eſt deſideret, ſentiat ſe immutatum et plane alium. Illuſtrarunt hanc formulam laudati hic Burmanno Græviús lectt. Heſiod. c. 10. Broukh. ad Tib. 2, 3, 26. Barth. ad Stat. Achill. 2, 211. Cæterum quod ſuadet hic Fabius aliis, id ſe feciſſe ipſum teſtatur 2, 12, 12.

3 priorem. Vidi ego longe omnium, quos mihi cognofcere contigit, fummum oratorem, *Domitium Afrum* valde fenem, quotidie aliquid ex ea, quam meruerat, auctoritate perdentem, cum agente illo, quem principem fuiffe quondam fori [x] non erat dubium, alii (quod indignum videatur) riderent, alii erubefcerent: quæ occafio illis [z] fuit dicendi [a], *malle eum deficere, quam definere.* Neque erant
4 illa qualiacumque mala, fed minora. Quare ANTE, quam in has ætatis veniat infidias, receptui canet, et in portum integra nave perveniet. Neque enim minores eum, cum id fecerit, ftudiorum fructus fequentur [b]. Aut ille monumenta rerum pofteris, aut, ut L. Craffus in libris Ciceronis deftinabat, [c] quærentibus tradet, aut eloquentiæ componet artem, aut pulcherrimis vitæ præceptis dignum
5 os dabit. Frequentabunt vero ejus domum optimi juvenes more veterum, et veram dicendi viam velut ex oraculo petent. Hos ille formabit quafi eloquentiæ parens, et UT vetus gubernator, litora et portus, et quæ tempeftatum figna, quid fecundis flatibus, quid adverfis, ratis pofcat, docebit: non humanitatis folum communi ductus
6 officio, fed amore quodam operis. Nemo enim minui velit id, in quo maximus fuit. Quid porro eft honeftius, quam docere quod optime fcias? Sic ad fe Cælium deductum a patre Cicero profitetur. Sic Panfam, Hirtium, Dolabellam in morem præceptoris exercuit, quotidie di-
7 cens, audienfque. Ac nefcio an eum tunc beatiffimum credi oporteat fore [d], cum jam fecretus et confecratus, liber invidia, procul a contentionibus, famam [e] in tuto collocarit [f], et fentiat [g] vivus eam, quæ poft fata præftari magis folet, venerationem, et quid apud pofteros futurus
8 fit, videbit [h]. Confcius fum mihi, quantum mediocritate valui, quæque antea fcierim, quæque operis hujufce gratia potuerim inquirere, candide me atque fimpliciter in

[x] alii *hic ponit, mox omittit* Jenf. [z] illi G. Jenf. [a] dicendo G. [b] perfequentur *id.* [c] jura *inf. Obr. pulchre.* [d] *om.* G. Jenf. [e] fama Jenf. [f] collocavit *id.* [g] *Forte leg.* fentiet Jenf. [h] viderit *conj. Heufingeri.*

4. *quærentibus tradet*] De jure commentarios hic intelligi, etiam ex ipfo Ciceronis, ad quem refpicit Fabius, loco, et confilio Craffi apparet, de Orat. 1, 42, *Ut primum omne jus civile in genera digerat* &c.

4. *præceptis dignum os dabit*] Præcepta iis verbis confcribet, quæ digna fint rerum gravitate.

5. *juvenes more veterum*] Vid. Cic. de Sen. 8 et 9. De Cœlio ad Ciceronem a patre deducto, in orat. pro eod. c. 4. De *Hirtio, Panfa, Dolabella* difcipulis fuis ad Fam. 9, 16, et al.

notitiam eorum, ſi qui forte cognoſcere voluiſſent, protu-
liſſe. Atque id viro bono ſatis eſt, docuiſſe quod ſcierit. 9
Vereor tamen, ne aut magna nimium videar exigere; qui
eumdem virum bonum eſſe, et dicendi peritum velim:
aut multa; qui tot artibus in pueritia diſcendis, morum
quoque præcepta, et ſcientiam juris civilis, præter ea quæ
de eloquentia tradebantur, adjecerim: quique hæc [i] ope-
ri [l] noſtro neceſſaria eſſe crediderim [m], velut pondus rei
perhorreſcant, ac deſperent ante experimentum. Sed [n] hi 10
primum renuntient ſibi, quanta ſit humani ingenii [o] vis,
quam potens efficiendi quæ velit, cum maria tranſire, ſi-
derum curſus numeroſque cognoſcere, mundum ipſum
pene dimetiri, minores, ſed difficiliores, artes potuerint.
Tum cogitent, quantam rem petant, quamque nullus ſit
hoc propoſito præmio labor recuſandus. Quod ſi mente 11
conceperint, huic quoque parti facilius accedent, ut ipſum
iter neque impervium, neque ſaltem [p] durum putent.
Nam id, quod prius, quodque majus eſt, ut boni viri
ſimus, voluntate maxime conſtat: quam qui vera fide in-
duerit, facile eaſdem, quæ virtutem docent, artes acci-
piet. Neque enim aut tam [q] perplexa, aut tam numeroſa 12
ſunt quæ premunt, ut non paucorum admodum annorum
intentione diſcantur. Longam enim facit operam, quod
repugnamus. BREVIS eſt inſtitutio vitæ honeſtæ beatæ-
que, ſi credas. Natura enim nos ad mentem optimam
genuit: adeoque diſcere meliora volentibus promtum eſt,
ut vere intuenti mirum ſit illud magis, malos eſſe tam
multos. Nam UT aqua piſcibus, ut ſicca terrenis, cir- 13
cumfuſus nobis ſpiritus volucribus convenit: ita certe fa-
cilius eſſe oportebat, ſecundum naturam, quam contra

[i] *om.* Jenſ. [l] opera noſtra G. [m] crediderint vel remoram perh. *Obr.* crediderint, velut moroſiora perhorreſcant *conj. Burm.* Crediderint *certe legendum.* [n] Namque pri. G. Namque qui pri. Jenſ. [o] generis Jenſ. [p] callem *conjeceram, ſed vid. not.* [q] *om.* G.

11. *neque ſaltem durum*] Offenſus primo inconſueta, ut videbatur, ſignificatione τῆς *ſaltem*, *callem* ſuſpicabar hic fuiſſe. Sed revocavit me uſus Fabii, qui *neque ſaltem* ponit pro *ne quidem*. Vid. ad 6, 2, 19. et add. 6, 4, 15. Nam *illud vix ſaltem præcipiendum videtur*, eandem vim habet.

12. *ſi credas*] Si bona tibi fide perſuaderi patiaris, beatam non eſſe vitam, niſi quæ honeſta ſit: tum enim id ſequitur, quod ex Socratis diſciplina refertur Cic. de Orat. 1, 47, *Quibus id perſuaſum eſſet, ut nihil mallent ſe eſſe quam bonos viros, iis reliquam facilem eſſe doctrinam.*

15. *facilius ſecundum naturam*] Sen. de Ira 2, 13. *Omnium virtutum tutela facilior eſt: vitia magno coluntur.* Latiſſime hoc pa-

eam vivere. Cetera vero, etiam ſi ætatem noſtram non ſpatio ſenectutis, ſed tempore adoleſcentiæ metiamur,
14 abunde multos ad diſcendum annos habent. Omnia enim breviora reddet ordo, et ratio, et modus. Sed culpa eſt in præceptoribus prima, qui [r] libenter detinent [s] quos occupaverunt, partim cupiditate diutius exigendi mercedulas, partim ambitione, quo difficilius ſit quod pollicentur, partim etiam inſcientia tradendi, vel negligentia. Proxima in nobis, qui morari in eo, quod novimus, quam diſ-
15 cere quæ nondum ſcimus, melius putamus. Nam, ut de noſtris potiſſimum ſtudiis dicam, quid attinet tam multis annis, quam in more eſt plurimorum, (ut de his, a quibus magna in hoc pars ætatis abſumitur, taceam) declamitare in ſchola, et tantum laboris in rebus falſis conſumere, cum ſatis ſit modico tempore imaginem veri diſcriminis,
16 et dicendi leges comperiſſe? Quod non dico, quia ſit umquam omittenda dicendi exercitatio, ſed quia non ſit in [t] una ejus ſpecie conſeneſcendum. Cognoſcere enim [u], et præcepta vivendi [x] perdiſcere, et in foro nos experiri potuimus, dum ſcholaſtici ſumus. Diſcendi [z] ratio talis, ut non multos annos poſcat. Quælibet [a] enim ex iis artibus, quarum prius [b] habui mentionem, in paucos libros contrahi ſolet; adeo infinito [c] ſpatio ac traditione opus non [d]
17 eſt. Reliqua eſt, quæ vires cito facit, conſuetudo. Rerum cognitio quotidie creſcit; et tamen quam [e] multorum ad eas librorum neceſſaria lectio eſt, quibus aut rerum exempla ab hiſtoricis, aut dicendi ab Oratoribus petuntur? Philoſophorum quoque conſultorumque opiniones, ſicuti [f] alia, velimus legere neceſſarium [g] eſt. Quæ quidem poſſumus omnia: ſed breve nobis tempus nos faci-
18 mus. Quantulum enim ſtudiis impartimur [h]? Alias horas vanus ſalutandi labor, alias datum fabulis otium, alias ſpectacula, alias convivia trahunt. Adjice tot genera ludendi, et inſanam corporis curam. Trahat inde peregrinatio, rura [i], calculorum anxiæ ſolicitudines, multæ cauſſæ libidinum, et vinum, et flagitioſus [l] omni genere vo-

[r] *om.* G. Jenſ. [s] detinentibus puerum par. *iid.* [t] in una *om. iid.* [u] *om. iid.* [x] dicendi G. *recte, puto.* [z] *Sic* G. Jenſ. dicendi *al.* [a] Quantumlibet G. [b] *om.* G. Jenſ. [c] finito G. [d] non eſt *om.* G. Jenſ. [e] *om. iid.* [f] *Vid. leg.* ſi uti alias velimus, leg. [g] ne quidem poteſt omnia *iid.* [h] partimur G. patimur Jenſ. [i] jura G. Jenſ. [l] flagitiis Jenſ.

tet. Oriens uno nomine עמל laborem et mala facinora ſignat; πονηρὺς Græci et μοχθηρὺς h. e. *laborioſos* vocant malos.

luptatum animus [m]. Ne ea quidem tempora idonea, quæ ſuperſunt. Quæ ſi omnia ſtudiis impenderentur, jam no- 19
bis longa ætas, et abunde ſatis ad diſcendum [n] ſpatia viderentur, et [o] diurna tantum computantibus [p] tempora: et [q] noctes, quarum bona [r] pars omni ſomno longior eſt [s], adjuvarent. Nunc computamus annos, non quibus ſtuduimus, ſed quibus viximus. Nec vero ſi Geometræ, et 20
Grammatici, ceterarumque artium profeſſores, omnem ſuam vitam, quamlibet longa fuerit, in ſingulis artibus conſumſerunt, ſequitur, ut plures quaſdam vitas ad plura diſcenda deſideremus. Neque illi didicerunt hæc uſque in ſenectutem, ſed ea ſola didiciſſe contenti fuerunt, ac tot annos in [t] utendo, non in percipiendo [u] exhauſerunt. Ceterum ut de *Homero* taceam, in quo nullius non artis 21
aut perfecta [x], aut certe non dubia, veſtigia reperiuntur; ut *Eleum Hippiam* tranſeam, qui non liberalium modo diſciplinarum præ [y] ſe ſcientiam tulit, ſed veſtem et annulum, crepidaſque [z], quæ omnia [a] manu ſua fecerat, in uſu habuit, atque ita ſe præparavit, ne cujus alterius ope egeret, neve [b] ullius rei: *Gorgias* quoque ſummæ ſenectutis, id quærere auditores, de quo quiſque vellet, jubebat. Quæ tandem ars digna literis *Platoni* defuit? Quot ſecu- 22
lis *Ariſtoteles* didicit, ut non ſolum quæ ad philoſophos atque Oratores pertinent, ſcientia complecteretur, ſed animalium ſatorumque naturas omnes perquireret? Illis enim hæc invenienda fuerunt, nobis cognoſcenda ſunt. Tot nos præceptoribus, tot exemplis inſtruxit antiquitas, ut poſſit videri nulla ſorte [c] naſcendi ætas felicior, quam noſtra, cui docendæ priores elaboraverunt. *Marcus Cen-* 23
ſorius Cato, idem orator, idem hiſtoriæ conditor, idem juris, idem rerum ruſticarum peritiſſimus [d], inter tot operas militiæ, tantas domi contentiones, rudi ſeculo, literas

[m] animis G. Jenſ. [n] dicendum Jenſ. [o] ut G. [p] computationibus *id.* [q] aut G. at Jenſ. [r] una G. [s] *om. id.* [t] in utendo *om.* Jenſ. [u] præcipiendo Jenſ. [x] præcepta *id.* [y] per G. [z] crepidas quoque Jenſ. [a] tulit *inſ.* G. Jenſ. [b] nullius *iid.* [c] forte G. Jenſ. [d] fuit *inſ. iid.*

18. *Ne ea quidem tempora idonea*] Propter habitus malos, deſidiamque nihil agendo contractam, et perturbationes animi vel negotia adeo orta ex his, quæ enumerata ſunt.

21. *Eleum Hippiam*] Nemini ignotum ex Cic. de Orat. 3, 32; luxurie Africana deſcriptum ab Apuleio, Florid. p. 346, Elmenh. *Ætas illi cum Socrate*; *patria Elis* &c. De *Gorgia* etiam Cic. l. c.

23. *tantas domi contentiones*] *Accuſator aſſiduus malorum, Galbam octogenarius accuſavit. Ipſe quadragies quater accuſatus, glorioſe*

Græcas ætate jam declinata didicit, ut eſſet hominibus documento, ea quoque percipi [e] poſſe, quæ ſenes concu-
24 piſſent. Quam multa, imo [f] pene omnia tradidit *Varro*? Quod inſtrumentum [g] dicendi *M. Tullio* defuit? Quid plura? cum etiam *Cornelius Celſus*, mediocri vir ingenio, non ſolum de his omnibus conſcripſerit artibus, ſed amplius rei militaris, et ruſticæ etiam, et medicinæ præcepta reliquerit? dignus vel ipſo propoſito, ut eum ſciſſe omnia
25 illa credamus. At perficere tantum opus, arduum eſt [h], et nemo perfecit. Ante omnia ſufficit ad [i] exhortationem ſtudiorum, non capere id rerum naturam, ut quidquid non eſt factum, ne fieri quidem poſſit; cum omnia, quæ magna ſunt atque admirabilia, tempus aliquod, quo pri-
26 mum efficerentur, habuerint [l]. Quantum enim Poeſis ab Homero et Virgilio, tantum faſtigium accepit [m] eloquentia a Demoſthene atque Cicerone. Denique quidquid eſt optimum, ante non fuerat. Verum etiamſi quis ſumma deſperet, (quod cur faciat, cui ingenium, valetudo, facultas, præceptor, non deerunt?) tamen eſt (ut Cicero ait)
27 *pulchrum in ſecundis tertiiſque conſiſtere.* Neque enim ſi quis Achillis gloriam in [n] bellicis conſequi non poteſt, Ajacis aut Diomedis laudem aſpernabitur, neque qui Homeri non, Tyrtæi [o]. Quin immo ſi hanc cogitationem homines habuiſſent, ut nemo ſe meliorem fore eo, qui optimus fuiſſet, arbitraretur; ii ipſi, qui ſunt, optimi non fuiſſent: neque poſt Lucretium ac Macrum Virgilius, ne-

[e] præcipi Jenſ. [f] *om.* G. Jenſ. [g] inſtrumenta didicimus G. [h] *om.* G. [i] adhortationem G. *forte* ad hortat. [l] habuerunt G. [m] accipit G. Jenſ. [n] imbecillis Jenſ. [o] fuerunt G. *vid. not.*

abſolutus. Aur. Vict. de Vir. Illuſtr. c. 47. Eadem Plut. in vita, et Plinius 7, 27.

24. *mediocri vir ingenio*] Hoc Fabii de Cornelio Celſo judicium ne nimis iniquum ſtudioſis illius videatur, cogitandum, cum ſummis omnis ævi ingeniis eum comparari. Quod obſervavit in Epiſtol. de Celſo Cel. Morgagnus p. 11.

26. *etiamſi quis ſumma deſperet*] Cic. Orat. 1, *Par eſt omnes omnia experiri* &c. quem locum παραφράζει Columella præf. operis ſ. 29, ſqq. Plinius et ipſe in præf. p. 6, Harduin. *Itaque etiam non aſſecutis voluiſſe abunde pulchrum atque magnificum eſt.*

27. *neque qui Homeri non, Tyrtæi*] Retinui lectionem receptam, niſi quod interpunctionem ita mutavi ut inciderem poſt *non,* quod factum etiam in Aſcenſiana 1519, f. in qua nihil eſt quod poſſit offendere, niſi forte illud *non* abrupte poſitum, quod tamen in ipſius etiam periodi fine ſic fieri a Cicerone, conſtat, v. g. Cic. Att. 14, 12, *Octavium ſui Cæſarem ſalutabant, Philippus non.* Sententia igitur eſt, *neque qui Homeri* gloriam *non* poteſt conſequi, *Tyrtæi* laudem aſpernabitur.

que poſt Craſſum et Hortenſium Cicero, ſed nec alii poſtea vicerint [p]. Verum ut tranſeundi ſpes non ſit, magna ta- 28
men eſt dignitas ſubſequendi. An Pollio et Meſſala [q], qui, jam Cicerone arcem tenente eloquentiæ, agere cœperunt, parum in vita dignitatis habuerunt, parum ad poſteros gloriæ tradiderunt? Alioqui peſſime de rebus humanis perductæ in ſummum artes mererentur, ſi quod optimum fuiſſet, defuiſſet [r]. Adde quod magnos modica quo- 29
que eloquentia parit fructus, ac [s] ſi quis hæc ſtudia utilitate ſola metiatur, pene illi perfectæ par eſt. Neque erat difficile, vel veteribus vel novis exemplis palam facere, non aliunde majores honores, opes, amicitias, laudem præſentem, futuram, hominibus contigiſſe: ſi tamen dignum literis eſſet, ab opere pulcherrimo, cujus tractatus atque ipſa poſſeſſio pleniſſimam ſtudiis gratiam refert, hanc minorem exigere mercedem, more eorum, qui a ſe non virtutes, ſed voluptatem, quæ fit ex virtutibus, peti dicunt [t]. Ipſam igitur orandi majeſtatem, qua nihil dii 30
immortales melius homini dederunt, et qua remota muta [u] ſunt omnia, et luce præſenti et memoria poſteritatis carent, toto animo petamus, nitamurque ſemper ad optima: quod facientes, aut evademus in ſummum, aut certe multos infra nos videbimus.

Habes, Marcelle Victori, quibus præcepta dicendi pro 31
virili parte adjuvari poſſe per nos videbantur: quorum cognitio ſtudioſis juvenibus ſi non magnam utilitatem afferet [x], at certe, quod magis petimus [z], bonam voluntatem.

[p] vicerunt G. Jenſ. [q] Meſſalla Jenſ. [r] *Forte leg.* defeciſſet. [s] at G. [t] dicantur Jenſ. [u] muta ſunt *om.* G. [x] afferret Jenſ. [z] optamus G. *punctis ſubductis.*

29. *voluptatem—ex virtutibus*] Cic. Off. 3, 33, *Ab Ariſtippo Cyrenaici atque Annicerii philoſophi nominati omne bonum in voluptate poſuerunt: virtutemque cenſuerunt ob eam rem eſſe laudandam, quod efficiens eſſet voluptatis: quibus obſoletis floret Epicurus, ejuſdem fere adjutor auctorque ſententiæ.*

INDICES TRES.

I. *Verborum, Phrasium, ac Rerum.*

II. *Auctorum, Virorum doctorum, Artificum, &c. quorum a Quinctiliano fit mentio.*

III. *Auctorum veterum ac recentium, qui in Notis laudantur, explicantur, illustrantur, emendantur, &c.*

INDEX I.

Verborum, Phrasium, ac Rerum.

B.

F.

G.

H.

I.

M.

N.

P.

Q.

R.

S.

V.

X.

Y.

Voces, quæ hanc literam primam habent, Græcæ ſunt et ſpiritu aſpero notatæ: quare in H *quærantur.*

Z.

INDEX II.

Auctorum, Virorum Doctorum, Artificum, &c. quorum a Quinctiliano ſit mentio.

D.

I.

Q.

T.

INDEX III.

Auctorum veterum ac recentium, qui in Notis laudantur, explicantur, illustrantur, emendantur, &c.

FINIS.

ADDENDA.

VAR. LECTT.

I, 12, 14. *muſicis modis*] *Muſicis notis* eſſe in Gothano, monuit me Cl. Heuſingerus.

III, 3, 12. *rhetorices propria videri poteſt*] *Priva* conjicit Burmannus, et firmat ad Ovid. Met. 9, 20.

VI, *pro.* 16. Pro illo *certum eſt*, quod notamus ſub g, Gothanus ſecundus habet *cecum* eſt, quo firmatur conjectura noſtra *æquum.*

VI, 1, 6. *non arguentis eſt, ſed monentis*] *Moventis*, quod e Gothano 1. protulimus, etiam in altero eſſe obſervat Heuſingerus, et non alienum eſſe judicat.

VI, 1, 13. Heuſingerus ex utroque codice Gothano legendum cenſet, *Metus etiam, ſi eſt adhibendus, ut faciat idem* (h. e. licet eandem vim habeat) *hunc habet locum fortiorem*, &c.

VI, 1, 26. Pro *ſcenicis actoribus* belle G. 2. *actionibus.*

VI, 1, 40. G. 2. *nam ſenis caduca veri infuſam.*

VI, 2, 6. *ſenſum oculorum premit amor*] G. 2. *præcipitat animus.*

NOTIS.

III, 6, 26. Indicavit mihi pro veteri amicitia, *locum magni ICti*, quem non ſubjiciebat memoria, ICtus ipſe non vulgaris, idemque acutiſſimus et vere elegans, Neuburius, Prætor in hac urbe Regius. Eſt autem Matthiæ Berlichii in Deciſſ. aureis, n. 66, de pecunia ad ludum mutuo data, §. 13. p. 160. *Quæ tamen omnia*, inquit, *huc uſque de prohibita pecuniæ ad ludum mutuatæ repetitione dicta, fallunt tempore peſtis. Propterea quod tempore peſtis, ad fugiendas melancholicas cogitationes, quivis ludus permittitur* (laudantur hic auctores aliquam multi) *temporeque peſtis inter Deum et homines bellum eſſe dicatur* (nubes teſtium) *quo omnes leges et diſpoſitiones jurium ceſſant.*

ERRATA.

Pag. 48. col. 1. l. 18. *pro* Cari *lege* Carin.
Pag. 93. col. 1. l. 6. *pro* 1, 20, 5. *lege* 1, 20, 10.
Pag. 352. col. 2. l. 8. *pro* 15, *lege* 13.
Pag. 400. col. 2. l. 20. *pro* 9, 4, 80. *lege* 9, 4, 18.